
FORMALITATES IVXTA DOCTRINAM ANGELICI DOCTORIS D. THOMAE AQVINATIS,

AB ADMODVM REVER. PATRE

MAGISTRO AQVARIO

IN ALMO GYMNASIO NEAPOLITANO
METAPHISICES PVBLICO PROFESSORE,
COMPILATAE.

Nunc demum opera Admod. R. P. ALPHONSI de MARCHO Auersani, in Regio Conuentu Sancti Dominici de Neapoli Baccalaureo ordinario finitæ, & in lucem editæ.



NEAPOLI, Apud Constantinum Vitalem. Anno Domini 1605.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISS. D.

D. IO. ANDREAE PROCHNICIO,

ABBATI SIECIEHOVIENSI,

PRAEPOSITO CRACOVIENSI,

ET

SER.MI AC INVICTISS.MI SIGISMVNDI III.

POLONIAE AC SVETIAE REGIS IN REGNO NEAPOLITANO NVNTIO,

DOMINO SVO COLENDISSIMO.

F. Alphonsus de Marcho Auersanus, in Generali Studio Regij Conuentus S. Dominici de Neapoli, Baccalaureus ordinarius, S.E.P.

DIVVS *Thomas Aquinas, Illustrissimum orbis decus (Illustrissime Prochnici) Doctor Ecclesiæ, Theologiæ parens, Hæreticorum malleus, viuens & vita functus communis præceptor, multa de harmonico hoc vniuersitatis opere, nimirùm de eius authore Deo Vno & Trino, de creaturarum varietate, de naturæ arcanis, & gratiæ ac gloriæ misterijs, de orbe instituto, destituto, & instaurato; deq; hominum moribus, virtutibus, vitijs, adeò veraciter, distinctè, & profundè docuit, dictauit, disputauit & scripsit, vt in eius preconium, Ecce plusquam Salomon hic, Innocentius V. Pontifex Maximus concinnerit. Nec iniuria quidem. Etenim sicut Regina auium, ima deserens & alta contemplationis oculo petens, vtriusq; tempestatis, vetustæ ac nostræ, cum beatitatis laurea, dupliciq; virginitatis & Doctoratus aureola, Doctorum fulget cuneo, in omni scientiarum genere plusquam Salomon, ceteriq; Doctores, satius explicatiusq; differens. Non me latet, in eo primæuo quo veteres sapientes diuinarum, humanarumq; scientiarum præcepta & monimenta tradidère, sub Mineruæ peplo ea in medium protulisse, vt ipsorum doctrinam per quedam inuolucra perspectam, admirarentur omnes, addiscerent pauci. Etenim Hesiodus, Sappho, Orpheus, ceteriq; Gentilitatis vates, quodam quasi furoris afflatu exagitati, varia adhibentes integumenta, rerum omnium aliqualem doctrinam, literis mandare ceperunt.*

✠ Mer-

Mercurius ter maximus, ex Hæbreis diuinorum cognitionem mutuatus, in Pymandro & Asclepio occlusiorem habuit eloquentiam, vt nihil obscurius excogitari effingiq; possit. Pythagorici numeros venerati sunt, ad quos rerum omnium referebant causas. Et Plato, postquam multos in disputatione, & dialogo scripsit libros, in illo sermone quem Timeus habuit, contestatus est causas rerum diuinarum in occulto esse, ideoq; inuenire difficile, & cum iam inueneris, indicare in vulgus nefas. Et Peripateticorum Princeps, conquerenti Alexando Magno illi Macedoni, quod de rerum principijs librũ inapertum retulisset, respondisse fertur, A nemine qui ipsum non audierit, intelligi posse. Verùm si ad Nostrates, nimirum ad Catholicos, cum Græcos, tum vero Latinos Doctores diuino perfusos rore, & in sacris eloquijs edoctos conijciamus oculos, veluti volitantes nubes cernemus, cælestibus imbribus, verbo, vita, manu, & studio Mundum irrigantes, sacras scripturas enodantes & docentes, veritatem defendentes, proque ipsa pugnantes, & fidei hostibus occurrentes, sermonis altitudine atque obsito dicendi genere, vt nihil difficilius latentiusque comperti fuerimus. At D. Thomas noster matutinus Lucifer, inter has gloriæ nebulas, quasi Luna plena, sapientia & moribus, & veluti Sol oriens Mundo, lucis & veritatis radios emittens, fulget in Templo Dei. Vnde veram doctrinam docuit, falsam profligrauit, difficilia plana fecit, confusa distinxit, dissona conciliauit dubia dissoluit, perplexa digessit, Herculeam hereticæ prauitatis necauit Hydram, & in Sanctorum Patrum axiomatibus ex abditissimis latebris veritatem in lucem protulit, vt Ecclesiæ montes, & Religionis, de superioribus suis irrigauerit, fœcundaueritque. Non defuère tamen plerique propriæ gloriæ cupidi, qui nihil honoris sibi comparare arbitrati sunt, nisi Angelico Doctori contradixissent, eiusdemq; verbis & scriptis commaculassent doctrinam. Impudentia (cui nec addi potest) sanè erubescenda, aduersus veritatis Magistrum, Angelicum Doctorem ex Joanne XXII. plusquam Salomonem, ex Innocentio V. lumen Ecclesiæ, ex Pio V. interpretem diuinæ voluntatis, ex Clemente VIII. vna mente atque voce conclamatum. His adde valde mirandum, nihil iuniores argutulos oblatrasse, quod Sanctissimus Præceptor non præsenserit, & preclarissime expurgauerit, veluti Caietani, Capreoli, Thomæ Anglici, Ioannis de Neapoli, Herui Britonis, & quamplurimorum intus & extra scholam Thomisticam testantur monimenta, qui eiusdem mistici Salomonis mille clypeis armati, D. Thomam cum D. Thoma explicantes, conciliantes & tuentes, his occurrerunt hostibus, atque deuictos prostrarunt. Et inter multos, non infimi gradus Aquarius noster elices in Thomisticis campis conficiens, inundansq; sulcos enituit, Commentarijs in lib. 4. sent. Dilucidationibus Metaph. & Additionibus super lib. de physico auditu, & de Anima post Ferrar. cæterisque opusculis editis, typisq; mandatis. Hic doctissimus humilisq; pater, compilauit denique iuxta D. Thomæ sententiam, Formalitatum, idest distinctionum, & identitatum, atque de Significationibus terminorum doctrinam, licet eam morte præuentus perficere nequiuerit. Quare in vltimis constitutus, coram positis Patribus, propter ea studia quæ mihi cum illo communia erant, iterum atque iterum rogans & imperans coegit me, vt nouum Formalitatum opus, tanquam nouum partum in lucem ederem, & promulgarem. Cuius petitioni & volens & debens libenter acquieui. Itaq; quod Mæcenas in me viuens vita functus exoptabat, quamprimum perficere curaui. Absolutumq;

solutumq; opus, ac triplici Tomo digestum, Aquarij rore perfusum; vt vel sic fons paruus in Fluuium scatebraret maximum, cui illud dicarem, Tersluuius Prochnicius in vtroque homine integerrimus, naturæ, fortunæ & intellectus bonis donatus, nobilitatis, dignitatis, & probitatis radijs emicans optabatur, & solus occurrit, cui Patris Aquarij ac meum elaboratum dicare fas est, & debeo; Tuæ enim virtutes, nimirum Q. Flaminei clemētia, gratitudo Mitridatis, Sillæ Aggrigentini liberalitas, Scipionis authoritas, Valerij Publicolæ humilitas, Pompei pietas, Actilij Reguli veracitas, fama Metelli, Scæuolæ fortitudo, Seleuci iustitia, Cambysis iuditium, & Amor patriæ Marci Curij, & in me meamq; Dominicanā Religionem pietas & obseruantia, Illustrissime D. Ioannes Andrea, in quo Prochnicia proles aucta fulget, & Ducum de Bybel prædecessorum tuorū illustrata splendet posteritas, efflagitabāt me quotidie grati animi rependere debitum, quod ex parte iam mihi cōtigit; vt vel sic nouerint omnes accepti benefitij me haud immemorem fuisse. Et pro posse sat sit, voluisse hoc nouum, compilatum, elaboratumq; Formalitatum opusculum, & sub Illustrissimo Nomine tuo dicatum in lucem edere. Suscipe igitur, Prochnici Illustrissime, munusculum gratanter oblatum, & quod tuum est protege, ac vita comite maiora dum tibi debita promitto. Vale & viue in Domino diu fælix. Ex Regio Conuentu Sancti Dominici de Neap. Die 10. Maij, M DC V.

Illustrissimæ ac Reuerendiss. D. Tuæ

Humilis Seruus

Fr. Alphonsus de Marcho Auersanus.

IN AVCTORIS LAVDEM
EPIGRAMMA
R. P. LECTORIS, F. IGNATII FELKEL. O. P.

ARRIPIT Iliadem mendacibus aëra pennis
Iuppiter infringens, ac ſuper aſtra ponit.
Inuitaq; Deo nectar Iunone miniſtrat
Perpetuum magni ſtans Iouis ad cyathum,
Et noſter celeres in ſidera Aquarius iuit
Greſſus, perpetuis viuere temporibus.
Inuito nobis nectar Plutone miniſtrat,
Formalitatum dogmata dans cyathis.
Dicite quis melior, quis longo carmine dignus,
Si fuerat priſcis fabula longa puer?

FORMALITATES IVXTA DOCTRINAM S. THOMAE DE AQVINO.

Collectæ per R. P. F. Matthiam Aquarium, Sacræ Theologiæ Magistrum, ac Regium, & publicum Metaphysicum in almo Gymnasio Neapolitano.

PROLOGVS.

QVONIAM formalitatum ac distinctionum cognitio non minus difficultatis, quàm utilitatis habet plurimum, nostrumq; intellectum ad omnium rerum contemplationem expeditum, promptumq; reddat, ad veritates cum creatas, tum verò diuinas rimandas extollat, atque Encicopladia quadam cæteras perlustret scientias: idcirco ad has formalitates (post tot, tantosque formaliZantes in Scotica schola, & Auerroistarum) iuxta Thomistica dogmata, in quibus Catholica veritas, Theologica assertio, D. Thomæ sensus, et Peripatetica sententia cernitur, post elaboratas Metaphysicas dilucidationes omninò nostra se conuertat intentio, ne his ignoratis per abrupta gradiamur, et profundam, synceramq; Angelici Doctoris doctrinam omni ex parte minimè calleamus. Nam quæ doctrina est ista formalior? quæ distinctionibus plenior? quæ autem clarior? quæue locupletior? Itaq; vt ipsam facilius eius professores consequi, atque perpendere possint, breuem ex ea libellum de formalitatibus collegimus, Logicis, ac Philosophis, et Theologis, satis vtilem: in quo per capita, & alphabetum, distinctiones, et nominum significata, ac contradictiones, necnon & terminorum Logicalium cognitionem, cum memoriæ artificialis compendiolo (quo facilius ea, quæ adnotata sunt, lectores retinere valeant) iuxta vires tamen nostri ingenij perstrinximus. In quibus omnibus, si defecerimus, correctoribus vt adiutoribus gratias agemus.

CAPITVLVM PRIMVM.

De numero distinctionum.

De numero distinctionum. *Opinio 1.*

VARIAS fuisse sententias peritissimorum Doctorum circa distinctionum numerum, nemini obscurum esse debet. Nam aliqui octo esse distinctionum genera docuerunt. nempe distinctionis rationis, distinctionis ex natura rei, distinctionis modalis, distinctionis formalis, distinctionis realis, distinctionis essentialis; distinctionis se totis subiectiuè, & distinctionis se totis obiectiuè.

Opinio 2.

Alij verò doctores, qui Nominales appellari solent, tria tm̃ distinctionum genera esse astruunt, scilicet distinctionis rationis ratiocinatis, distinctionis formalis, & distinctionis realis.

Opinio D. Thomæ 3.

Sententia tamen Diui Thomæ semper, & vbique locorum suæ doctrinæ fuit, duo tantum esse distinctionis genera, realis videlicet & rationis. quia ex Aristotele, & alijs Peripateticis non cognouit, nisi duplex ens, nempe reale & rationis, vt ipsemet Aristoteles professus est 5. met. tex. 13. & 6. met. tex. 8. dum ens sufficientissimè partitus est per ens in anima, quod est ens rationis, & per ens extra animam, quod est ens reale. Et 4. met. tex. 4. declarans passiones entis, inter alias voluit idem & diuersum, seu identicum, & distinctum esse affectiones ipsius entis, ex cõsequenti identitas, & diuersitas, seu distinctio non poterit esse, nisi realis, aut rationis ad mentem Aristotelis, & omnium bonorum Peripateticorum, cum passio non excedat subiectum, neque excedatur ab eo. res quoque conuertitur cum ente, 4. met. tex. 4. sic quoque, & distinctio realis conuerti debet cum distinctione rerum: namque omne non idem alteri, aut re, aut ratione est non idem: sic etiam omne distinctum, aut re, aut ratione distingui debet. quia omnis distinctio est, non identitas: quandoquidem omne differens, seu diuersum, & distinctum, & differens, aut ratione diuersificatur, distinguitur, & distinguitur, aut præter opus intellectus distinguitur, & diuersificatur, & sic re & realiter.

Adde q̃ si datur aliqua identitas quæ non est rationis, ipsa non erit per opus intellectus, neque realis, quia non habet rationem distinctionis realis: ergo datur diuersitas, seu distinctio, & differẽtia, quę non est realis, neq; rationis. Patet hic discursus: quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot modis dicitur & reliquum: sed identitas, & distinctio sunt opposita: igitur sicuti multiplicatur identitas, ita multiplicatur & distinctio. Hinc Arist. 5. met. tex. 14. distinguit. Aliqua esse eadẽ secundum accidẽs, vt album & musicum: aliqua

Aliqua esse eadem & diuersa varijs modis.

esse eadem specie vt Socrates & Plato: aliqua esse eadẽ genere vt homo & leo: aliqua esse eadem analogia, vt accidens & substantia in ente. Sic etiã aliqua sunt diuersa, & distincta per accidẽs: & aliqua distincta, & diuersa numero: & aliqua specie: & aliqua genere. quod pulchrè etiã tetigit S. Thomas de mente D. Dionysij Areopagitæ 1. parte quæst. 11. art. 1. vbi dicit quòd non est multitudo aliqua non participans vno. Nam quæ sunt multa partibus, sunt vnum toto: & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto: & quæ sunt multa numero, sunt vnum specie: & quæ sunt multa speciebus, sunt vnũ genere: & quæ sunt multa processibus, sunt vnum principio.

Omnis multitudo participat vnitate aliquo modo.

Distinctionis realis. *Prima ratio.*

Verum sicuti ens reale multipliciter subdiuiditur, ita etiam & distinctio realis (cum sequatur ipsum ens) multifariam partiri potest. Quandoquidem aliqua dicitur distinctio realis, apud S. Thomam. quæ est inter rem & rem existenter; sicuti duo indiuidua eiusdem speciei: ita Sortes & Plato dicuntur distingui distinctione reali realitate existentiæ; nam Sortes per se existit distinctus à Platone.

Secunda.

Est & alia distinctio realis quæ est inter rem includentem aliquid reale, & non includentem illud. Verum quia id quod includitur duobus modis esse potest, vel reale intrinsecum sicuti est rationale in homine; vel reale extrinsecum. vt disciplinabile: hinc fit, vt sit aliqua distinctio realis inter rem includentem aliquid intrinsecè: & inter rem excludentem illud: & hoc modo animal & homo distinguuntur realiter. homo enim intrinsecè, & actu includit rationale quod tamen animal non includit: Et est doctrina Porphyrij in prædicabilibus cap. de differentijs; Differentia est qua species abundat à genere.

Tertia.

Tertia ergo est distinctio realis inter rem includentem aliquid extrinsecè & inter rem

exclu-

excludentem illud, ficut homo & difciplinabile diftinguuntur realiter hac diftinctione: nam difciplinabile differt ab ipfo homine,fingendo q̧ difciplinabile fit eadem res,quòd natura hominis, quia includit extrinfecè difciplinam,vt actũ per quem definitur, quam quidem difciplinam homo in fua definitione nõ includit: propterea homo & difciplinabile hac diftinctione reali diftingui dicuntur. Hoc etiam modo fuppofitum,& natura dicuntur diftingui in fubftantijs feparatis:quia fuppofitũ vt fic includit fubfiftere,quod eft per fe exiftere,non tamen intrinfecè:fed quodammodo quafi vt proprium actũ per quem poffit definiri,fi definiretur. Natura autem non includit huiufcemodi actum fubfiftendi. In fubftantijs verò materialibus fuppofitum, & natura diftinguuntur diftinctione reali intrinfecè,quia fuppofitum,puta Sortes,diftinguitur à natura fua per hoc quod includit materiam indiuidualem,fcilicet has carnes,& hæc offa intrinfecè: quam quidem materiam indiuidualem non includit natura ipfa : ipfum quoque fuppofitum includit accidentia fua extrinfecè, quæ tamen neque includuntur ab ipfa natura: & ideo natura & fuppofitum in rebus materialibus diftinguuntur realiter intrinfecè, & extrinfecè.

Suppofitũ & natura quomodo diftinguũtur in Angelis.

Ponitur & alia diftinctio realis in doctrina S. Thomę,quę dicitur realis realitate effentiæ:& hac diftinguuntur diuerfæ res effentialiter:quemadmodũ dulcedo,albedo,& rubedo in pomo,dicuntur diftingui hac diftinctione reali realitate effentiæ, non autem realitate exiftentiæ:quia cùm alia fit effentia albedinis,& alia dulcedinis,& alia rubedinis, non tamen albedo per fe exiftit fine dulcedine, & rubedine in pomo. Hac diftinctione reali diftinguitur anima à fuis potentijs, vt fcribit ipfe S.Thom.1.par.q.77.ar.1.vbi difputat,vtrum effentia ipfius animæ fit fua potentia? & afferit,q̧ impoffibile eft effentiam animæ effe potentiã fuam: & multis rationibus ibi probat,ficuti & de fpiritualibus creaturis,ar.11.& 1.lib.fent.dift.3.q.4.ar.2.& in quolibetis,quolib.10.ar.5.& in quæftionibus difputatis de anima,art.19. vnde hæc diftinctio eft famofa in doctrina S.Thomæ.

Potẽtia diftinguuntur realiter ab anima.

Ponitur quoq; alia diftinctio realis refpectiua apud S.Thom.vt patet 1.par.q.28.ar.3. vbi quærit.vtrum relationes quæ funt in Deo realiter adinuicẽ diftinguantur: & concludit,q̧ in Deo eft realis diftinctio,non quidem fecundùm rem abfolutam,quę eft effentia in qua eft fumma vnitas,& fimplicitas, fed fecundùm rem relatiuam, feu refpectiuam. Et fic dixit Boetius in lib.de Trin.quòd fubftantia in diuinis continet vnitatem,& relatio multiplicat trinitatem: vnde fi relationes non diftinguerentur ab inuicem realiter, non erit in diuinis trinitas realis,fed rationis tantum, quod eft hærefis Sabelliana.

Alterum verò membrum diftinctionis,quod dicebatur diftinctio rationis, eft duplex, vt docet ipfe S.Thomas 1.par.q.5.ar[illegible] fecundùm rem abente. Et in 1.fent.dift.8.q.2.art.3.& in difputatis de veritate Dei.q.21.ar.1.& 8.ponit eandem doctrinã propter authoritatẽ Boetij,in lib.de hebdomadibus,vbi dicit, Intueor in rebus aliud effe quo funt bona,& aliud effe,quod funt. Ex quibus locis habetur,q̧ aliqua eft diftinctio rationis,fecundùm rationem fignificatam,feu conceptam, quæ dicitur diftinctio rationis ratiocinatæ apud Thomiftas,& fecundum modum fignificandi, veluti homo & humanitas,lignum & dolabile, Deus & Deitas, quæ differunt nominibus definitiuis,& modo fignificandi: & in tantum diftinguuntur iftæ propofitiones fecundùm rationem,quòd hęc propofitio eft hæretica, Deitas generat Deitatem:& ifta eft propofitio catholica, Deus generat Deum,vt patet in principio decretalium de fumma Trinitate,& Fide Catholica. Sic etiam ponit S.Thom.1.par.q.11.art.1.& 1.fent.dift.24.ar.3.& 4.met. lect.2. quod vnum & ens differunt fecũdùm rationem fignificatam,& ratiocinatam,quia vnum addit fupra ens negationem diuifionis: vnum enim nil aliud fignificat, quàm ens indiuifum:& propterea dicendo ens vnum,nõ eft nugatio. Eft & alia diftinctio rationis, quæ dicitur fecundùm rationem concipientem,feu fignificantem: & eft illa in qua intellectus vtitur vno loco duorũ,dicendo, Sortes eft Sortes:quia de vna re poteft intellectus formare diuerfos conceptus, propter vim,quam habet ipfe intellectus: idcirco poteft & inuenire diuerfas diftinctiones rationis concipientis,feu ratiocinantis: vnde non eft eadem diftinctio rationis,quando dico,homo eft homo:nam homo prędicatum diftinguitur ab homine quod eft fubiectum: & quando dico, homo eft animal rationale; animal enim rationale diftinguitur ab homine diftinctione rationis, ficut definitũ diftinguitur à fua definitione diftinctione rationis ratiocinãtis,& ratiocinatę. Ex his ergo conclude apud Diuum Thomam dari diftinctionem realem realitate exiftentię: & diftinctionem realem inter rem includentem aliquid intrinfecè, & excludentem illud: & inter rem includentem aliquid extrinfecè, & excludentem illud. iftę funt tres diftinctiones reales.

Diftinctio rationis eft duplex.

Deus Deũ generat, eft Catholicũ dictũ.

Definitio, & definitũ quomodo diftinguuntur.

Quarta est distinctio realis realitate essentiæ. Quinta est distinctio realis respectiua. Sexta est distinctio rationis ratiocinatæ. Septima est distinctio rationis ratiocinantis. Additur quoque & distinctio modalis, quam docet S.Thomas lect. 9. 1.Periherm, quando dixit, quod Sortes currit tardè, & Sortes non mouetur velociter, distinguuntur distinctione modali; & ouum est animal in potentia, & ouum non est animal in actu, distinguuntur distinctione modali. Et hic numerus distinctionum colligitur ex doctrina S.Thomæ.

CAPITVLVM SECVNDVM.

De qualitate huius doctrina.

HÆc doctrina de formalitatibus est tota ferè Metaphysicalis, & fundatur super 4.metaph.tex.4. vbi Aristoteles asserit, Metaphysicam considerare ens, & passiones eius tam simplices, vt sunt, vnum, verum, bonum, aliquid, & res: quam etiam disiunctas, vt diuersum, idem, simile, dissimile, æquale, & inæquale. Et super 5.met.tex.7.& 14. vbi docet vnũ in substantia facere idem, in quantitate æquale, & in qualitate simile. Et super 7.met.tex.20.vbi disputat de quod quid erat esse, an sit idem, vel diuersum ab eo cuius est. Sic etiam super 10.metaph.& 8.& 10.vbi considerat quid sit idem, æquale, simile, pluralitas, & diuersitas, diuisibile, & inæquale.

Diuisio, et distinctio quomodo differãt.

Hæc omnia sunt fundamenta huius doctrinæ, quæ particulariter docet, quæ sit diuisio, quæ distinctio, quæ non identitas, quæ se habent sicut magis commune, & minus commune: quia omnis diuisio est distinctio, & non econtra, & omnis distinctio est non identitas, & non econtra. Nam diuisio est per partes materiales quantas, aut inter partes entitatiuas non quantas. Primo modo diuiditur aliqua linea in partes suas: secundo modo diuiduntur partes entitatiuæ materiæ, in diuersas portiunculas materiæ. Nam si ab ipsa secluderetur saltem per intellectum quantitas, & quælibet forma substantialis, posset fieri diuisio ipsius materiæ inter partes entitatiuas: ex quo sequitur, quod omnia illa quæ diuiduntur, necessariò distinguuntur, sed non econtra, quia multa distinguuntur, quæ non diuiduntur, vt duo Angeli, & duæ animæ: sic etiam intellectus, & voluntas dicuntur distingui inter se, sed non diuidi: sicut etiam quando dicimus, Sortes est Sortes; Sortes vt subiectum distinguitur a Sorte vt prædicatum, sed non diuiditur. Omnis etiam distinctio est non identitas, sed non econtra, quia distinctio debet habere ambo extrema positiua; sed non identitas sufficit, vt habeat vnum tantum extremum positiuum, quemadmodum lux dicitur non esse eadem tenebræ, sic etiam habitus non est idem cum sua priuatione: hic, vnum extremum est positiuum, puta lux, & habitus; alterum verò extremum est priuatiuum, scilicet tenebra, & priuatio. Et ex hoc fundamento deducitur, quod distinctio non est quoddam absolutum, sed quid respectiuum, & de prædicamento ad aliquid, vt patet ex definitione sua. Ad aliquid enim dicũtur quorum esse est ad aliud se habere: sed distinctio est huiusmodi, nam omne distinctum ab alio necessario est distinctum. Et deinde omnia opposita possunt esse simul distincta per comparationem ad diuersa, & illa dicuntur esse relatiua, sed idem & diuersum sunt huiusmodi: verbi gratia, aliquod potest esse idem alicui, & distinctum ab alio, sicut magnum per respectum ad granum milij: & paruum per respectum ad montem magnum. Ex quibus clarè patet distinctionem non esse de genere absolutorum, sed quid respectiuum. Et ne decipiaris, Nota, quod non est respectiuum prædicamentale, sed transcendens; quia distinctio competit enti antequam descendat in decem genera, igitur distinctio non potest esse respectus prædicamentalis, sed erit transcendens, cum circuat omne genus, immo competit etiam Deo glorioso; vt patet de distinctione diuinarum Personarum, vt probat S.Thomas prima parte quæst. 30. de mente Athanasij; Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Et 1.sent.dist.2.q.1.ar.4.& de potentia Dei, q.9.ar.5.& opusculo 3.cap.30. & in quolibetis quolibeto 7.q.3.ar.1.& 4. contra Gentiles, cap.5. & in pluribus alijs locis docet S.Thomas distinctionem cõueniri diuinis Personis, & diuinis relationibus, non tamen diuisionem, & diuersitatem: vnde vitandum est nomen alieni, discrepantis, & diuisionis, & confusi, & multiplicitaris, a mysterio sanctissimæ Trinitatis, sed vtimur distinctione; & si fortè fortuna aliquis Doctor authenticus vsus fuerit nomine differentiæ, debet sumi differentia pro distinctione, vt notat idem

Distinctio est quid respectiuum.

Distinctio competit Deo, non autẽ diuisio.

S.Tho-

S. Thomas 1. parte, q. 31. ar. 2. & 1. sent. dist. 5. q. 1. art. 1. Et cum Deus gloriosus non sit in genere, vt docuit idem S. Thomas 1. par. q. 3. art. 5. & 1. sent. dist. 8. q. 4. art. 2. & 1. contra Gentiles, cap. 17. & de potentia Dei, q. 7. art. 3. propterea dicendum est, distinctionem esse respectum transcendentem, & est respectus intrinsecus adueniens, cum talis respectus sit ille, qui oritur posito termino, & fundamento in quacunque distantia, vt paternitas inter patrem, & filium, qui pater & filius distinguuntur distinctione reali respectiua, & hæc distinctio vocatur respectus intrinsecus; respectus verò extrinsecus adueniens est ille, qui non incipit ab aliquo termino aduenienté, nisi prius fiat debita dispositio; sicut posito ligno, & igne, nō statim nascitur actio, nisi prius facta approximatione: dicitur etiam quòd distinctio est respectus disquiparantiæ, cum habeat extrema alterius, & alterius rationis, sicut respectus æquiparantiæ ille dicitur, qui habet extrema vnius rationis, cùm etiam distinctio sit terminus metaphysicalis, necessariò sequitur vt sit realis vel rationis, & quia realitas descendit à re, res autem venit à ratus, rata, ratum, quod est firmus, firma, firmū, & hæc res sumitur dupliciter, vel secundùm essentiam, vel secundùm existentiam, existentia autem secundùm doctrinam Sancti Thomæ, 1. parte, q. 29. art. 2. & 1. sententiarum, dist. 23. q. 1. art. 3. & de potentia Dei, q. 9. art. 1. idem est, quod res naturæ, subsistentia, & hypostasis, & substantia prima, & sic in Deo ponimus tres subsistentias, tres hypostases, & tres existentias relatas, siue personas.

Duplex respectus, intrinsecus, & extrinsecus.

Res vnde dicitur.

In Deo sunt tres substantiæ primæ.

Alij verò dicunt, quòd res potest esse ipsius subsistentiæ, existentiæ, & essentiæ. Res subsistentiæ, siue subsistens est illud, quod est incommunicabile vt quo, & vt quod; & quia incommunicabile est priuatiuum, & priuatio intelligitur per habitum: vnde Cicero, & Plato dicuntur incōmunicabiles, vt quod, quia nō prædicantur de pluribus, & vt quo, quia non sunt ratio essendi alicui substantialiter, vel accidentaliter, & tunc in vltima actualitate non ordinata ad vlteriorem formam. Res verò existens est vniuersalior, quàm subsistens, & est illa, quæ aliquid habet esse extra causam, & intellectum, vt Sortes postquam est productus, & hoc est esse entitatiuum, quod habet materia prima, quod est extra causam, & intellectum, & ideo dicitur, quòd est res existens. Res verò essentiæ est ipsamet essentia, quæ aut est in singulari existente, aut est in intellectu, vt in illo relucet obiectum per speciem intelligibile. Sed hoc membrum, quod ponitur ab istis, scilicet esse subsistentiæ distinctum ab esse existentiæ, est contra Arist. 5. met. tex. 15. vbi distinguit substantiam in duo membra tantum: in alterū quod dicitur quidditas, quam significat definitio. prout dicimus, quòd definitio significat substantiam rei, quam quidem substāriam Græci vsiam vocant, & nos essentiam: aliud membrum dicitur substantia, quæ est subiectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiæ, & hoc quidem communiter accipiendo nominari potest, & nomine significante intentionem, & sic dicitur suppositum. Nominatur autem tribus nominibus significantibus rem, quæ quidem sunt res naturæ, subsistentia, & hypostasis, secundùm triplicem consideratione substantiæ sic dictę. Secundum enim quod per se existit, & non in alio, vocatur existentia, vel subsistentia: illa enim existere, & subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se existunt: secundùm verò quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur res naturæ, sicut hic homo est res naturæ humanæ: secudùm verò quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis, vel substātia: vnde illud quod hæc tria nomina significant communiter in toto genere substantiarum, significat hoc nomen persona in genere rationalium substantiarum, vt ait Boetius in lib. de duabus naturis, & vna persona Christi. Nō ergo est ponendum illud tertium membrum, quòd aliqui fingunt de re existenti, quæ est extra causam suam, & intellectum, vt materia prima, quia talis doctrina expresse aduersatur Aristoteli, Boetio, & Auerroi, & omnibus Peripateticis.

Res subsistentiæ, existentiæ, & essentiæ quid.

Existentia quid est.

Persona quid significat.

CAPITVLVM TERTIVM.

De distinctione reali realitate existentia.

DISTINCTIO realis dicitur quæ est inter rem, & rem: res verò sunt quarum vna remanere potest, alia desinente, & econtra, vt Callias & Titius: inter hæc duo datur perfecta distinctio realis realitate existentiæ, seu subsistentiæ, vel suppositali, & personali, Callias enim, tanquam existens, & subsistens, & suppositū, & persona potest existere absq; Titio, & ecōtra. Hæc distinctio habetur in prædicabilibus à Porphy. c. de specie, quādo loquitur de indiuiduis.

Fundamentū distinctionis realis realitate existentia.

Docuit

Docuit etiam istam distinctionem Aristoteles 5. metaph. tex. 11. vbi ponit, quę sunt illa, quę conueniunt in specie, & differunt numero; & exemplificat de his indiuiduis, quę distinguuntur hac distinctione, vt dictum est. Ponit etiam & Sanctus Thomas hanc distinctionem 1. parte, quęst. 20. vbi disputat de amore Dei, & pręsertim art. 4. in qua quęrit, an Deus semper diligat magis meliora, & ponit quęstionem illam de Petro, & Ioanne, quis istorum magis fuerit dilectus à Christo, an Ioannes vel Petrus? quia Petrus fuit magis dilectus in membris suis, Ioannes verò in seipso, licet præsumptuosum sit de hoc iudicare: & ostendit, quomodo inter hæc duo datur hæc distinctio realis. Eandem doctrinam scripsit 3. sent. d. 32. q. 1. ar. 5.

Aliqui verò dicunt, declarando hanc distinctionem realem, quòd illa est, quæ reperitur inter ea, quorum vnum saltem per diuinam potentiam manuteneri potest sine alio, vt paries & sua albedo, & omne accidens separabile respectu sui subiecti; vel distinctio realis est illa, quæ reperitur inter ea quorum vnum per se est causa efficiens, vel finalis, & aliud est per se effectus: vel distinctio realis reperitur inter illa, quorum vnum est generans, & aliud genitum: dicunt etiam, quòd distinctio realis illa est, quę inuenitur inter ea quorum extrema sunt entia positiua, ita quòd vnum de altero non prædicatur abstractiuè, & hoc pacto dicunt, quòd Deus benedictus, qui est summè simplex, licet non simpliciter simplex, cùm sit resolubilis in plures conceptus, distinguitur realiter ab Angelo, qui est simplex, sed non summè simplex, nec simpliciter simplex, veluti ens quod habet conceptum simpliciter simplicem non resolubilem in aliquem priorem, quemadmodum etiam dicunt de vltimis differentijs, & passionibus entis. Hinc distinctio hæc realis, secundùm aliquos Formalistas, coincidit cum illa distinctione quam vocant se totis subiectiuè, quippe quæ distinctio est alietas inter aliqua duo extrema, quorum realitates sunt distinctæ, & separatæ ab inuicem in actuali existentia, loco, & situ: ita quòd non conueniunt in aliqua realitate subiectiua, seu in actu existendi, vt duo indiuidua eiusdem speciei.

Distinctio est alietas inter aliqua.

Alij verò Formalistæ dicunt distinctionem se totis subiectiuè non coincidere cum distinctione reali realitate existentię, quia corpus & anima sunt realiter distincta realitate existentiæ, & tamen non distinguuntur se totis subiectiuè, quia non sunt actaliter separata: vnde volunt, quòd illa dicantur se totis subiectiuè distingui; quæ in aliqua realitate potentiali contrahibili ad ipsa per aliquas alias realitates conueniunt, vt homo, & leo, quæ conueniunt in conceptu animalis, qui conceptus est contrahibilis ad hominē, & leonem per aliquas realitates, puta per differentias specificas & formales. Sed opinio istorū videtur contrariari doctrinæ, quam [illegible]: docent enim Deum, & creaturam se totis subiectiuè distingui, quia in nulla realitate potentiali conueniunt; & prędicamenta etiam ponunt se totis subiectiuè distingui, diuinas quoque personas, & diuina attributa hac distinctione distingui docuerunt, & tamen volunt hæc omnia conuenire in conceptu quidditatiuo vniuoco ipsius entis: & cum hic conceptus sit quædam realitas diuisibilis, & contrahibilis ad inferiora, puta ad Deum, per necesse esse, & ad creaturam per contingens esse, sequitur ex istis, quòd vel Deus & creatura non se totis subiectiuè distinguuntur, vel quòd non conueniant in conceptu quidditatiuo vniuoco ipsius entis: idem etiam dico de prædicamentis. Nec valet illud quod dicunt, differentiam esse inter vniuocè prædicatum, & esse potentiale prædicatum: dicunt enim ens esse vniuocum dictum de Deo, & creatura, siue vniuocè dictum de illis, sed non est potentiale: & propterea dicunt, quòd ens non est genus ad Deum & creaturam, sed alia vniuocè prędicabilia, actuabilia per differentias sunt potentialia, & sic volunt genus generalissimum, vel subalternum dicere conceptum potentialem, & propter hanc potentialitatem inclusam nullum genus continet Deum sub se, quia potentialitas omnis repugnat Deo; hæc enim responsio non valet, quia si illa dicuntur esse eadem se totis subiectiuè, quæ conueniunt in aliquo potentiali, ergo illa dicuntur distingui se totis subiectiuè, quæ nō conueniunt in aliquo potentiali, cùm dupliciter intelligi possit hæc conuenientia in potentiali, secundùm quòd duplex est potentiale, vno modo diuisibile per differentias formales, & sic verum est quòd Deus, & creatura, & prædicamenta non conueniunt in aliquo potentiali: alio modo, quòd conueniunt in aliquo potentiali distinguibili per modos, puta per finitum & infinitum, per necesse esse & contingens esse, per independens esse & dependens; & sic non possunt subterfugere, quin Deus & creatura non conueniant in aliquo potentiali: sic quoque & prædicamenta necessariò conueniunt in aliquo potentiali, cùm distinguantur per modos, & sic accidentia & substantia se totis subiectiuè distinguerentur, natura diuina, & hu-

Ens nō est genus ad Deum & creaturā.

& humana hoc etiã modo distinguerentur, materia & forma hac distinctione differrent, & breuiter omnia quæ possunt conuenire in aliqua entitate potentiali distinguibili, vel per differentias, vel per modos; idcirco melius est hanc distinctionem se totis subiectiuè derelinquere, & inhærere distinctioni reali, quam nos posuimus, quod illa est quæ reperitur inter ea, quorum vnũ potest existere alio non existenti, vt Callias & Titius. Sed contra hanc distinctionem esset dubium de relatiuis an distinguantur distinctione reali existentiæ; cùm vnum relatiuorum non possit existere absq; altero, sic etiam esset dubium de tribus diuinis suppositis, an distinguantur distinctione reali existentiæ, cùm vnũ illorum nõ possit absq; altero existere, sed hæc omnia & similia facile euadit Thomista, quia diceret, quòd tria diuina supposita, & similiter extrema relationis non distinguuntur hac distinctione reali, cùm hæc conueniat tantùm illis, quorũ vnum sine altero existere potest: sed relatiua & tria diuina supposita distinguuntur distinctione reali relatiua (vt dicemus infra) quam docuit S. Thomas 1. p. contra Sabellium q. 28. ar. 1. & 2. & per totã quæstionem, vbi declarans diuinas processiones, ostendit, quod secundũ quamlibet processionem oportet accipere duas relationes oppositas, quarum vna sit procedentis à principio, & alia ipsius principij; processio autem Verbi dicitur generatio secundum propriam rationem, quæ competit rebus viuentibus, relatio autem principij generationis in viuentibus perfectis dicitur paternitas, relatio verò procedentis à principio dicitur filiatio, quæ filiatio & paternitas distinguuntur distinctione relatiua, quia paternitas constituit personam Patris, & filiatio constituit personam Filij, sic etiam & processio amoris habet duas relationes, quarum altera vocatur spiratio actiua, qua Pater & Filius spirant, altera verò relatio vocatur processio; quæ processio & spiratio actiua etiam distinguuntur distinctione reali relatiua, vt latius docet S. Thomas de potentia Dei q. [illegible] & 4. contra Gentiles, cap. 14. & in quolibetis quolibeto 6. ar. 1. & in opusculo 3. cap. 5[illegible]. & in opusculo 9. cap. 10. Multa quoque de hac distinctione loquitur Caietanus Cardinalis in expositione primæ partis S. Thomæ q. 32. ar. 3. vbi disputat de notionibus diuinis.

Distinctio se totis subiectiuè labefactatur.

Personæ diuinæ quomodo distinguũtur.

CAPITVLVM QVARTVM.

De distinctione reali, quæ dicitur inter rem includentem aliquid intrinsecè & excludentem illud.

HÆc distinctio reperitur inter hominem, & animal; homo enim includit intrinsecè, & in actu ipsum rationale, quod quidem non includitur ab animali, & sic homo, & animal dicuntur distingui distinctione reali, quę est inter rem includentem aliquid intrinsecè reale, & non includentem illud intrinsecè in actu; & sic distinctio hæc currit de omnibus inferioribus respectu superiorum, hoc enim pacto inferiora quæcunque à superioribus realiter distingui dicuntur propter aliquod reale actu inclusum inferioribus ipsis, quod actu non includitur in superioribus.

Sed animaduerte, quòd inclusio est duplex, quędam identica, vel essentialis; & quędam definibilis, seu definitiua; illa enim inclusio dicitur identica, & essentialis, quando aliqua sic se habent, quod vnum includit aliud essentialiter, & econuerso, vt patet in diuinis, vbi diuina essentia includit essentialiter quodlibet attributum, & econtra; attributum quodlibet diuinæ essentiæ includit ipsam essentiam diuinam, vel quando aliqua duo in aliquo tertio essentialiter conueniunt, vt passiones, & affectiones ipsius entis in ipso ente. Inclusio verò definibilis, seu definitiua, est quando vnum includitur in definitione propriè, & simpliciter alterius, vt materia includitur in definitione formæ, quando dicimus, quòd forma est quæ dat esse ipsi materiæ, & materia appetit formam, vt fœmina virum, & genus clauditur in definitione speciei, & species in definitione generis: sed non hoc modo loquimur nos in præsenti, de inclusione quãdo dicimus, quòd rationale includitur actu in homine, sed non in animali, quia rationale, & animal primo intentionaliter non sunt relatiua, sed absoluta: dicitur enim rationale includi in homine intrinsecè, quia ponitur in definitione hominis, vt constituens ipsum in esse humano, nõ tamen includitur in animali, quia non ponitur in definitione eius, animal enim nõ definitur pro rationali, hanc distinctionem posuit Porphyrius in prædicabilibus, cap. de differentia, quasi per totum.

Inclusio duplex.

Materia appetit formam quomodo.

vt est

vt eſt videre apud Albertum, & Boetium, & Caietanum, in expoſitione illius capitis. Hanc quoque diſtinctionem, tanquam Peripateticam, docuit Ariſtoteles 3. de anima, tex. 9. vbi ſcripſit, quòd aliud eſt magnitudo, & magnitudinis eſſe, quia aliquid clauditur in magnitudine intrinſecè, quod non clauditur in eſſe & quidditate magnitudinis, & ſic aliud eſt aqua, & aquæ eſſe; & caro, & carnis eſſe, vt eruditè ſatis exponit Auerroes ibi, & 7. metaphyſ. tex. 34. & Alexander Aphrodiſeus hoc idem exponit, de bono, & eſſe boni; & de benigno, & eſſe benigni; nam bonum & benignum claudunt aliquid, quod non claudit eſſe boni, & eſſe benigni; hanc diſtinctionem docuit etiam Sanctus Thomas 1. par. q. 3. ar. 3. & 1. contra Gentiles, cap. 12. & opuſculo 3. cap. 10. vbi docet quomodo ſit idem Deus, quod ſua natura, vel eſſentia, & aſſerit, quod in rebus compoſitis ex materia, & forma, neceſſe eſt, quòd differant, ſeu diſtinguantur natura, & ſuppoſitum: quia natura comprehendit in ſe illa tantum, quæ cadunt in definitione ſpeciei, ipſa enim humanitas amplectitur in ſe ea tantum, quæ in definitione hominis ponuntur: his enim homo eſt homo, & hoc ſignificat humanitas, ſed materia indiuidualis cum omnibus accidentibus eam indiuiduantibus non cadit in definitione ſpeciei; non enim cadunt in definitione hominis hæ carnes & hæc oſſa, aut albedo, vel nigredo, vel aliqua huiuſmodi: vnde hæ carnes, & hæc oſſa, & hæc accidentia deſignant hanc materiam, non claudi in humanitate, & tamen in eo quòd eſt homo habet in ſe aliquid, quod non habet humanitas; & propter hoc non eſt idem homo, & humanitas, quia humanitas ſignificatur vt pars formalis hominis, quia principia definientia habent ſe formaliter, reſpectu materiæ indiuiduantis.

Materia indiuidualis non ponitur in definitione ſpeciei.

Eandem doctrinam poſuit ipſemet Sanctus Thomas 7. metaph. exponens tex. 20. vbi docuit aliud eſſe animal & eſſe animalis; & Callias & eſſe Calliæ, & in multis alijs locis hanc diſtinctionem inſinuauit Ariſtoteles, & S. Thomas; ſed tunc accidit difficultas, quia iſta propoſitio animal eſt rationale, cum ſit in primo modo dicẽdi per ſe, ſequitur quòd ipſum rationale intrinſecè claudatur in ipſo animali, & ſic falſum eſt quod homo & animal diſtinguantur realiter hac diſtinctione per incluſionem vnius, & excluſionem alterius. Ad quam difficultatem reſpondentes dicimus nullam differentiam diuiſiuam generis prædicari in primo modo dicendi per ſe de genere, quia cum per ſe inferat de omni, ſequeretur omne animal eſſe rationale.

Contrahens, & contractũ quomodo ſe habeant.

Adde etiam quia omne contrahens dicitur eſſe extra intellectum contracti, vt ſcribit Porphyrius in libro prædicabilium, per ipſis differentijs diuiſiuis, adhuc ſubintelligi poteſt ſubſtantia corporea animata ſenſibilis: ſed quod eſt extra intellectũ alicuius non prædicatur per ſe de illo, cùm ergo rationale ſit extra intellectum animalis, ſequitur hãc prædicationem non eſſe per ſe, animal eſt rationale, quod patet ex verbis Porphyrij, c. de differentia, dicentis, differentia eſt qua ſpecies abundat à genere, quid eſt hoc dictum, niſi quod ſpecies includit actu ipſam differentiam, quam genus non includit; igitur ſi eam non includit, iſta non erit per ſe animal eſt rationale. Sed diceret aliquis, ſi iſta propoſitio animal eſt rationale, non eſt per ſe, an iſta alia, rationale eſt animal, ſit per ſe? quia rationale per ſe eſt homo, & homo per ſe eſt animal, ergo rationale per ſe erit animal: & fundatur ratio iſta ſuper regulam Ariſtotelis in anteprædicamentis, quando alterum de altero prædicatur vt de ſubiecto, quicquid prædicatur de prædicato, prædicabitur & de ſubiecto prædicati; quòd autem minor ſit vera, patet, quoniam prædicatum eſt de ratione ſubiecti, maior quoq; patet ex ſe, quia iſta propoſitio, homo eſt rationalis, eſt propoſitio per ſe in primo modo dicendi per ſe; non igitur & hæc erit per ſe rationale eſt homo, quoniam ſicut propoſitio neceſſaria conuertitur in neceſſariam, præcipuè in terminis conuertibilibus, ſic propoſitio per ſe conuertitur in propoſitionem per ſe.

Rationale eſt animal, an ſit per ſe.

Reſpondent Aliqui dicentes, quòd iſta propoſitio nullo modo eſt per ſe, & per hoc citant Ariſtotelem 3. metaph. tex. 10. vbi dicit, quòd genus non prædicatur de differentia diuiſiua, quamuis ille liber nõ ſit multæ authoritatis, quicquid tamen ſit, propoſitio non eſt per ſe, quia tunc in definitione eſſet nugatio, quia ponendo rationem pro nominibus, & dicendo ſic homo eſt animal rationale, & homo includit animal, & ſimiliter rationale per ſe includit animal, quia prædicatur in primo modo: ergo homo eſt animal rationale. Adde quod genus ſe habet vt potentiale. & differentia vt actus, quod docuit Porphyrius in prædicabilibus, cap. de differentia, quando dixit, quòd genus eſt proportionale materiæ, & differentia formæ, ſed forma & materia, vt ſcripſit Ariſtoteles 8. metaph. tex. 16. ſunt diuerſæ naturæ, & diſtantes, & nunquam forma includit materiam, nec econtra: ergo

Genus dicit potentiã, & differentia actũ.

ergo definitio non includit genus, & sic genus non prædicabitur de differentia in primo modo, sed licet Hi sic dicentes aliqua vera doceant, tamen in hoc quod dicunt tertium librum Metaph. non esse alicuius authoritatis, contra omnes Peripateticos loquuntur; & ideo melius dicendum est, quod ly per se, est duplex, scilicet entitatiuum, & prædicatiuum, seu Logicum, & Metaphysicum: nam Logicus prædicationes obseruat, Metaphysicus autem quidditates. *Per se est duplex, Logicū, & Metaphysicum.*

Per se quidem prędicatiuum est, quando prædicatum est de ratione subiecti, & subiectum de ratione prędicati, vt docuit Arist. 1. lib. Poster. cap. de Perseitatibus, tex. 9. quod Primus modus dicendi per se est, quando definitio tota, vel pars definitionis prædicatur de suo definito. Qui quidem modus non est simplex, sed habet plures gradus, quorum Primus est, quando superius prædicatur de inferiori, puta genus de sua specie, vel species de suo indiuiduo: Secundus gradus, quando differentia prædicatur de definito, vt homo est rationalis: Tertius gradus, quando tota definitio prædicatur de definito, vt homo est animal rationale: Quartus gradus est, quando idem prędicatur de seipso, vt homo est homo. Secundus modus dicendi per se est, quando propria passio prædicatur de suo subiecto. Et hic est duplex, Primo, quādo adęquata passio prędicatur de suo adęquato primo subiecto, vt homo est risibilis; Secundo, quando passio adęquata superiorū prędicatur per se de inferiori, vt Sortes est risibilis. Tertius modus dicendi per se, nō est modus prędicandi, sed essendi; & isto modo omnia per se sunt, quę per se, & non in alio existūt, sicut Deus, & omnes primæ substantiæ; quia nullo modo sunt in alio, tanquā in subiecto inhęsionis. Quartus modus dicendi per se est, quando effectus formalis prædicatur de aliquo, mediante sua causa formali: vel quādo actus profluens, idest progrediens à causa formali, dicitur de effectu formali, mediante causa formali; vel quando effectus prædicatur de suo immediato principio productiuo. Exemplum primi. vt homo albedine est albus: exemplum secundi, vt album albedine disgregat, calidum calore calefacit: exemplū tertij, intellectus intelligit, voluntas vult. Hęc dicuntur esse per se prędicatiua, seu logicalia. *Per se Logicum quid. Modi dicendi per se. Primus. Secundus. Tertius. Quartus.*

Per se autem entitatiuum, seu metaphysicum est, quando res de se, & secundùm suam naturam talis est; sicut Sol per se est lucidus, Luna autem non per se, sed per alterum; & Deus per se est bonus, creatura autem non per se, sed per alterum. Vnde ly per se Metaphysicum videtur coincidere cum secundùm se, & per essentiam; sed non inconuenit aliquid esse per se tale entitatiuum, & non prædicatiuum, vt hic Deus est per se Pater, eo q paternitas diuina est essentia diuina, non tamen est per se prædicatiuè, & formaliter est per se Pater, quoniam prędicatum non est de ratione subiecti, nec econuerso, cum se habeant vt absolutum, & relatiuum: & hæc regula maximè verificatur in diuinis, dicendo, essentia diuina est paternitas, & filiatio est processio, seu Pater est Filius: istæ sunt propositiones per se metaphysicè, & identicè, sed non per se formaliter, & logicè; sic in proposito hæc propositio, rationale est animal, est etiam per se entitatiuè, non tamen prædicatiuè, seu logicè. Et in hoc decepti sunt isti non distinguentes inter per se entitatiuè, seu metaphysicè; & per se prædicatiuè formaliter, & logicè. *Per se Metaphysicū quid. Essentia diuina est paternitas, qua propositio est.*

CAPITVLVM QVINTVM.

De distinctionē reali, inter rem includentem aliquid extrinsecè, & inter rem excludentem illud.

HÆc distinctio reperitur inter ipsum disciplinabile, & hominem: homo enim ab ipso disciplinabili, hac distinctione distinguitur; fingendo quod disciplinabile sit eadem res cum homine, quia includit extrinsecè disciplinam & actum, per quem definitur, quam non includit homo in sua ratione. Hanc distinctionem expressè docuit Aristoteles 3. de anima, tex. 9. vbi postquam assignauit nonnullas differentias inter intellectum, & sensum, ex parte potentiarum, assignauit etiam differentias ex parte obiectorum; quia sensus cognoscit magnitudinem hanc, idest indiuiduum magnitudinis, cum conditionibus singularium; puta cum, hic, & nunc, &c. intellectus verò cognoscit magnitudinem in se; vnde necesse est dicere, quòd indiuiduum magnitudinis, & magnitudo ipsa, aliqua distinctione distinguuntur, iuxta literam Arist. *Quidditas, & id cuius est quidditas, quo modo distinguuntur.*

B ibi,

ſibi,quia aliud eſt indiuiduum magnitudinis,& ipſa magnitudinis quidditas; ſed non diſtinguuntur diſtinctione reali exiſtentiæ, ſicuti Callias,& Titius,vt dictum eſt in cap.de diſtinct.reali; nec diſtinguuntur diſtinctione reali, ſicuti homo,& animal, vt dictum eſt cap.de diſtinct.reali includente aliquid intrinſecè,& excludēte illud,igitur diſtinguuntur diſtinctione reali realitate inter rem includentem aliquid extrinſecè, & inter rem excludentem illud; indiuiduum enim magnitudinis includit hic, & nunc, quæ ſunt tempus,& locus extrinſeca ab illo,licet aliqui dicant hanc diſtinctionem dici debere ex natura rei, tamen longe aberrant à veritate, quia quælibet realis diſtinctio poteſt dici ex natura rei; Callias enim,& Titius ex ipſorum naturis diſtinguuntur, ſic pater, & filius, ſic cœlum,& terra, ſic Deus,& creatura: Patet,quia ſemotis naturis iſtorum entium, amplius non diſtinguuntur. Non ergo oportet, vt tanti faciant diſtinctionem hanc ex natura rei, quam ipſi dicunt Thomiſtas negare, & male.

Diſtinctio ex natura rei, quæ nam ſit.

Hanc diſtinctionem ponunt Thomiſtæ in ſubſtantijs immaterialibus, in quibus ſuppoſitum & natura non intrinſecè, ſed extrinſecè, ſecundum rem & rationem diſtinguuntur,quia ſuppoſitum,vt ſic includit ſubſiſtere,quod eſt eſſe per ſe,nō intrinſecè, ſed quodammodo, vt proprium actum, ad quem quodammodo deberet definiri ſi definiretur; natura autem non includit illum actum.Includit etiam,& ſuppoſitum ſubſtantiarū ſeparatarum,multa accidentia ſpiritualia,& ſpecies intelligibiles,& operationes,& affectiones,quæ ſunt extrinſeca ab illo ſuppoſito,& etiam à natura eius multò fortius. Patet igitur,quomodo datur hæc diſtinctio ad mētem Ariſt.& veritatis; & ratio huius etiam eſt, quia in ſubſtantijs ſeparatis eſt compoſitio ex poſitiuo,& poſitiuo, quia omne cauſatum eſt cōpoſitum,vt ſcripſit S.Thom.p.p.q.3.art.7. vnde cum ſubſtantiæ ſeparatæ ſint cauſatæ, neceſſe eſt ipſas eſſe compoſitas, licet aliqui 1.ſent. diſt.8.q.1. reprehendant hanc rationem,aſſerentes; quia ſi quodlibet cauſatum eſt compoſitum,accipiantur cōponentia,& tunc quærunt,aut ſunt ſimplicia,aut compoſita; ſi primum,falſum eſt omne cauſatum eſſe compoſitum,ſi verò dicetur ſecundum,tunc,iterum quærendum eſt de iſtis,& ſic aut procederetur in infinitum, aut erit ſtatus ad res ſimplices componentes, & cum conſtet componentia eſſe cauſata, ſequitur quod non omne cauſatum eſt compoſitum. Sed deficiunt iſti in intelligendo intentionem S.Thomæ, quandoquidem S. Thomas loquebatur in illa ratione, de creatura propriè ſumpta, & non de creatura communiter ſumpta; creatura enim propriè ſumpta eſt res ſubſiſtens,cuius eſt eſſe,& fieri,& hęc propria dicitur fieri, & cauſari, vt latius docet Ariſt.contra Platonem 7.metaphyſ.tex.43. quod compoſitum fit, & generatur, non autem forma, aut materia, quæ ſunt ſimplicia: creatura autem communiter ſumpta dicitur, veluti pars rei compoſitæ, & accidens, & ſic omne aliud à Deo quomodocunque ſumatur, poteſt dici cauſatum, ſed communiter ſumptum; ſed melius diceretur, concauſatum, & concreatum.

Creatura duplex.
Propriè ſumpta.
Communiter ſumpta.

Hinc excludenda eſt opinio illorum,qui dicunt intelligentias eſſe compoſitas ex actu priuatiuo,& actu poſitiuo,qui actus inueniuntur in omni ente creato.Et pro maiori intelligentia, Sciendum eſt,ꝙ Doctores diuerſimodè loquuti ſunt de compoſitione ſubſtātiarum ſeparatarū.Diuus enim Auguſt.ſuper Geneſim ad literā voluit,ſubſtantias ſeparatas eſſe cōpoſitas ex materia & forma:quam opinionē ſequutus etiam eſt Auicebron, in libro Fontis vitæ, & Boetius in lib.de vnitate,& vno,vbi dicit Angelos,& animas eſſe vnum,coniunctione materiæ; ſed in hac parte imitati ſunt iſti Platonem,ſic loquentem.

Opiniones de compoſitione Angelorum.
Prima.

Alij voluerunt,ſicut fuit Io.de Gandauo,ſubſtantias ſeparatas cōpoſitas eſſe ex materia & forma metaphyſicè. Ponit enim, ꝙ alia eſt cōpoſitio logicalis,quę eſt ex genere,& differentia; alia eſt phyſicalis,quę eſt ex materia,& forma,& ex partibus quantitatiuis; & alia eſt metaphyſicalis,quę potius gradualis vocari poteſt ſecūdū diuerſas realitates. Non ergo eſt ponēda in ſubſtātijs ſeparatis cōpoſitio phyſicalis,ſed bene metaphyſicalis.

Secunda.

Alij verò de mente Auerr.3.de anima,com.5. vt eſt Marcus Antonius Zimara theoremate 40. ſuſtinent ſubſtantias ſeparatas eſſe compoſitas, ex poſitiuo,& priuatiuo; ex poſitiuo,quia ſunt talis naturæ,ex priuatiuo,quia inquantum entia ſunt,priuantur perfectione diuina. Et hanc opinionem ſequutus etiam eſt Scotus 1.ſent.diſt.8.

Tertia.

Sanctus Thomas tenet p.p.q.50.art.2.quod in intelligentijs, licet non ſit compoſitio formæ & materiæ, eſt tamen in eis actus, & potentia; quod quidem manifeſtum poteſt eſſe,ex cōſideratione rerum materialium,in quibus inuenitur duplex compoſitio;prima quidem formę & materię, ex quibus conſtituitur natura aliqua, natura autē ſic compoſita, non eſt ſuum eſſe, ſed eſſe eſt actus eius: vnde ipſa natura comparatur ad ſuum eſſe,

Quarta.

ſicut

sicut potentia ad actum; subtracta ergo materia,& posito quod ipsa forma subsistat non in materia, adhuc remanet comparatio formæ ad ipsum esse, & potentiæ ad actum, & talis compositio intelligenda est in substantijs separatis : vnde dicuntur compositæ, ex quo est,& quod est:vel ex esse,& quod est;nam quod est,est ipsa forma subsistens, ipsum autem esse est quo substantia est, sicut cursus est quo currens currit. Et hanc compositionem vocant veri metaphysicantes compositionem, cum his.

Quia duplex est compositio, altera ex his, altera verò cum his. Et vt clarius hæc intelligantur, Animaduertendum est, quod in substantijs materialibus, quatuor realiter inueniuntur distincta,scilicet materia,forma,essentia composita ex eis,& esse:in homine enim est considerare materiam in qua recipitur eius forma; & formam ipsam, quæ est actus illius materiæ; & essentiam humanam, quæ nec est materia, nec forma; & esse actualis existentiæ,quo homo formaliter existit in rerum natura : vnde fit vt in istis substantijs duæ compositiones pertinentes ad genus substantiæ reperiantur,quarum Prima est ex materia,& forma,seu compositio, ex his; Secunda verò dicitur ex essentia, & existentia, seu ex esse,& essentia quæ vocatur compositio cum his. Hæ duæ compositiones in aliquo conueniunt, & in aliquo discrepant: conueniunt Primò, quia vtraque constat ex actu,& potentia; materiam enim, & formam, clarum est se habere, vt potentiam & actum; essentia autem, & esse, ex eo patet, quod se habent, vt potentia, & actus, quia quidditas quælibet ex hoc ponitur in rerum natura, quod existentiam acquirit. Secundò etiam conueniunt in hoc, quod extrema vtriusque compositionis, sunt in eodem genere; tam enim materia, quàm forma hominis quàm essentia, & esse eius in genere substantiæ, & speciei humanæ reponuntur. Differunt autem in multis.

Cõpositio duplex, ex his, & cum his.

Essentia non est materia, nec forma informans.

Compositiones his, & cũ his, in quibus conueniunt, & differunt.

Primò, quia extrema primæ compositionis sunt partes substantiæ, & non substantia propriè loquendo,vt patet;materia enim & forma non sunt in genere substantiæ,nisi reductiuè,vnde prædicationem substantiæ,quæ est genus generalissimum,non nisi in obliquo suscipiunt; extremorum verò secundæ compositionis, neutrum est pars substantiæ; sed alterum est substantia, essentia scilicet, quæ est in recta linea prædicamentali, alterum verò extra substantiam; scilicet existentia.

Secundò differunt, quia extremum illud, quòd se habet vt potentia in prima compositione, est ens purè potentiale, materia scilicet; extremum verò illud quod se habet vt potentia in secunda compositione,non est purè potentia, sed ens in aliqua specie quidditatiuè completum, scilicet essentia.

Tertiò differunt, quia extremum illud quòd se habet vt potentia in prima compositione, non est id,quod est, nec quod fit, propriè loquendo, materia enim non fit,vt scribitur 7.met.tex.27. eiusdem autem est esse, cuius est fieri; cum fieri terminetur ad esse; extremum verò id quod in secunda compositione se habet vt potentia, est id quod est, & fit; cum omnis factio ad compositum terminetur.

Materia non fit, vt quod, sed subiectiuè.

Quartò differunt,quia extremum illud quod in prima compositione se habet vt actus, non est vltima rei actualitas,sed causat alium vlteriorem actum, forma enim hominis, quæ eius materiam informat,causando totum compositum,complet proprium receptiuum ipsius existentiæ, & sic eam causat, quæ est vlterior actus; extremum verò illud, quod in secunda compositione se habet vt actus, est vltima actualitas illius generis; post existentiam enim Sortis nihil sibi substantiale amplius aduenit.

Esse existentia est vltima actualitas rei.

Quintò differunt,quia extremum illud,quod in prima compositione se habet vt actus, est ita actus, quod tamen comparatur ad aliud vt potentia.

Sextò differunt, quia extremum illud,quod in prima compositione se habet vt actus, est de intellectu,seu definitione rei intrinsecè;forma enim omnis intrinsecè in definitione concipitur; extremum verò illud quod in secunda compositione se habet vt actus,est extra rei quidditate: definitio enim non significat esse,vel nõ esse,vt habetur 1.Post.t.25.

Septimò differunt, quia ex extremis primæ compositionis, fit vnum tertium, per se vnum; ex extremis verò secundæ compositionis non fit vnum tertium, per se vnum, nec per accidens,quia non ex materia & forma, nec aggregat res diuersorum generum.

Octauò differunt,quia prima compositio vocatur ex his, & ideo fit ibi vnum tertium per se: vt Sortes fit ex materia & forma; secunda verò compositio vocatur cum his; nulla enim res datur, quæ constet ex essentia & existentia propriè loquendo, sicut datur res constans ex materia & forma, sed essentia componit cum existentia,& econuerso; & ideo dictum est, quod adunantur per se, non tamen componendo tertium.

Compositio ex his, est amplior compositione ex his.

Nonò differunt, quia prima compositio ad pauciora se extendit, quàm secunda: extrema enim primæ compositionis reperiuntur in rebus sensibilibus tantùm; extrema verò secundæ compositionis reperiuntur in rebus sensibilibus, & intelligibilibus.

Vltimò differunt quoad passiones suas; primam enim compositionem sequuntur accidentia sensibilia, puta quantitas, & transmutatio localis, & qualitas, & generatio, & corruptio; secundam verò compositionem, neq; generatio, neq; corruptio, neq; transmutatio aliqua physica sequitur, sed tantùm recipere, & recipi, perficere, & perfici, quia hæc sequuntur actum, & potentiam, illa verò materiam & formam. Hæc omnia dicere volui, vt appareat, quòd hæc distinctio supradicta non est quid fictitium, sed authoritate Peripatetica, & rationibus firmata.

CAPITVLVM SEXTVM.

De distinctione reali, essentiali.

Totum distinguitur à partibus simul sumptis.

SVNT nonnulli definire volentes hanc distinctionem, & dicunt, quòd illa distinguuntur essentialiter, quæ per aliquam potentiam possunt esse separata, vt materia, & forma, accidens, & subiectum. Quæ quidem definitio iudicio meo stare non potest, etiam iuxta doctrinam illorum, in qua totum essentiale distinguitur à suis partibus essentialiter; quia causatum realiter distinguitur a causa, sed sic est, quod partes sunt causæ, & totum est causatum, igitur essentialiter distinguitur, & tamen in via illorum totum non potest esse sine partibus. Præterea, omne creatum essentialiter dependet à Creatore, & tamen in via eorum per nullam potentiam creatum potest esse sine Creatore, quia nedum dependet in essendo, sed etiam in conseruando. Tertiò, relatio essentialiter distinguitur à suo opposito, præsertim in creatis, quia distinctio essentialis non habet locum in diuinis, cum ibi non sint duæ essentiæ, immo quicquid est in diuinis, est idem essentialiter, vt asserit Beatus Augustinus 1. de Trin. c. 2. eo Deus simplex est, quia est quicquid habet, excepto hoc quod relatiuè dicitur, habet enim Deus intellectum, habet voluntatem, & est ipsemet intellectus, & voluntas: vbi attende in his verbis, in quibus dicitur, excepto hoc quod relatiuè dicitur, habet enim Pater Filium, quia relatiuè dicitur, & tamen Pater non est Filius, habent Pater & Filius Spiritum sanctum, & tamen ipsi non sunt Spiritus sanctus, & sic quamuis personæ diuinæ realiter ab inuicem distinguantur distinctione reali suppositorum, non tamē distinguuntur essentialiter, siue distinctione reali essentiarum: sic etiam paternitas, & filiatio, & spiratio passiua, & actiua distinguuntur realiter, & tamen sunt eadem essentialiter. Hæc ergo distinctio locum tenet in creaturis, & non in diuinis. Quartò, omne totum integrale essentialiter distinguitur à suis partibus principalibus, & tamen Deus non potest separare, stante ordine naturæ per suam potentiam ipsum totum ab ipsis partibus; igitur definitio tradita de distinctione essentiali non est vndequaque vera.

Melius est dicere, hoc non potest fieri.

Circa quam rationem: Nota, quòd aliquæ sunt partes principales integrantes, vt cor, caput, & epar, aliquæ verò minus principales, vt manus & pedes: Deus potest facere, quod homo viuat sine partibus minus principalibus, puta sine manibus & pedibus, sed non sine partibus principalibus, puta sine corde & capite.

Nihilominus adducuntur duæ dubitationes contra hanc doctrinam. Altera est de Sancto Dionysio, & de Sancto Albano, qui post decollationem receperunt capita sua in suis manibus, & ambulabant per magna terrarum spatia; immo Beatus Dionysius per duo miliaria portauit suum caput, donec attinxit sepulturæ locum. Altera dubitatio est de Beata Catherina de Senis, quæ vixit sine corde, quandoquidem illud dedit sponso suo Christo. Sed hæ obiectiones de facili soluentur; Et primo, quod progressio illorum duorum Sanctorum dicitur, quod non fuit naturalis, nec per ipsos viuentes fiebat, sed angelico ministerio; possunt enim Angeli corpora assumere, & in illis motum progressiuum causare: vel dicendo, quod hoc non est attestandum potentiæ ordinariæ Dei, sed absolutæ. Ad illud de Beata Catherina respondent aliqui, deridentes factum illud, tanquam falsum & inuentum, quia cùm cor sit pars integralis principalis animalis, non potest sine illo per quamcunq; etiam potentiam viuere, propter dependentiam essentialē

B. Catherina de Senis vixit sine corde, quomodo intelligitur.

& sic

& sic non fuit verum, quod Beata Catherina dedit cor suum Christo, & Christus dederat cor suum proprium ipsi Catherinæ, quod habuit in carne. Sed isti decipiuntur, quia non literaliter est intelligendum hoc dictum, sed spiritualiter, iuxta illud Prouerbiorum Salomonis cap. 9. Fili, præbe mihi cor tuum. Et iuxta dictum Saluatoris apud Matth. c. 4. Vbi est thesaurus tuus, ibi est cor tuum: & sic non sequitur quod Beata Catherina vixerit sine corde; & hæc omnia diuinæ omnipotentiæ sunt tribuenda, & diuino miraculo.

Habito igitur quod hæc definitio distinctionis essentialis tradita ab istis, non sit vndequaque vera, danda est definitio iuxta doctrinam S. Thomæ, & est hæc, quòd Distinctio essentialis est illa, quę est inter duas essentias positiuas, quarum vna verè negatur de alia. Et hanc docuit S. Thomas p. p. q. 54. ar. 3. suæ summæ Theologiæ, vbi docet potentiam intellectiuam Angeli distingui essentialiter ab essentia ipsius Angeli. Et inferius loquens de potentijs animæ nostræ, clarius ponit istam distinctionem, q. 77. ar. 1. quod impossibile est essentiam animæ esse essentiam suarum potentiarum. Ad quod probandum adducit rationem Arist. ex 9. metaph. tex. 1. ex 12. met. tex. 26. vbi ponit, quod actus & potentia sunt in eodem prædicamento, sed actus potentiarum animæ sunt in prædicamento accidentis, ergo potentię animæ quoq; erunt in prædicamento accidentis; ipsa autem anima est in prædicamento substantiæ, igitur anima essentialiter distinguitur à suis potentijs. *Distinctio essentialis quænam sit.*

Sed hanc rationem soluunt, dicentes, quod potentia est duplex, receptiua, & obiectiua, & quod Aristoteles non loquitur de potentia receptiua in allegatis locis, sed de obiectiua, quæ nedum est eadem cum suo actu entitatiuo genere, seu prædicamento, sed etiam est eadem specie, & numero, sicut frumentum generandum, & generatum est idē numero. Sed hallucinantur, non considerando Arist. intentum, qui loquitur de potentia essentialiter ordinata ad actum; quem per se primo respicit, & loquitur de potentia receptiua & actiua, quatenus sunt principia alicuius, quod est in genere, sed constat, quod potentia obiectiua, & actus entitatiuus nō sunt alicuius rei principium, sed sunt ipsamet res, quatenus primo erat possibilis ex causis suis, & deinde est producta extra causas. Vnde aberrant toto cœlo isti, imponendo illa duo loca Arist. de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, vt clarè patet ex exemplis, quæ ibi Arist. ponit de Sole, & circulo obliquo, quæ sunt principia operationum. Hanc distinctionem posuit Arist. in 1. lib. Poster. quando docuit prędicamenta debere esse impermixta; & sic etiam Simplicius docuit in expositione prędicamenti Qualitatis genera ipsa generalissima esse impermixta, quod est intelligendum essentiam vnius prædicamenti non esse essentiam alterius, sed essentialiter distingui ab inuicem. Cuius etiam distinctionis meminit Philosophus 7. met. tex. 4. vbi docuit, substantiam esse priorem accidenti cognitione, definitione, tempore, & natura. & 8. met. tex. 16. vbi docuit materiam essentialiter distingui à forma. Et clarius S. Thom. p. p. q. 47. ar. 2. vbi narrat, quod duplex est distinctio in rebus, altera formalis, in his quæ differunt specie, altera verò materialis, in his quæ differunt numero tantùm. Ponit etiam & distinctionem essentialem inter lucem, & substantiam Solis. Et superius, art. 1. narrat diuersas Philosophorum sententias, de principio distinctionis rerum; nam Democritus posuit materiam solam esse causam distinctionis. Anaxagoras verò posuit intellectum distinguentem res, extrahendo quod erat permixtum in materia. Auicennas voluit distinctionem originari ex secundis agentibus, quia Deus intelligendo se, produxit primam intelligentiam, quæ quidem non est suum esse ex necessitate, incidit in compositionem potentiæ, & actus; sic igitur prima intelligentia inquantum intelligit causam primam, produxit secundam intelligentiam; inquantum autem intelligit se, secundum quod est in potentia, produxit corpus cœli, quod mouet; inquantum verò se intelligit secundum illud, quod habet de actu, produxit animam cœli, & sic de alijs. Sed his opinionibus reiectis, asserit D. Thomas distinctionem rerum, & multitudinem esse ex intentione primi agentis, quod quidem est essentialiter quicquid habet, vt dictum est; in creaturis verò differt essentialiter potentia, & eius substantia quæ est subiectum pòtentię, quia nulla creata substantia potest esse immediatum principium operationum. *Potentia duplex.* *Impugnatur potentia obiectiua, & actus entitatiuus.* *Opin. Auic. de productione intelligētiarū.* *Vnde prouenit distinctio rerum.*

Ex his sequitur, quod inter habitum, & priuationem, non est distinctio essentialis, quia non est inter duas essentias positiuas, quarum altera de altera negetur; sic etiam inter duo contradictoria non potest dici distinctionem esse essentialem, quia alterum eorum est ens, alterum verò non ens. Sed esto hic cautus, quòd discrimen reperitur inter has propositiones; ista non sunt idem essentialiter, & ista differunt essentialiter, quia priuatio, & habitus, puta visus, & cæcitas, auditus, & surditas, non sunt idem essentialiter,

& tamen

& tamen distinguuntur essentialiter: vnde non sequitur, illa non sunt eadem essentialiter, ergo distinguuntur essentialiter; licet valeat econtrario, illa distinguuntur essentialiter, ergo non sunt essentialiter eadem: differunt ergo non esse eadem essentialiter, & distingui essentialiter, sicut superius, & inferius, quia à non esse idem essentialiter non conuertitur subsistendi consequentia.

Num anima possit esse sine suis potentijs.

Sed circa hæc quæ dicta sunt, poterit esse maxima dubitatio in doctrina S.Thomæ; An essentia animæ possit esse sine suis potentijs, quia illa quæ distinguuntur essentialiter, distinguuntur sicuti res à re, & quę ita distinguuntur saltem per diuinam potentiam, potest vnum sine altero reperiri; & præsertim cum prius non sibi repugnet posse esse sine posteriori, sed anima prior est eius potentijs, cum sit substantia, & potentiæ sint accidentia, ergo anima sine suis potentijs esse poterit, & dabitur anima intellectiua sine intellectu, & voluntate, & memoria. Sed hanc difficultatem soluit S.Thomas, prima secundæ, quæst.110.art.4 vbi disputat, Num gratia sit in essentia animæ, sicut in subiecto, an in aliquo potentiali? & concludit, quòd sicut per potentiam intellectiuam homo participat diuinam cognitionem, per Fidei virtutem, & per potentiam voluntatis diuinum amorem per virtutem charitatis, ita etiam per naturam animæ participat secundùm quandam similitudinem naturam diuinam, per quandam regenerationem, quia gratia ponitur in essentia ipsius animæ, & virtutes, puta Fides, Spes, & Charitas in potentijs. Ex quo clarè patet virtutes Theologicales realiter distingui ab ipsa gratia, cuius oppositum sentit Scot. 2.sententiarum: vnde cum potentiæ animæ sint naturales proprietates speciem consequentes, anima non potest esse sine ipsis, dato etiam, dicit S.Thomas, quod anima esset sine intellectu, & voluntate actualiter, quia adhuc anima diceretur secundùm suam speciem intellectualis, vel rationalis, non quia actu haberet has potentias, sed propter speciem talis essentiæ, ex qua natæ sunt effluere huiusmodi potentiæ: vnde non concedit Sanctus Thomas de facto, quod possit Deus separare potentias ab anima, licet concedere videatur de possibili, & propterea neque concedendum est distinctionem essentialem esse inter ea quorum alterum sine altero esse potest.

Distinctio de possibili, & de facto.

CAPITVLVM SEPTIMVM.

De distinctione reali respectiua, seu relatiua.

HÆc distinctio, quę est realis, contenta sub primo membro distinctionis, inuenitur inter duas relationes reales, vel inter duo relatiua; puta inter patrem, & filium. Hanc posuit Aristoteles in prędicamentis, cap.de Aliquid, vbi docuit, relatiua esse quorum esse est ad aliud se habere, & posito vno, ponitur reliquum, & remoto, remouetur. Eandem etiam docuit Philosophus in Postprędicamentis, cap.de oppositis: item in 5.met.cap.de relatiuis, vbi distinguit relatiua esse triplicis ordinis. Quædam quæ sumuntur iuxta mensuram, & mensuratum, & fundantur tam super quantitatem continuam, quàm discretam; super continuam quidem, vt ęquale & inæquale, duæ enim lineæ finitæ adinuicem comparatæ, sunt æquales, aut inæquales, & distinguuntur distinctione reali respectiua: super verò discretam, vt duplum, triplum, & dimidium, quę etiam referuntur adinuicem, & distinguuntur hac distinctione reali respectiua. Relatiua verò secundi ordinis, sumuntur penes actionē & passionem, quia fundantur super potentiam actiuam & passiuam, inquantum sunt principia agendi, vel patiendi. Quæ quidē dupliciter possunt considerari; Primò, inquantum non sunt actui coniuncta, & nominantur his terminis verbalibus, 5.met.tex.30. motiuum, mobile, actiuum, passiuum, calefactiuum, & calefactibile: Secundò considerantur, prout sunt actui coniuncta, & nominantur terminis participij, præsentis temporis potentiæ actiuæ, & terminis participij pręteriti ex parte potētiæ passiuę, vt mouens, motum, calefaciens, calefactum, causans, causatum: item inquantum nō sunt coniuncta actui possunt comparari ad tempus præteritum, & futurum; ad præteritum quidē, inquantum fuerunt sub actu, vt pater, & filius, pater enim est, qui genuit, & filius qui genitus est; ad futurum autē inquantum erunt sub actu, vt ædificaturus, & ædificandum. In hoc etiā modo continentur relationes fundatæ super priuationē potentię, quæ dicitur in potentia, à qua deriuatur impossibile,

Relatiua triplicis ordinis. Primi.

Secundi.

Relatiua possunt cōparari ad præteritū, & futurum.

& hoc

& hoc fiue reale, fiue rationis. Dantur etiam relatiua tertij ordinis, quæ fumuntur fecundum iudicans, & iudicatum: & ifta fundantur fuper menfurationem, vel dependentiam vnius rei ab alia; vel fuper imitationem vnius rei ad aliam. Exemplum primi vt fenfibile & fenfus, fcibile & fcientia, intelligibile & intellectus; nam fenfus quo ad actum pendet à fenfibili, fenfum enim habemus vt fentiamus, fic fcientia noftra fpeculatiua pendet à fcibili, fic intellectus nofter, quo ad actum pendet ab intelligibili; Exemplum fecundi vt imago, & imaginatum, dicitur enim imago, quia imitatur imaginatum; relationes autem huiufmodi in hoc diftinguuntur à relationibus primi, & fecundi modi, quia illæ funt reales mutuæ ex hoc quod vnum extremum refertur ad aliud, & econuerfo, fed iftæ non funt mutuæ, ftat enim relatio realis tantum in vno extremo, fcilicet in eo quod dependet vel imitatur.

Tertij.

Scietia & fcibile, intellectus, & intelligibile funt relatiua, et quomodo.

Alterum autem dicitur relatiuè folum, quia alterum extremum refertur ad ipfum, & ipfum eft terminus talis relationis; verbi gratia, fcibile dicitur relatiuè ad fcientiam, quia fcientia refertur ad ipfum, & quia terminat dependentiam fcientiæ ab ipfo; fimiliter imaginatum dicitur ad imaginem, quia imago refertur ad ipfum, & terminat illius imitationem. Hæc omnia relatiua, fiue primi ordinis, fiue fecundi, fiue tertij dicuntur diftingui hac diftinctione; & fic etiam diuinæ perfonæ diftinguuntur, vt docet Magifter fententiarum 1. fent. dift. 27. & S. Thomas p. p. q. 40. licet Gregorius Ariminenfis dift. 4. art. 2. infequens opinionem Præpofitiui dicat, quod diftinguantur fe ipfis, quia fimplicia fe ipfis diftinguuntur: vnde cum perfonæ diuinæ fint fimpliciffimæ, concludebat eas fe ipfis diftingui, & non relationibus; & deceptus eft, quia perfonæ ipfæ diuinæ funt ipfemet relationes fubfiftentes, propterea non repugnat fimplicitati diuinarum perfonarum, quod relationibus diftinguantur.

Perfona diuina eft relatio fubfiftens.

Scotus quoque voluit 1. fentent. dift. 26. diuinas perfonas non diftingui hac refpectiua diftinctione, motus verbis Salomonis in Prouerb. cap. 30. dicentis, Quod eft nomen eius, fi nofti? ex hoc dicit, quòd quæftio quærit dubium, & fupponit aliquid certum, igitur talis fermo, & interrogatio Salomonis fupponit nomen Filij, & quærit nomen proprium eius, igitur filiatio non eft proprium nomen eius conftitutiuum, propterea diuinæ perfonæ diftinguuntur diftinctione fe totis fubiectiuè, quia talis diftinctio eft quando aliqua non conueniunt in aliqua realitate potentiali cotrahibili ad ipfa per aliquas alias realitates; & quia Pater, & Filius, & Spiritus fanctus in diuinis non conueniunt in aliqua realitate potentiali contrahibili ad ipfa fuppofita diuina per aliquas alias realitates, propterea dicuntur diftingui diftinctione fe totis fubiectiuè. Et in hac parte fuit etiam opinio Io. de Ripa, & Liconienfis, qui voluerunt diuinas perfonas per abfoluta diftingui. Quæ opinio videtur aduerfari Concilio Florentino, Seffione 18. afferenti, quòd fola relatio multiplicat diuinas perfonas, in quibus omnia funt vnum, vbi non obuiat relationis oppofitio; & Concilio Toletano 11. afferenti, quòd Sancta Trinitas nec recedit à numero, neq; numero comprehenditur: in relationibus enim perfonarũ cernitur numerus. Scribitur etiam de fumma Trinitate, & Fide Catholica, capitulo Firmiter, & capitulo Damnamus, diuinas perfonas effe difcretas, & diftinctas proprietatibus relatiuis; & fic omnia Concilia in profeffione Fidei vocant diuinas perfonas nominibus relatiuis. Sacræ etiam literæ idem proclamant, dum fcribitur apud Matth. c. vlt. Ite baptizantes eos in nomine Patris, &c. Et apud Ioannem: Tres funt qui teftimonium dant in cœlo, Pater, Filius, & Spiritus fanctus, &c. Non ergo afferendum videtur diuinas perfonas abfoluta diftinctione diftingui, fed refpectiua potius.

Diuinæ perfonæ non conueniunt in aliqua realitate potentiali.

Ad dictum Salomonis dicitur, quòd eft æquiuocatio de nomine Filij Dei; dupliciter enim poteft nominari, ficut & concipi; Vno modo, fecundum fuum quod, quid erat, effe; & fic nullum nomen, non folum Filij, fed nec etiam ipfius Dei habere poffumus: vnde Efaias cap. 54. aiebat: Generationem eius quis enarrabit? & fic Filius eft proprium nomen fecundæ perfonæ diuinæ, inter nomina parientia nobis cognitionem quia eft, & cũ hoc nomen proprium pertinens ad cognitionem quid eft, fit ineffabile, ficut etiam Deus eft nomen proprium ipfius Dei, & tamen nomen fignificans quid eft Deus, eft ineffabile. Alio modo poteft nominari & concipi Filius fecundum conceptus, & nomina abftrahibilia ex creaturis, vt docet S. Thomas p. p. q. 13. per totam; & fic habemus propria nomina diuinarum perfonarum. Nolo hic immorari recitando diuerfas fententias Theologorum de diftinctione diuinarum perfonarum, quia 1. fent. dift. 26. loquens de hac re, fex opiniones enarraui, & etiã controuerfias, quæ funt inter noftros Thomiftas, dift. 26.

Filius Dei dupliciter concipitur.

dum

Opiniones sex de distinctione personarũ. dum Aliqui volunt relationem dupliciter considerari posse, Vno modo, vt dicit actum; alio modo, vt dicit aptitudinem, & potentiam: tunc dicunt non primo, sed secundo modo relationes debere distinguere diuinas personas.

Aliqui verò distinguunt de personis ipsis diuinis, quod possunt considerari dupliciter. Vno modo secundùm se; & sic volunt eas se ipsis distingui, quod etiam asserit S. Thomas 1. sententiarum, dist. 29. Alio modo considerantur, vt notæ, & significatę nobis; & sic cum non distinguantur à relationibus, nisi in modo significandi constituuntur, & distinguuntur relationibus, sicut Deus constituitur, & distinguitur Deitate à reliquis.

Aliqui verò dicunt relationem dupliciter posse considerari; Vno modo vt conceptam, alio modo vt exercitam; primo modo relatio constituit personam, non secundo.

Alij verò dicunt relationem duo significare, in, & ad, & quod non distinguit, prout dicit, in, sed prout dicit, ad. Nos verò sententiam nostram protulimus loco superius allegato de mente S. Thomæ, diuinas personas distingui relationibus, & non per origines; licet enim vtroq; modo distingui videamus, prius tamen, & principalius per relationes, quàm per origines, vt dicebat D. Bonauentura, secundùm nostrum intelligendi modum debemus ipsas distinguere; propterea hoc nomen Pater, non solùm significat propriètatem, sed etiam hypostasim: vnde proprietas, quæ dicitur relatio, est distinctiua, & constitutiua hypostasis, generans, vel genitus significat originem, quæ non est constitutiua, & distinctiua hypostasis. Et hanc respectiuam distinctionem vocat S. Thomas minimam distinctionem, q. 40. ar. 2. vt patet loco superius allegato, vbi formans hoc argumentum, Absolutum est prius quam relatiuum, sed prima distinctio est distinctio diuinarum personarum, ergo diuinæ personæ cum sint prima entia, non debent distingui distinctione reali respectiua, seu relationibus, sed distinctione reali absoluta, seu per absoluta ipsa. Et respondet, quod quanto distinctio prior est, tanto propinquior est vnitati, & ideo debet esse minima; hinc est quod distinctio personarum non debet esse, nisi per id quod minimum distinguit, scilicet per relationem: vnde distinctio ista relatiua realis, est prima inter distinctiones reales; tum quia secundùm veritatem ipsa est simplicior, & omnino necessaria, reliquas enim non implicat contradictionem non esse, quoniam sunt extra Deum: tum quia nihil ponit imperfectionis, aut præsupponit, & propterea ordine perfectionis est prima, & hoc ordinando distinctiones in ordine entium simpliciter, secus enim esset in ordine distinctionum vt sic, quia talis poterit esse distinctio realis realitate existentiæ, & essentiæ simul, qualis est inter Calliam, & Titium, & hæc distinctio inuestigatur per viam originis, quando scilicet vnum originat reliquum.

Diuinæ personæ distinguũtur, & per origines, & per relationes.

Distinctio relatiua est minima.

Distinctio respectiua inuestigatur via originis.

Sed oritur dubitatio, quia videtur diuinas relationes nedum distingui distinctione reali respectiua, sed etiam distinctione essentiali. Quod ita suaderi potest, Quæcunque distinguuntur specie, distinguuntur essentialiter, sed paternitas, & filiatio, & spiratio actiua, & processio distinguuntur specie, ergo distinguuntur essentialiter: maior patet in omnibus, quæ specie distinguuntur, puta in homine, & leone, &c. Adde sic, illa quę distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur essentialiter, sed paternitas, & filiatio distinguuntur quidditatiuè, igitur distinguuntur essentialiter.

Pro solutione huius, Notandum est vnum, quod habet S. Thomas p. p. q. 39. art. 2. quod personalia aliquando dicuntur notiones, aliquando relationes, aliquando proprietates. Notiones sunt quinque in diuinis, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio cõmunis, & processio. Harum autẽ quatuor sunt relationes, nam innascibilitas non est relatio, nisi per reductionem. Tres autem sunt proprietates: nam communis spiratio non est proprietas, quia conuenit duabus personis, & hæ tres proprietates dicuntur personales constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio, & processio: nam communis spiratio, & innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales, & licet spiratio actiua, & paternitas sint idem in Patre, non tamen prædicantur de se inuicem, vt dicatur paternitas, est spiratio actiua, quia significantur, vt diuersæ rationes relatiuè in actu exercito, sic etiam dico de filiatione, & spiratione actiua; & cum hæc omnia sint extra quodcunq; genus generalissimum, ex consequenti sunt supra genus subalternũ, & quamcunque differentiam genericam, vel specificam, & non possunt distingui, nec genere, nec specie, physicè, aut metaphysicè, sed tantum grammaticaliter; nec etiam distinguuntur quidditatiuè, capiendo quidditatem pro entitate, quæ est pluribus communicabilis.

Notiones in diuinis sunt quinque.

Sed potest dici, quod distinguuntur quidditatiuè, pro entitate hypostatica, quæ est incommunicabilis omnibus, vt quod, & vt quo; differentia enim indiuidualis potest dici

Quidditas potest dici aliquãdo entitas

entitas quidditatina communiter sumpta non propriè; & sic patet quomodo nec specie, nec quidditatiuè propriè loquendo distinguuntur.

CAPITVLVM OCTAVVM.

De distinctione negatiua, seu priuatiua.

HÆc distinctio inuenitur inter illa, quorum vnum habet aliquid, alterum verò caret illo: hac etiam distinctione distinguitur ens à non ente, puta Sortes, qui est albus distinguitur à Platone, qui non est albus, & sic etiam chimera non est alba; vnde distinguitur Sortes tam à chimera, quàm à non ente, quàm ab omnibus alijs non habentibus albedinem, per habere albedinem & non habere: quæ distinctio iure vocari potest priuatiua, seu negatiua, non autem distinctio positiua. Hanc distinctionem negatiuam, seu priuatiuam, posuit Sanctus Thomas p.p.quæst.36.artic.2. & 1.sentent. distinct.11. quæst.1.art.1. & 4.contra Gentiles, cap.24. in quibus locis disputat, si Spiritus sanctus non procederet à Filio, an distingueretur ab ipso Filio? & probat multis argumentis ipsum non distingui, scilicet distinctione relatiua & positiua, sed distingueretur tantum distinctione negatiua & priuatiua, scilicet per habere, & non habere. Et hoc fundamentum destruit illud, quod Aliqui dicunt Spiritum sanctum distingui à Filio personaliter, etiam si ab ipso non procederet, quia Vnumquodque per id distinguitur, per quod constituitur, sed Filius constituitur in esse filij per filiationem, ergo per ipsam distingueretur personaliter à quacunque alia persona. Quod argumentum nihil concludit de distinctione relatiua, quia non quocunque aliquid constituitur in esse relatiuo, distinguitur ab omni alio relatiuo, sed tantum à suo correlatiuo, siue ab eo cui opponitur relatiuè; non enim per relationem dupli qua aliquid constituitur in esse dupli, distinguitur duplum ab omni alio relatiuo, puta à triplo, aut quadruplo, sed tantum ab ipso subduplo, quia non refertur duplum ad triplum, aut quadruplum, sed tantum ad subduplum; est enim duplum sub dupli duplum, non autem tripli, aut quadrupli: & similiter dicitur, quod filiatione Filius distinguitur tantum à Patre, non autem à Spiritu sancto, quia filiatione refertur ipse filius tantum ad Patrem, non autem ad Spiritum sanctum: Patet autem quomodo in via Sancti Thomæ datur illa distinctio priuatiua & negatiua, non autem disparata, vt Aliqui existimant. Hanc quoque distinctionem tetigit Caietanus in expositione illius art. & quæst.2. p.p.ar.1. vbi docet quid sit veritas positiua, & negatiua. Et fusius Capreolus 4.sent.d.11.quæst.1.artic.2. vbi dicit, quòd licet Filius distinguatur à Spiritu sancto per filiationem, per habere, & non habere eandem proprietatem, & stat quod per filiationem solum distinguitur à Patre secundùm oppositionem relatiuam: vnde patet, quod Filius semoto quod ab eo procedat Spiritus sanctus, distinguuntur hac distinctione negatiua. Eandem doctrinam scripsit Capreolus eodem lib.dist.30.quæst.1. respondendo ad argumenta Greg. Ariminensis, & præsertim ad primum argumentum, quod adducit secundo loco, vbi dicit, quòd distinctio Sortis à Platone, aliquando non est positiua, sed negatiua, quando Sortes habet aliquid, quod non habet Plato. Quam doctrinam docuit Sanctus Thomas 4.quolibetorum, q.4.art.2. vbi dicit, quòd hoc modo se habent proprietates personales in diuinis, ad distinguendum personas, sicuti se habent in rebus naturalibus formæ substantiales ad distinguendas species rerum, secūdùm tamen quod à creaturis exempla ad Deum assumpta non omnino similia sunt. In rebus autem naturalibus distinguitur aliquid per formam suam ab alio dupliciter, Vno modo secundum directam oppositionem formæ ad formam; & hoc modo distinguitur vnaquæque res naturalis ab omnibus speciebus sui generis, quæ habent formas oppositas, secundùm quod genus diuiditur oppositis differentijs, sicut Sapphyrus per suam formam naturalem distinguitur ab omnibus alijs speciebus lapidum; Alio modo distinguitur res naturalis per suam formam, per habere, & non habere; & hoc modo distinguitur ab omnibus non habentibus formā illam, sicut Sapphyrus per suam formam naturalem distinguitur non solum ab alijs generibus lapidum, sed à speciebus animalium, & plantarum. Vnde sic dicendum est, quòd Filius sua filiatione distinguitur à Patre secundum opposi-

Distinctio priuatiua, & negatiua quando sit.

Relatiuū non potest distingui, nisi à suo correlatiuo.

Filius non distinguitur à Spiritu sancto per filiatione.

Sapphyrus distinguitur à plātis, & quomodo.

C tionem

tionem relatiuam ad paternitatem, sed à Spiritu sancto distinguitur filiatione, per hoc quod Spiritus sanctus non habet filiationem, quam filius habet. Patet igitur quid sit distinctio negatiua.

CAPITVLVM NONVM.

De distinctione modali.

Hæc distinctio inuenitur inter illa, quæ distinguuntur ab inuicem quibusdam modis; vel quando etiam vnamet res distinguitur à seipsa diuersimodè se habente. Hanc distinctionem tetigit Porphyrius cap. de differentia, quando dixit, communiter quidem differre alterum ab altero dicitur, quando alteritate quadam differt quocunque modo, vel à seipso, vel ab alio; differt enim Socrates à Platone alteritate quadam, & ipse à se, sene, vel iam puero, vel iam viro, vel iam faciente aliquid, vel quiescente: vnde hæc est differentia, seu distinctio modalis, qua Socrates puer distinguitur à seipso, iam viro facto, vel sene confecto, per modos quosdam, puta per pueritiam, & virilitatem, & senectutem. Hanc quoque docuit Sanctus Thomas 1. lib. Periher. lect. 9. loquens de contradictione, dicens, quòd istæ duæ præpositiones, Sortes currit tardè, & non mouetur velociter, non contradicunt, quia est diuersus modus ex parte prædicati; & similiter istæ, ouum est animal in potentia, & non est animal in actu, non contradicunt. quia distinguuntur per diuersos modos, scilicet actum, & potentiam, igitur datur de mente Sancti Thomæ distinctio modalis. Et p. p. quæst. 12. art. 7. vbi quærit, an videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant? determinat negatiuè, quia licet omnes videant Deum totum, non tamen totaliter, ergo videntes Deum distinguitur distinctione modali, quia totaliter dicit modum. Hoc idem etiam docuit 4. sent. d. 49. q. 2. ar. 3. & 1. contra Gentes, cap. 53. & de veritate, q. 8. ar. 2. in responsione ad secundum argumentum, vbi ponit, quòd in visione qualibet, triplex modus considerari potest; Primus modus est ipsius videntis absolutè, qui est mensura capacitatis eius; & sic intellectus Angeli totaliter videt Deum, hoc est dictu, totam vim intellectus sui adhibet ad videndum Deum. Alius modus est ipsius rei in se; & hic modus nil aliud est quàm qualitas rei: cùm autè in Deo non sit aliud qualitas quàm substantia, modus eius est ipsa essentia, & sic totaliter vident Deum, quia vident totum modum Dei, eodem modo, quo totam essentiam. Tertius est ipsius visionis, quæ est medium inter videntem, & rem visam, & dicit modum videntis, per comparationem ad rem visam, vt tunc dicatur aliquis alterum videre totaliter, quando scilicet visio habet modum totalem, & hoc est, quando ita est perfectus modus visionis ipsius videntis, sicut est modus visibilitatis ipsius rei, & hoc modo non totaliter videtur diuina essentia; quibus verbis manifestè apparet quomodo videtes Deum distinguuntur distinctione modali: sicuti etiam quando duo cognoscunt eandem conclusionem, sed vnus cognoscit illam per medium demonstratiuum, & alius per medium probabile, distinguuntur in cognitione illius conclusionis distinctione modali; sic etiam Aquila, & accipiter in videndo aliquod coloratum distinguuntur in visione illius colorati, distinctione modali, quia Aquila fortius, & acutius videt coloratum, quàm accipiter. Hãc distinctionem modalem ponit Arist. 2. Physic. tex. 32. vbi agit de modis causarum; & 5. metaph. tex. 2. vbi ait modi causarum numero quidem multi, capitulatim pauciores. Et ibidem Alex. Auer. S. Thom. Suess. & ceteri interpretes, & Capreolus, 2. sententiarum, distinct. 13. q. 1. de mente Gottofredi, respondendo ad argumenta Durandi, quomodo materia cœli distinguitur à materia sublunarium, non enim distinguitur secundùm distinctionem acceptam à forma, secundùm esse ipsius formæ, sed secundùm modum quo forma ipsa perficit suam materiam; omnes enim formę generabiles perficiunt materiam sublunarium eodem modo, quia relinquunt priuationem in ea, & ideo formæ istæ generabiles habent vnam materiam, annexa semper sibi priuatione; similiter formæ cœlestes perficiunt suã materiam eodem modo, quia non relinquunt in ea priuationem aliquam. & ideo omnes formæ cœlestes habent materiam etiam vnius naturæ, & propter a materia cœli, & materia sublunaris distinguuntur hac distinctione modali, per formas. Eandem quoque distinctionem tetigit Caietanus p. p. in exposit. q. 77. in expositione tertij art. vbi docuit quo-

Quo vnum et id. distinguitur à seipso.

Ouum est animal, & non animal. non contradicunt.

In visione est triplex modus

Diuina essentia non videtur totaliter.

Materia cæli. & sublunarium quomodo distinguuntur.

quomodo potentiæ distinguuntur per actus, & per obiecta, declarando, quòd ly Per, potest dicere aliquando proprium distinctiuum intrinsecum essentialiter, vel principium declaratiuum tantum, vel principium distinctiuum omnino extrinsecum; vel poterit dicere principium definitiuum extrinsecum quidem à re, sed intrinsecum definitioni rei, quæ distinctio vocatur distinctio modalis, hoc videlicet pacto, quod potentiæ distinguuntur per actus à priori, non tanquam per principium intrinsecum rei, nec omnino extrinsecum, sed inclusum definitioni ipsarum potentiarum, quia potentiæ non sunt res absolutæ ab ipso actu, & ab obiecto, sed ordinantur à natura, necessario ad actus, & ad obiecta, vt dixit Arist. 9. metaph. tex. 5. visum habemus, vt videamus: ex quibus patet quid sit modalis distinctio.

Hæc propositio per, multa dicere potest

CAPITVLVM DECIMVM.

De distinctione rationis secundùm rem conceptam.

HÆc distinctio, quæ communiter dicitur distinctio rationis ratiocinatæ reperitur inter lignum, & dolabile, inter bonum, & appetibile, vt docet Arist. 1. Ethicorum, cap. 1. quod bonum est, quod omnia appetunt, ens verò est actualitas omnis rei: vnde manifestū est, bonum, & ens, esse idem secundùm rem, & distingui secundùm rationem. Quam distinctionem docuit Arist. 4. met. tex. 3. vbi dixit, Itaque ens & vnum, idem, ac vna natura sunt propterea, quod seinuicem consequuntur, quemadmodum principium, & causa, sed non quod vna ratione significantur. Quam distinctionem dilatat Auerroes in commen. dicens, quòd ens, & vnum significant eandem naturam subiecto, & duo definitione: vnde qui considerat de ente debet de vno considerare. 5. etiam metaph. tex. 10. clarius eandem docuit Arist. vbi docet, quomodo vnum genus differt oppositis differentijs. Sic etiam, & 8. met. tex. 16. vbi docet, quomodo illa, quę non habent materiam intelligibilem, neq; sensibilem, seipsis sunt entia, & vnum.

Bonum est, quod omnia appetunt.

Separata seipsis sunt ens & vnum.

Sanctus Thomas hac distinctione vtitur pluribus in locis suæ doctrinæ, præsertim in materia de diuinis attributis, quam distinctionem aliqui ex nostris vocant virtualem, seu aptitudinalem, seu causalem: vnde non ineptè distinguibilitas rationis dici posset, quæ quidem distinguibilitas ante omnem rationis actum poterit esse; quia cum Deus benedictus sit simplicissimus, & sit obiectum plurium conceptuum, siue actualiter, siue virtualiter, & ideo dicitur multiplex, non subiectiuè, sed obiectiuè verificans actu, vel virtute, plures de eo conceptiones.

Deus est obiectum pluriū conceptuum.

Et radix huius distinctionis duplex esse potest. Altera est vnitas eminentissima ipsius Dei, quæ non potest repræsentari vnica ratione in creaturis, sed varijs, & multiplicibus conceptibus, etiam imperfectis: & hinc oritur tot, tantaq; varietas, & diuersitas nominū, & conceptuū Dei benedicti, vt vocetur sapiens, bonus, intelligens, volens, vir, pugnator, omnipotens, &c. Altera radix est finitas intellectus creati, & proportio nostri intellectus ad sensibilia: vnde cū intellectus noster dearticulatè intelligat in rebus istis sensibilibus, aliud esse iustitiam, & aliud sapientiam, & aliud intellectum, & voluntatem, sic quoq; intelligit reperiri in Deo. Immò etiam intellectus Adæ licet non susceperit scientiam à rebus, quia habuit scientiā infusam, ita tamen necessariò intelligebat, quia intellectus suus erat proportionabilis rebus istis sensibilibus. Angelicus autem intellectus qui Deo propinquior est, non intelligit cum tanta pluralitate, & conceptuum distinctione; & quantò erit intellectus propinquior Deo, tantò cum minori conceptuum distinctione intelligit: vnde intellectus diuinus vnico conceptu, & vnico verbo seipsum intelligit: & sic aliqua cognoscuntur in Deo, secundùm quod sunt in ipso repræsentata per creaturas, omnia autem alia à Deo sunt sicuti effectus in sua causa, quod non ita est de diuinis attributis: & propterea eleuatus intellectus vno proposito principio demonstratiuo, ex ipso cognitionem accipit multarum conclusionum, quod non conuenit ei, qui est debilioris intellectionis: In patria autem vbi cognitione intuitiua videtur ipse Deus, non oportet vt multiplicetur varietas conceptuum, sed tunc erit verbum vnum, & nomen vnum.

Intellectus noster quare nō potest superiora intelligere.

Quō alia à Deo sunt in Deo.

Sed si quis instaret contra hæc, quia omnis intellectus intelligens rem aliter quàm est, falsò intelligit, cùm ab eo quod res est, vel non est oratio dicatur esse vera, vel falsa,

ſed in Deo omnia ſunt vnum, & eſt abſque omni compoſitione, igitur quando dicimus, quòd ſapientia Dei non eſt eius bonitas,& quod intellectus non eſt eius voluntas, & ſic de alijs attributis, falſo intelligimus.

Nota primo. Attributũ capitur dupliciter.

Pro explicatione huius dubitationis. Nota primò,quòd attributũ dupliciter capitur, Vno modo,pro perfectione quidditatiua,vt ſubſtantia,ſpiritus,& cetera talia. Alio modo,pro perfectione qualitatiua,vt ſapiens,iuſtus,miſericors,quæ dicitur perfectio ſecũdaria, quæ accipitur à creaturis, & attribuitur Deo, via remotionis,& eminentiæ. Dico via remotionis,quia ab accidentibus remouemus accidentalitatem,& finitatem,& alias imperfectiones,quæ ſunt in ſapientia,& iuſtitia;dico via eminentiæ,quia ablatis imperfectionibus ab his accidentibus, ſcilicet à iuſtitia,& ſapientia, attribuimus ei ſummitatem, & infinitatem: & iſto modo dicimus eſſe in Deo ſapientiam ſummam, & infinitam, & ſimiliter iuſtitiam; Dicitur perfectio ſecundaria,ad differentiam perfectionis primariæ,quia prima perfectio dicitur illa,quæ quidditatiuè prædicatur de Deo. Sed an quodlibet attributum habeat propriam infinitatem formaliter diſtinctam ab infinitate diuinæ eſſentiæ,eſt duplex opinio; altera Formalizantium tenentium,quòd ſic, altera verò, quam puto eſſe veriorem, quod attributa non habent propriam infinitatem, niſi ab eſſentia,& ſic radicaliter attributum dicitur eſſe infinitum ſimpliciter. Sed de hoc alias.

Perfectio duplex.

Nota 2. Propoſitio affirmatiua vera quid habeat.

Sciendum eſt ſecundò, quòd in qualibet propoſitione affirmatiua vera,oportet,quòd prædicatum,& ſubiectum,ſignificent idem ſecundùm rem aliquo modo, & diuerſum ſecundùm rationem. Et hoc patet tam in propoſitionibus,quæ ſunt de prędicato accidentali, quàm in illis,quæ ſunt de prædicato ſubſtantiali: manifeſtum eſt enim quod homo, & albus, ſunt idem ſubiecto,& differunt ratione, alia enim eſt ratio hominis, & alia ratio albi; & ſimiliter cum dico homo eſt animal: illud enim ipſum quod eſt homo, verè animal eſt,in eodem enim ſuppoſito eſt natura ſenſibilis,à qua dicitur animal, & rationalis,à qua dicitur homo: vnde hic quoque prædicatum,& ſubiectum, ſunt idem ſuppoſito, ſed diuerſa ratione; ſed in propoſitionibus, in quibus idem prædicatur de ſeipſo, hoc aliquo modo inuenitur,inquantum intellectus,id quod ponit ex parte ſubiecti,trahit ad partem ſuppoſiti, quod verò ponit ex parte prædicati, trahit ad naturam formæ in ſuppoſito exiſtentis, ſecundùm quod dicitur, quod prædicata tenentur formaliter,& ſubiecta materialiter. Huic verò diuerſitati,quæ eſt ſecundùm rationem,reſpondet pluralitas prædicati,& ſubiecti, identitatem verò rei, ſignificat intellectus per ipſam compoſitionem, Deus autem in ſe conſideratus omnino vnus eſt, & ſimplex, noſter tamen intellectus ſecundùm diuerſas cõpoſitiones ipſum cognoſcit, eò quod non poteſt ipſum, vt in ſeipſo eſt videre,ſed tamen quamuis intelligat ipſum ſub diuerſis conceptionibus, cognoſcit tamen, quod omnibus ſuis conceptionibus reſpondet vna & eadem res eminentiſſima,& ſimpliciſſima,præbens pabulum infinitis conceptionibus: & hanc pluralitatem quæ eſt ſecundùm rationem repræſentat per pluralitatem prædicati, & ſubiecti; vnitatem verò repręſentat intellectus per compoſitionem, & ſic format de ipſo Deo varias propoſitiones affirmatiuas, dicendo, quòd Deus eſt trinus, & vnus, omnipotens, bonus,&c.& negatiuas,aſſerendo,quòd Deus non eſt corpus,nõ eſt finitus,& ſic de alijs. His ſic ſtantibus dicitur, quòd illa propoſitio, intelligens rem aliter quàm eſt,falsò intelligit, dupliciter poteſt conſiderari. Primo ex eo, quod hoc aduerbium, aliter, poteſt determinare hoc verbum intelligit, ex parte intellecti, vel ex parte intelligentis; ſi ex parte intellecti,ſic propoſitio erit vera,& tunc eſt ſenſus,quicunque intellectus intelligit rem eſſe aliter quàm ſit,falſus eſt;ſed hoc non habet locum in propoſito,quia intellectus noſter formans propoſitionem de Deo, non dicit eum eſſe compoſitum, ſed ſimplicem; ſi verò ex parte intelligentis, ſic propoſitio eſt falſa, alius enim eſt modus intellectus in intelligendo,quàm rei in eſſendo: manifeſtum eſt enim, quòd intellectus noſter,res materiales infra ſe exiſtentes,intelligit immaterialiter,non quod intelligat eas eſſe immateriales,ſed tantum modum immaterialem habet in intelligendo;& ſimiliter cum intelligit ſimplicia,quæ ſunt ſupra ſe,intelligit ea ſecundùm modum ſuum ſcilicet compoſitè, non tamen ita quod intelligat ea eſſe compoſita, & ſic intellectus noſter non eſt falſus formans varias de Deo propoſitiones.

Prædicata tenetur formaliter,& ſubiecta materialiter.

Intellectus intelligens rem aliter quã eſt, quomodo gloſatur.

Vnde formaliter ad punctum argumenti dicendum eſt, quòd intelligens rem aliter quàm eſt ex parte rei intellectæ, & ex parte obiecti, falsò intelligit, ſed intelligens rem aliter quàm eſt ex parte modi intelligendi, non falsò intelligit, quia cogitur intellectus noſter materialia immaterialiter intelligere, & immaterialia materialiter.

Vel

Vel dicas, quòd intelligere rem aliter quàm sit, dupliciter sumi potest, Vno modo intelligendo ipsam non eo modo quo est, non tamen quod intelligatur sub modo sibi repugnante, vt intelligendo lineam, quæ vnitur materiæ sensibili, non tamen intelligendo huiusmodi materiam, Alio modo rem modo repugnanti suæ naturæ, vt intelligendo Deum esse corporeum. Dico ergo, quòd ille qui intelligit rem aliter quàm est hoc modo, fallitur, non autem primo modo: sic in proposito, quando intelliguntur distincta secundùm rationem absque habitudine ad aliqua secundùm rem distincta, non erit talis alietas. Et ad hanc distinctionem rationis secundùm rem conceptã reducitur distinctio ex natura rei, quam Aliqui docent asserentes, quòd illa distinguuntur ex natura rei, quę habent esse præter opus intellectus, sicuti est inter diuinã essentiam, & relationem: nam diuina essentia est cõmunicabilis tribus personis, relatio verò non: & hoc Probatur, quia Pater intelligens in primo signo originis, intelligit essentiam, & paternitatem, vt duo obiecta formaliter distincta, nempe essentiam communicabilem, & incommunicabilem proprietatem, & hoc secluso omni actu intellectus, ergo distincta ex natura rei, & sic distinctio virtualis, seu rationis secundùm rem conceptam & ex natura rei, coincidunt, Quod clarius patet ex hoc, quòd Deus secundùm rem, nõ est purè absolutus, nec purè respectiuus, nec mixtus, aut compositus, aut resultans ex vtroque, sed eminentissimè, & formaliter habens quod est respectiui, immò multarum rerum respectiuarum, & quod est absoluti, ita in ordine formali, seu rationum formalium non purè absolutus, nec purè respectiuus, non purè communicabilis, nec purè incommunicabilis, sed eminentissimè, ac formaliter, continens quicquid absolutè perfectionis est, & quicquid trinitas respectiua exigit. Oportet autem sic esse, quia oportet cuilibet simplicissimè rei secundùm se maximè vni respondere vnam adæquatam rationem formalem, alioquin non esset per se primò vnum adæquatum intelligibile. Et hinc est, quòd tantum est vnum verbum Dei adæquans intellectionem paterni intellectus: & sic ruit ratio illa, quia Pater nõ intelligit essentiam, & paternitatem, vt duo obiecta formalia secundùm se, sed vt vnum formaliter, & multa virtualiter: non itaque in illa summa re, atque ratione formali paternitas, & essentia sint virtualiter, sed ita quod sint formaliter, & realiter, sed distinctio earum est virtualiter, quia ita ibi sunt, ac si essent distinctè, & ita etiam exercent propria vtriusque, ac si essent distinctè. Vnde S. Thomas p.p.q.39.art.1. soluens illud argumentum, affirmatio & negatio, simul & semel non verificantur de eodem, sed affirmatio & negatio verificantur de essentia & persona, nam persona est distincta, essentia verò non est distincta, ergo persona & essentia non sunt idem: dicit, quòd inquantum essentia & persona in diuinis differunt, secundùm rationem intelligentiæ, sequitur quod aliquid possit affirmari de vno, quod negatur de altero, & per consequens quod supposito vno, non supponatur alterum: hic non plus distinguuntur attributa inter se, quàm essentia, & relationes ex Concilio Florentino, vt declaraui 1. sent. dist. 8. vbi sex opiniones de hac re annotaui, & quomodo diuina attributa ante omnem actum intellectus nullo modo distinguuntur actualiter, sed tantum virtualiter, seu fundamentaliter; vt verò terminant actum rationis ratiocinantis, sic distinguuntur actualiter, veluti lineæ variæ, quæ educuntur à centro, vsque ad circumferentiam; vt sunt in centro virtualiter distinguuntur, vt verò terminantur ad circumferentiam actualiter: propterea, optimè Illustrissimus D. Cardinalis Constantius Sarnanus in dilucida sua conciliatione inter Sanctum Thomam. & Scotum, asserit opinionem Scoti non differre ab opinione Sancti Thomæ, circa distinctionem diuinorum attributorum, quia vidit hic sapientissimus vir distinctionem ex natura rei, quam posuit Scotus coincidere cum distinctione rationis secundùm rem conceptam, &c.

Distinctio ex natura rei ad quod reducitur.

Distinctio virtualis quanã sit.

Verbum Dei est vnum.

Essentia, & persona in Deo quomodo differunt.

Opinio Illust. Card. Sarnani.

CAPITVLVM VNDECIMVM.

De distinctione formali.

HÆc distinctio formalis reperitur aliquando in eodem diuersimodè accepto, vt docet Sanctus Thomas 2.2.q.73.art.2. vbi disputat. Vtrum detractio sit peccatum mortale? & asserit, quòd peccata verborum maximè sunt dijudicanda ex intentione dicentis, seu proferentis, & quia detractio ordinatur secundùm suam rationem ad denigrandam famam alicuius, & quia ille propriè detrahit, qui loquitur de aliquo, eo absente, vt hac intentione denigret famam

Detractio est peccatũ quomodo.

famam alicuius: & subdit, quòd tunc detractio est peccatum mortale, quando quis formaliter detrahit,& non materialiter. Vnde detrahere dupliciter contingit, formaliter, & per se,& materialiter per accidens: detrahere formaliter,& per se, est quando aliquis hac intentione,& hoc fine detrahit de aliquo in eius absentia,vt denigret & auferat famam illius;& hoc est peccatum mortale,& valde graue,quia inter res temporales fama videtur esse pretiosior, per cuius defectum impeditur homo à multis bene agendis; propter quod dicitur Ecclesiast.41.cap. Curam habe de bono nomine,hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni, & pretiosi. Detrahere materialiter, & per accidens,est quando aliquis dicit aliqua verba, per quæ diminuitur fama alicuius, non hoc intendens, sed aliquid aliud, & est quando quis dicit aliqua verba, quæ ex se sunt infamatoria, nihilominus ille debitis circunstantijs obseruatis profert, & non illa intentione, nec illo fine, vt detrahet aliquem de quo profert; & tunc temporis prolatio illorum verborum dicitur detractio materialiter, & non est peccatum; similiter etiam quando profert quis aliqua verba detractoria ex leuitate animi, nec propter causam aliquam, illa detractio dicitur materialiter, & non formaliter. Ex quibus verbis apparet,quomodo sumi possunt circa ipsam detractionem hæc duo membra huius distinctionis, formaliter, vel materialiter. Eandem distinctionem videtur tangere Sanctus Thomas 3.p.q.64.art.10.vbi disputat,vtrum intentio ministrorum requiratur ad perfectionem Sacramentorum? de qua etiam materia disputat Dominicus Soto 4.sententiarum, dist.1.q.5. artic.8. quod aliquis minister dupliciter potest conferre Sacramentum, seu conficere ipsum: vno modo formaliter,alio modo materialiter; formaliter quidem minister confert,& conficit Sacramentum,quando ex intentione facit,quod intendit Christus, & Ecclesia, vt scribitur in Concilio Florentino, quod requiritur intentio ministri ad conficienda Sacramenta,præter materiam,& formam ipsorum Sacramentorum,& est vt intendat facere quod Christus instituit, & quod intendat etiam facere quod facit Ecclesia; & hinc est,quòd Baptismus collatus ab Hæreticis, si intendunt facere quod instituit Christus,& facit Ecclesia,tunc formaliter baptizant,sicuti Vgo libro 2.de Sacramentis, par.2.cap.13. asserit de Anastasio, qui ludendo baptizauit, nihilominus quia intendebat facere quod faciebat Episcopus Alexandrinus in baptizando illos pueros, fuit declaratum, quòd ille Baptismus fuit verus, & legitimus, & formalis Baptismus: materialiter autem quis confert Sacramentum aliquot, quando facit quod ceteri ministri faciunt, nihilominus non habent intentionem faciendi quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia. Ex quibus patet, posse sumi illa membra huius distinctionis formaliter, & materialiter. Quod clarius docet Alexander Alensis 4.par.q.13.membro 1. artic.1. quod conferre Sacramentum contingit dupliciter, materialiter, & formaliter, vt expositum est supra; & sic etiam dicere possumus de collatione Sacramenti Confirmationis,vt scribit Sanctus Thomas 3.par.quæst.72.art.1.vbi disputat, de ministro Sacramenti Confirmationis, asserens, quòd collatio huius Sacramenti Episcopis reseruatur, qui obtinent summam potestatem in Ecclesia, vt determinauit etiam Concilium Tridentinum, sessione 7.can.3. Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem sacerdotem, anathema sit: vnde solus Episcopus formaliter Confirmationis Sacramentũ exhibet, si autem simplex sacerdos exhiberet hoc Sacramentum Confirmationis,materialiter tantum conferret,& non formaliter, nisi hoc faceret ex commissione Summi Pontificis, vt docet ibi S.Thom. Patet ergo ex his locis, quæ sit distinctio formalis, circa detractionem, & collationem Sacramentorum, &c.

Detrahere dupliciter sumitur. Formaliter.

Materialiter.

Formaliter, & materialiter quomodo S.Thomas eis vtitur.

Anastasij baptismus fuit legitimus, & verus.

Et si quis diceret, omnis distinctio formalis est specifica, Respondet Capreolus 2.sententiarum, dist.3.quæst.1.ad decimum,dicens, quòd illa propositio intelligitur ab antiquis Philosophis de formis simplicibus completis, per se subsistentibus, quales sunt intelligentiæ: non ergo hæc maxima assumpta est contra id quod de distinctione formali diximus in præsenti cap.

CAPI-

CAPITVLVM DVODECIMVM.

De distinctione rationis ratiocinantis.

HÆc distinctio, solet etiam vocari distinctio secundùm rationem concipientem, seu significantem, & ratiocinantem, quàm ponit Sanctus Thomas p.p.q.13.art.12. vbi dicit, quòd in propositionibus, in quibus idem prædicatur de seipso, est identitas realis, & diuersitas rationis, inquantum intellectus id quod ponit ex parte subiecti, trahit ad partem suppositi, quod verò ponit ex parte prædicati trahit ad naturam formæ in supposito existentis, secundùm quod dicitur, prædicata tenentur formaliter, & subiecta materialiter, vt homo est homo. Huius distinctionis meminit Arist. 1. Priorum, cap. 33. vbi dicit, quòd finis reduplicationis est, vt notetur causa inhærentiæ prædicati ad subiectum, vt homo est animal inquantum homo; & 1. Posteriorum, cap. 13. vbi vult, quod demonstrationes variantur per media diuersa; & 5. Topicorum, cap. 4. loquitur de locis ex oppositis ad demonstrandum aliqua esse distincta, vt si aliquis est cœcus, ergo est non videns, & si aliquis est sanus, ergo est non æger, & si aliquis est pater, ergo non est filius, & si de aliquo dicitur esse, ergo ab eodem remouetur non esse. *Idem potest de seipso prædicari.*

Aliqui dicunt, quòd Arist. fecit mentionem de hac distinctione 3. Physic. tex. 18. vbi dixit, quòd actio & passio sunt idem re, & distinguuntur ratione, vt doctio, & disciplina, & via Athenarum Thebas, & Thebarum Athenas. Sed decipiuntur isti, quia ibi Philosophus loquitur de distinctione rationis ratiocinatæ, & non ratiocinantis, vt docet ibi Auerroes, quod actio, & passio sunt vnum subiecto, & duo secundùm quidditatem, idest definitionem, & rationem scilicet conceptam. Vbi nota, quòd hæc distinctio potest reperiri inter duas secundas intentiones, vel in vna, comparando eandem sibi ipsi: verbi gratia, homo inquantum est species, & animal inquantum genus, ratione distinguuntur, similiter duæ secundæ intentiones, ratione distinguuntur, vt genus, & species: vel vna secunda intētio posita à parte prædicati, & à parte subiecti, hac distinctione distinguuntur, sic & modi grammaticales, vt est nomen, & verbum, & ens actu existens ab ente cognito potentiali, vt Sortes, & Antichristus, & duo contradictoria, vt ens, & nihil, & multa alia huius generis. *Actio & passio quomodo sunt vnum.*

Sed attende hic diligenter, quòd ens rationis, vt distinguitur cōtra ens reale est illud, quod in nullo est subiectiuè, sed consequitur rem, vt est obiectiuè in intellectu, in quo est quidam modus consequens naturam, vt obijcitur intellectui: verbi gratia, natura hominis si debet intelligi, oportet vt obijciatur sine conditionibus indiuiduantibus, non inquantum habet esse in Sorte, aut Platone, sed vt quoddam cōmune, & indistinctum; communitas ergo, & indistinctio consequuntur naturam intelligibilem, non inquantum habet esse in singularibus, sic enim est indiuidua, & distincta, sed inquantum obijcitur intellectui per speciem depuratam à conditionibus indiuidualibus, & repræsentantem naturam rei in vniuersali: & talem modum, idest talem communitatem, & indistinctionem, quæ cōsequuntur naturam rei obiectam intellectui, vocamus propriè ens rationis, vt distinguitur contra ens reale; quod quidem dicitur secūda intentio obiectiuè, super quam fundat intellectus conceptum generis, vel speciei: nam ex hoc quod natura rei obijcitur intellectui, vt communis, & indistincta, intellectus apprehendit eam vt prædicabilem de multis differentibus specie, vel numero. Et quod tales modi sint verè ens rationis, probatur sic, illa communitas, & indistinctio non conueniunt rei, vt habet esse in singularibus, nec causantur ab intellectu possibili, immò præcedunt actum, prius enim natura in communi, & non vt hæc, obijcitur intellectui per receptionem speciei intelligibilis, quam intelligatur, ergo illi modi nō sunt subiectiuè in intellectu; quod enim subiectiuè est in eo, causatum est à parte intellectiua, si ergo non sunt subiectiuè, erunt igitur obiectiuè, quia non datur medium, si sunt obiectiuè in intellectu, & nullo modo habent esse in singularibus, ergo sunt verè ens rationis, vt distinguitur contra ens reale: hæc enim est definitio data de ente rationis, scilicet est illud, quod in nullo est subiectiuè, sed consequitur rem, vt est obiecta intellectui; sicut cognoscibile obijcitur potentiæ cognoscitiuè. *Ens rationis quid est.* *Esse in intellectu dupliciter, subiectiuè, & obiectiuè.*

Sed

Sed attende, quòd talis consequutio potest fieri ad primam, & ad secundam, & ad tertiam operationem intellectus, & sic diuersimodè nominatur. Nam si fit consequutio per primā operationem, nominatur ens rationis, his terminis, genus, species, singulare, &c. si per secundam operationem, nominatur his terminis subiectum, & prædicatum: si per tertiam, nominatur his terminis, antecedens, consequens, maior, minor, syllogismus, entimema, &c. & hęc omnia considerātur in Logica: & sufficienter diuiditur tale ens rationis per negationem, & relationem, vt ait S. Thom. de ver. q. 21. ar. 1. & Caie. in prædicab. Ex quo patet falsitas anthoris formalitatum, ponentis, ens rationis dici tribus modis; Primò, pro illo quod habet esse in anima subiectiuè, vt species intelligibiles, actus intelligendi, & habitus scientiarum; Secundo pro eo quod habet esse in anima obiectiuè, sicut vniuersalia sunt in anima per species à rebus causatas, vel à Deo impressas; Tertio modo pro comparatione passiua, qua per intellectum vnum obiectum cognitum comparatur alteri, & tale pręcisè dependet ab actu collatiuo rationis, & tandiu est, quandiu consideratur ab intellectu. Sed quicquid sit de hoc tertio membro, dico, primum, & secundum membrum esse entia realia; species enim intelligibiles, & actus intelligendi quis negabit esse entia realia, cùm dicat Arist. 3. de anima tex. 5. quod intellectus est locus specierum, habitus quoque scientiarum cùm sint in prima specie qualitatis? vniuersalia quoque primo intentionaliter clarè patet esse entia realia, vt homo, & animal, &c. Erit igitur ens rationis secundum Peripateticos id quod supradictum est.

Ens rationis diuersimodè nominatur.

Species intelligibiles, & actus intelligendi, sunt entia realia.

Et si quis dieeret, Videtur quod nullum sit ens rationis, quia vt cōmuniter dicitur ens rationis causari ab intellectu, sed nunc sic causa realis producit effectū realem, sed intellectus est causa realis, ergo producit effectum realem, ens antè rationis est effectus intellectus, igitur erit ens reale, ex consequenti non dabitur ens rationis; Respōdent Formalizantes, ens rationis causari ab intellectu non actu recto, sed actu collatiuo; actus enim rectus est, qui immediatè fertur in aliquod obiectum; actus autem collatiuus est comparatiuus, & est tunc, quando comparatur vnum obiectum ad alterum: vnde Arist. loquens de actu recto intellectus 3. de anima, tex. 28. dixit, quod est intelligentia simplicium; de actu collatiuo loquens 5. met. t. 14. dixit, quod intellectus vtitur vno vt duobus, vnde ens rationis non causatur ab intellectu, nisi per actum collatiuum. Sed hæc responsio nulla est, quia semper intellectus est causa realis, siue per actum rectum, siue per actū collatiuum, & sic effectus eius quo ad vtrunq; actum erit realis, propterea sequeretur quod voluntas quoq; potuisset causare ens rationis: probatur consequentia, quia voluntas habet actum rectum, & collatiuum, actus enim rectus voluntatis est, quando voluntas vult virtutes, & opera misericordiæ propter Deum, vt scripsit ipsemet Scotus 1. sentent. dist. 45. actus collatiuus est, quando comparat vnum obiectum bonum alteri meliori, vel optimo; Secundò sequitur, quod sensus quoq; causaret ens rationis, quia & ipse habet actum rectum, & collatiuum, vt docuit Arist. 2. de anima, tex. 146. vbi probauit dari sensum cōmunem, qui actu recto cognoscit proprium obiectū, actu verò collatiuo cognoscit diuersitatem obiectorum propriorum sensuum: nam potentia ponens differentiam inter aliqua duo, perfectè cognoscit illa sub propria ratione, sed sensus communis ponit differentiam inter visibile, & audibile, &c. ergo cognoscit illa; non actu recto, ergo collatiuo.

Sensus communis actu recto cognoscit suū proprium obiectum.

Adde etiam, quod bruta animalia possent causare ens rationis: consequentia probatur, quia habent actum collatiuum ęstimatiuę, per æstimatiuam enim possunt comparare vnam herbam virentem alteri non viridi, & sic causabunt ens reaitonis, quod est falsum, vt scribit Caiet. in p. p. S. Thom. q. 28. ar. 1. contra Scot. 1. sent. d. 45. Idcirco dicendum est, ens rationis non causari ab aliquo, sed consequi res ipsas obiectas intellectui, vnde in nullo est subiectiuè.

Patet ergo ex dictis, quot sunt species distinctionū apud S. Thomam; cęterę verò quas aliqui formalizantes introducunt, vel reducuntur ad supradictas, vel ęquiualēt nihilo; Introducunt enim Primò distinctionem realem, cuius extrema sunt distincta, tanquā res positiuę, quarum altera de altera non prædicatur, vt duo indiuidua, quorum vnū potest per se existere sine alio secundum naturam; sed hanc etiam nos posuimus de mente S. Thomæ. Ponunt secundo distinctionem essentialem, quæ est dependentia essentialis vnius ab altero, puta effectus à causa, quam nos supra cōmemorauimus inter potētias, & animam ipsam reperiri. Tertio dicunt dari distinctionem qua aliqua distinguuntur se totis obiectiuè, quę in nulla realitate potentiali contrahibili cōueniunt, vt diuinę personę. Quam distinctionem posuimus de mente S. Thomæ esse distinctionem respectiuam;

Distinctio se totis subiectiuè.

Quartò

Quartò afferunt, distinctionem qua aliqua distinguuntur se totis obiectiuè, de quibus non potest prædicari aliquod prædicatum quidditatiuè, siue illud sit limitatum, siue transcendens; vt passiones entis à seinuicem, & ab ente distinguuntur se totis obiectiuè, & omnes vltimæ differentiæ. Quæ quidem distinctio stare non potest, quia nihil subterfugit rationem entis, & propterea vltimæ differentiæ & ipsæ passiones entis oportet vt conueniant in ente, quia passiones entis, & vltimæ differentiæ sunt definibiles, vel saltem descriptibiles, ergo definiuntur, vel describuntur formaliter per ens, vel per nihil; quoniam non datur medium inter ens communissimum, & nihil: non est dicendum quod per nihil, ergo per ens, igitur ens prædicabitur quidditatiuè de vltimis differentijs, & de passionibus suis, quia omne definiens, siue describens, saltem intrinsecè prædicatur in primo modo dicendi per se, & sic non distinguuntur se totis obiectiuè: vnde hæc distinctio, vel non datur, vel reducenda venit ad supradictas Sancti Thomæ distinctiones. *Nihil subterfugit rationem entis.*

Quintam distinctionem quam appellant ex natura rei, iam dictum est coincidere cum distinctione illa, quam nos vocamus distinctionem rationis ratiocinatæ, seu virtualem, & causalem, seu distinguibilitatem actitudinaliter, quando vna res simplicissima & eminentissima correspondet pluribus conceptibus, &c.

Sextam quoque distinctionem rationis, quam ipsi Formalizantes ponunt per actum collatiuum intellectus, vocauimus supra distinctionem rationis ratiocinantis, ad mentem Thomistarum: sed an detur aliqua alia distinctio qua distinguuntur nouem illa genera modorum intrinsecorum, scilicet finitum & infinitum, actus & potentia, necessarium & contingens, existentia, realitas, proprietas indiuidualis, seu heccheitas? modum intrinsecum vocant Formalizantes illum qui adueniens alicui formæ, seu quidditati, non variat eius formalem rationem; verbi gratia signetur albedo, tunc certum est, quod aliquis modus competit secundùm magis, & aliquis secundùm minus, dato quod Sorti competat albedo, vt trium graduum, Platoni verò vt quatuor, vbi esset diuersa participatio albedinis, non tamen esset variatio in ista ratione formali, quoniam Sortes est verè albus, & Plato est verè albus, licet Plato albior sit Sorte; quia nullum posterius potest variare esse sui prioris, sed modus intrinsecus est posterior eo cuius est modus, scilicet quidditate, igitur modus intrinsecus non potest variare esse sui prioris, cum modus sit adiacens rei determinatio. Vnde necesse est ponere aliam distinctionem modalem qua distinguantur isti modi. Sed hęc etiam modalis distinctio, ita ab istis vocata, reducitur quoque ad supradictas distinctiones, quia aut est realis, aut rationis; si primò, reducitur ad distinctiones reales; si secundò tunc reducenda venit ad distinctiones rationis: non ergo dabitur hæc modalis distinctio à supradictis, nisi vt supra nos commemorauimus. *Genera modorum intrinsecorum, quæ sint.* *Modus, est adiacens rei determinatio.*

CAPITVLVM DECIMVMTERTIVM.

De distinctione Grammaticali.

HÆc distinctio est, qua aliquæ dictiones distinguuntur ab inuicem, vt docet Alexander Achillinus Bononiensis Philosophus celeberrimus, libro 1. de elementis, dub. 23. vbi asserit, quod ens, & esse, sola grammaticali distinctione separantur, quæ inueniri solet inter participium, & verbum; ens enim est participium, esse verò est verbum; & sic etiam ens, vt dicit essentiam, capitur nominaliter ens, vt dicit ex esse, capitur participialiter, & sic distinguuntur sola alietate verborum sum, es, est, & existo, existis, existit, sunt verba substantiua, quæ non distinguuntur distinctione reali, sed distinctione grammaticali. Hanc quoque distinctionem posuit Sanctus Thomas, 1. parte, quæst. 41. artic. 6. & 1. sententiarum, dist. 7. quæst. 2. art. 2. & de potentia Dei, quæst. 2. art. 1. vbi disputat si filius potest generare alium filium, Quia cuicunque inest potentia generandi potest generare, sed filio inest potentia generandi, ergo poterit generare alium filium; Et respódet Sanctus Thomas, quòd si ly generandi sit gerundium verbi actiui, vt sit sensus, filius habet potentiam ad generandum, non est concedenda ista propositio; si verò ly generandi sit gerundium verbi passiui, sic conceditur quod filius habet potentiam generandi, idest vt generetur à patre: similiter *Ens & esse quomodo distinguuntur.* *Filius non generat.*

si sit gerundium verbi impersonalis, vt sit sensus, filius habet potentiam generandi, idest qua ab aliqua persona generatur, sic est concedenda, qua potentia generandi significat naturam diuinam in recto, & in obliquo relationem; & quia tam Filius, quàm Pater conueniunt in natura diuina, licet distinguantur in relationibus, propterea in Filio est potentia illa generandi, vt significat ipsam diuinam naturam, est tamen cum alia relatione in Filio, & cum alia in Patre. Ex quibus nascitur, quod generandi secundùm gerundium actiuum vel passiuum, vel impersonale, non distinguuntur, nisi distinctione grammaticali. Quod etiam Sanctus Thomas docuit 1. parte, quæst. 45. artic. 3. & 1. sententiarum, dist. 40. q. 1. art. 1. & de potentia Dei, q. 3. art. 3. de creatione, & creare, quæ distinguuntur distinctione grammaticali. Et clarius idem Sanctus Thomas loquens de actibus notionalibus, q. 41. art. 1. num attribuendi sint diuinis personis, in argumento 3. ita arguit: Proprium actionis est ex se passionem inferre, sed in diuinis non ponuntur passiones, ergo neque actus notionales ibi ponendi sunt. Et explicando solutionem huius argumenti, dicit, quòd origo alicuius ab alio non cognoscitur, nisi per motum; quod enim aliqua res à sua dispositione remoueatur, per motum necessum est remoueri: & ideo actio secundùm primam impositionem nominis importat originem motus; sicut enim motus, prout est in mobili ab aliquo dicitur passio, ita origo ipsius motus secundùm quod incipit ab alio, & terminatur in id quod mouetur, vocatur actio: igitur remoto ipso motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis secundùm quod est à principio: vnde cùm in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est quàm habitudo principij ad personam quæ est à principio, quæ quidem habitudines sunt ipsę relationes vel notiones, & quia actio secundùm quod importat originem motus, infert ex se passionem, sic autem non ponitur actio in diuinis personis: vnde non ponuntur ibi passiones, nisi grammaticè loquendo, quantum ad modum significandi, sicut Patri attribuimus generare & Filio generari.

Origo cognoscitur per motum.

Sotus quoque 4. sententiarum, distinctione 1. quæstione 3. articulo 1. loquens quomodo Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato, dicit, quòd operatum verius significat actionem, quàm passionem, sicut operari, propterea operari & operatum, distinguuntur grammaticaliter sicuti scientia, & scire, sapientia, & sapere, cursus, & currere: quo etiam pacto voluerunt aliqui essentiam, & existentiam distingui. Sed quicquid sit de re horum quæsitorum, sufficit nobis, quod hanc distinctionem grammaticalem multi illustres Doctores docent, & acceptant: quia an opus operatum sit vocabulum barbarum, vt dicit Dominicus de Soto, Ego non affirmo; cùm Concilium Tridentinum, sessione 7. can. 8. vtatur illo modo loquendi, dicens, Si quis dixerit per Sacramenta nouæ legis ex opere operato, non conferri gratiam, sed solam fidem diuinę promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit. De quęstione etiam illa, num essentia, & existentia grammaticali distinctione distinguantur, vt voluit Aureolus apud Capreolum; vel distinctione respectiua, vt dixit Henricus quolibeto 8. quęst. 3. quod creatura si refertur ad Deum, tanquam ad causam exemplarem, dicitur habere essentiam; vt verò refertur ad Deum, tanquam ad causam efficientem, dicitur habere existentiam: vel vt dixit Scotus 3. sententiarum, dist. 6. quęst. 1. quod essentia, & existentia distinguuntur distinctione formali ex natura rei, vt res differt à suo modo: vel vt tenet Sanctus Thomas de ente, & essentia, cap. 5. quod distinguuntur realiter, plura diximus in dilucidationibus nostris 4. Met. dilucid. Patet ergo esse plures distinctiones ad mentem Sancti Thomę, omnes tamen reduci ad distinctionem realem, & rationis, & nulla datur media inter istas. De quęstione illa, num essentia distinguantur ab existentia, lege S. Thom. 5. cap. de ente, & essentia, vbi ostendit, quomodo quidditas est ipsa met intelligentia, ideo quidditas vel essentia eius est ipsum quod est ipsa, & esse suum receptum à Deo est id quod subsistit in rerum natura; & propter hoc à quibusdam huiusmodi substantię dicuntur componi ex quo est & quod est, vel ex quo est & essentia, & Caietanus ibidem disputat contra Scotum, an esse actualis existentię & essentia distinguantur realiter.

Operatum, & operans.

Res differt à suo modo.

CAPI-

CAPITVLVM DECIMVMQVARTVM.

Hic ponuntur rationes probantes dari diſtinctionem ex natura rei.

SVNT nedum rationes plurimæ, ſed tractatus,& magni libri quos conficiunt Formalizantes, ad probandum dari diſtinctionem formalem ex natura rei, mediam inter diſtinctionem realem, & rationis; immò ipſam negantes appellant exules,& alienos à veritate;& cupientes vitare Scillam, incidunt in Caribdim, in quam Ariſtoteles 1. Phyſic. tex. 21. adduxit Parmenidem & Meliſſum. Hi dum aſſerunt omnia vnum eſſe ens, coacti fuerunt poſtea negare equum eſſe diſtinctum ab albedine,& multa alia inconuenientia poſuerunt,contra quos arguit Ariſtoteles 1.Phyſicorum,tex. 38. ſupponens primo,quòd principium maxime proprium ad diſputandum contra Parmenidem, & Meliſſum eſt, quia ens dicitur multipliciter. Quo ſuppoſito arguit ſic, Qui dicunt omnia eſſe vnum ens, aut dicunt omnia eſſe ſubſtantiam tantum, aut quantitatem,aut qualitatem; aut ſubſtantiam cum qualitate & quantitate; ſi dicunt omnia eſſe vnum,ideſt ſubſtantiam tantum,aut dicunt omnia eſſe equum,vel hominem, vel aliquod aliud animal; & ſi iſti ſic dicerent omnia eſſe equum, negarent diſtinctionem entium, ſecundùm exiſtentiam, nam Sortes exiſtit,& equus exiſtit; & ſi omnia ſunt tantum homo, tunc Sortes, & equus non eſſent diſtincta realiter, & ſic negando iſta eſſe diſtincta realiter, coguntur negare diſtinctionem entium, ſecundùm exiſtentiam. Nec poſſent dicere Antiqui, quòd omnia ſunt vnum, & hoc erit quantitas tantùm, quia tunc aut erit hoc paruum quantum, aut hoc magnum, aut qualitas tantum, quia tunc erit aut hoc album, aut hoc nigrum, ſed iſta ſunt impoſſibilia,quia tunc eſſent accidentia ſine ſubſtantia: & ponendo,quòd omnia ſunt,aut hoc album,aut hoc nigrum, negarent diſtinctionem entium ſecundùm exiſtentiam. Similiter contingit illis, qui tantùm ponunt diſtinctionem rationis, & realem, & negant formalem, coacti ſunt dicere, quòd ſapientia, & eſſentia diuina ſunt omninò eadem, & non ſunt diſtincta, niſi per intellectum; ſimiliter ſpiratio actiua, & paternitas eadem omnino erunt: idem oportet dicere de actione & paſſione,quod omnia erunt indiſtincta, & ſi diſtinguuntur per intellectum, ſolum erunt diſtincta ſecundùm rationem, quæ omnia ſunt falſa. Hinc luce meridiana clarius patet, eſſe & dari hanc mediam diſtinctionem formalem, inter diſtinctionem rationis, & realem, contra Thomiſtas, & Ægidianos.

Tractatus & labor Formalizantium.

Opinio Parmenidis & Meliſſi. de ente.

Impoſſibilia quæ accidebant Antiquis.

2 Præterea Ariſtoteles libro Prædicamentorum, cap. de qualitate, ait, quòd idem calor numero qui eſt in prima ſpecie qualitatis, tanquam diſpoſitio, eſt & in tertia ſpecie qualitatis,vt paſſibilis qualitas, ſed certum eſt quod idem calor numero eſt realiter idem, & ponitur ſub diuerſis ſpeciebus, ergo oportet ponere diuerſas formalitates, per quas facit diuerſas ſpecies, & ſic cum identitate reali oportet ponere diuerſas formalitates.

3 Præterea 3.Phyſic. Ariſt.tex.23.& 19.ait, quòd actio,& paſſio ſunt vnum,& idem realiter numero, habent tamen quodquid erat eſſe alterum, & alterum diſtincta, ſed diſtinctio per quodquid erat eſſe arguit diſtinctionem formalitatum, ergo cum eadem re eſſentialiter ſtabit diuerſitas formalitatum.

Actio et paſſio ſunt idem.

4 Præterea Ariſtoteles 5.Ethic. cap.3. ait, quòd virtus & iuſtitia ſunt eadem res, ſed tamen ſunt diſtinctæ ſecundùm rationem quidditatiuè, ſed diſtingui per rationem quidditatiuam, eſt diſtingui formaliter: ergo cum identitate reali ſtat pluralitas formalitatum.

5 Præterea Ariſtoteles 4.metaph.tex.3. vult, quòd ens, & vnum ſunt vna natura, & diſtincta ratione quidditatiua, & per conſequens ſunt eadem realiter, & diſtincta formaliter, igitur cum identitate rei & rei, eſſentiæ & eſſentiæ, naturæ & naturæ, ſtabit diſtinctio quidditatiua, & formalis. Et ſi dicatur, non ſoluendo, ſed proteruiendo, ſicut conſueuerunt aliqui, quòd Philoſophus capit ibi ens & vnum,vt diſtincta ſecundùm rationem, ideſt per intellectum; Contra hanc proteruiam, arguitur ſic, Magis diſtinguitur ens ab vno, quàm ens ab ente, ſed ens ab ente diſtinguitur diſtinctione rationis,

Ens et vnum ſunt vna natura.

ergo oportet quòd sumatur minor distinctio ibi, quàm distinctio rationis; & per consequens sumetur ratio pro ratione quidditatiua, & non pro ratione intellectus, quæ ratio, vel distinctio quidditatiua est maior quàm ratio, vel distinctio intellectus, & hæc erit distinctio formalis, &c.

Essentia diuina nō est alia à supposit is. 6 Præterea certum est, quòd essentia diuina à supposito, puta à Patre, & Filio, non est alia essentialiter, & realiter; quia si hoc iam esset, daretur pluralitas in diuinis, quod est hæreticum, & tamen conceditur, quòd ibi est diuersitas formalis in absolutis: nam etsi Pater dicatur ad alterum, scilicet ad Filium, & Filius ad Patrem, tamen essentia non dicitur ad aliud, quia secundùm Augustinum, libro 7. de Trinitate, cap. 1. quod ad aliud dicitur non est essentia, ergo debet intelligi formaliter, & sic cum identitate rei stabit distinctio formalis.

7 Præterea, accipio vnam rem, puta hominem, & pono in eo duas formalitates, puta rationale, & risibile, & tunc quæro de istis, secluso opere intellectus, aut verificantur duo contradictoria, aut non; non est dicendum, quòd non, quia rationale, & risibile, ita se habent, quòd vnum est propria passio, & alterum non, vnum est differentia essentialis, & alterum non, quæ ad inuicem contradicunt, ergo ista duo non erunt distincta per opus intellectus, quia de eis verificantur contradictoria, sine opere intellectus: non distinguuntur realiter, quia sunt vna res, ergo media distinctione distinguuntur, & sic dabitur media distinctio inter distinctionem realem & rationis: hæc autem non est nisi formalis, igitur &c.

Volūtas agit liberè, & non cognoscit. 8 Præterea, accipio intellectum qui est cognoscitiuus, & voluntatem, quæ non est cognoscitiua: nam dicitur voluntas nostra cæca, eò quòd agit liberè, & non naturaliter, de intellectu verò dicitur, quod est cognoscitiuus, & discursiuus, & naturaliter agit; Tunc sic, esse cognoscens, & non esse cognoscens, sunt contra distincta, quia agere naturaliter, & non agere naturaliter, contradicunt, ergo illa super quibus fundantur talia prædicata contradictoria, non sunt distincta per intellectum, quia de his verificantur prædicata contradictoria secluso omni opere collatiuo intellectus, igitur intellectus, & voluntas non ratione distinguuntur, neque realiter, quia sunt vna res, ergo media distinctione, quæ est distinctio formalis, &c.

9 Præterea Aristoteles 6. metaphysices, tex. 2. ponit habitus scientiarum abinuicem distingui, secundùm diuersum modum considerandi, & quod idem subiectum naturaliter consideratur in Philosophia, in Mathematica, & in Metaphysica. Nam ens, vt est mobile, consideratur à Philosopho naturali: vt est quantum, habens dimensiones, consideratur à Mathematico: & quatenus est ens, à Metaphysico. Ecce quomodo vna met res numero habet diuersas formalitates. Immò homo, vt species, consideratur à Logico; vt est ens naturale, à Physico; vt quantus, à Mathematico; vt animal rationale, à Metaphysico; & vt beatificabilis, à Theologo. Hæ diuersæ formalitates constituunt diuersas considerationes, quæ quidem non sunt purè entia rationis, nec pure entia realia, igitur quædam media, quæ faciunt distinctionem formalem mediam inter distinctionem realem, & rationis.

Vna res habet diuersas formalitates.

10 Præterea, Aristoteles 1. Physicorum, tex. 5. ponit, quod definitio, & definitum sunt vna res numero, & sunt aliquo pacto distincta, sed non sunt distincta realiter, quia tunc non esset vna res numero, nec sunt distincta secundùm rationem, quia definitio diuidit in singula, ait Aristoteles, ergo distinguuntur formaliter, & sic vltra distinctionem realem, & rationis, datur distinctio formalis, &c. Et hæc positio formalitatum fundatur in sacra Scriptura: nam ait Apostolus ad Rom. cap. 1. Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur. Ista autem inuisibilia, aut sunt essentialia, & tunc habentur multa essentialia conspecta, & non ficta, aut personalia sunt, ista autem secundùm Augustinum, & Hilarium non conceduntur plura in neutro genere, personæ enim sunt plures, & non plura, ergo &c.

Diuinæ personæ sunt plures, nō plura.

CAPI-

CAPITVLVM DECIMVMQVINTVM.

Ponuntur hic argumenta impugnantia distinctionem formalem hanc mediam, ex natura rei.

QVOD nulla detur distinctio formalis, media inter distinctionem realem, & rationis, sed omnis distinctio necesse est vt ponatur sub altero istorum membrorum. Probatur primò sic. Nulla propria passio extenditur vltra suum proprium, & adæquatum subiectum, quia subiectum, & passio debent esse eiusdem ambitus, sed distinctio est passio entis, ergo non protenditur vltra ipsum ens; hoc antem vel est reale, vel rationis, vt scripsit Aristoteles 5.metaph. tex.5. igitur omnis distinctio vel est realis, vel rationis, & sic nulla dabitur distinctio media inter distinctionem realem, & rationis, vt dicitur in conclusione proposita. *Propria passio alicuius subiecti, non excedit ipsum*

Sed hanc rationem Formalizantes arbitrantur se soluere, dicendo, quòd distinctio non est passio vnica, & simplex entis, quia ens ad quodlibet ens comparatum non est semper distinctum, sed est aut idem, aut distinctum. Sed hæc responsio est nulla, quia dato, quòd distinctio, & identitas sit passio disiuncta ipsius entis, vt vult Philosophus 10. metaphys. tex. 12. eò magis concludit argumentum; quod sicuti ens non est, nisi duplex, reale & rationis, ita identitas, & distinctio non est nisi duplex realis, & rationis. Vnde videntes responsionem istam esse nullius momenti, inuenerunt aliam responsionem, dicentes, quòd omnis distinctio non dependens ab opere intellectus est realis, & rationis est illa, quæ dependet ab intellectu, modò distinctio non dependens ab intellectu, est quodam genus ad omnes species distinctionum non dependentium ab intellectu, tamen inter illas distinctiones mediat distinctio ex natura rei, & formalis. Sed hæc responsio est debilior prima, & contra Aristotelem expressè 4.metaph.tex.14. vbi nullum medium ponit inter contradictoria, sed distinctio realis, & rationis sunt duo extrema contradictoria, igitur inter ipsas nulla alia mediat, ex consequenti fictitia est distinctio illa formalis, & ex natura rei quam ponunt esse mediam. Quod autem distinctio rationis, & realis, sint contradictoria Probo: quia illa dicuntur esse contradictoria, quorum vnum totaliter negatur ab altero, & econuerso, sed sic est quod ens reale totaliter negatur ab ente rationis, & econtrario, ergo &c. Confirmatur per rationem ipsorum probantem, non dari analogum contra Thomistas, quia æquiuocum, & vniuocum sunt contradictoria, inter quæ nullum datur medium, igitur omne quod est aut est æquiuocũ, aut vniuocum, & sic nullum est analogum: vnde si hæc ratio concludit contra Thomistas, valet etiam & ratio adducta contra Formalizantes. Et Confirmatur sic: Formatum à Deo & non formatum, sunt contradictoria, & nullum est medium inter ea, sed ens reale est tantum à Deo formatum, ens rationis non est formatum à Deo, vt ait Franciscus de Maironis in quolib. suis, q.6. ar.19. diuinus intellectus non format entia rationis, sed tantum intellectus, qui est discursiuus, igitur nullum est medium inter ens reale, & rationis. Distinctio ergo formalis, & ex natura rei, aut collocabitur sub ente reali, aut sub ente rationis, vt ait Sanctus Thomas. *Ens duplex est, reale, & rationis.* *Inter contradictoria non datur mediũ.*

2 Præterea, accipio duas formalitates, & sint A, & B, vel igitur A, & B, sunt aliquæ res, vel nullæ res; si sunt aliquæ res, igitur quæ formaliter distinguuntur, realiter distinguuntur; si nihil, pro nihilo habeantur, quia quod omnino nulla res est, nihil est, per Beatum Augustinum lib.1.de doctrina Christiana, c.1. Patet etiam ratione, quia res, & ens conuertuntur, ex 4.met.tex.4. ergo quod nulla res est, nullum ens est, & sic erit nihil, igitur &c. Respondent aduersarij, asserentes illas duas formalitates non esse aliquas res, sed realitates, immo magis aliquid rei; Et quando infertur, ergo distinguuntur realiter, acceptant, sumendo distinctionem realem largè pro omni distinctione, quæ est secluso opere intellectus, non tamen distinguuntur realiter, accipiendo propriè distinctionem realem, pro illa quæ est inter rem, & rem. Sed hæc responsio videtur implicare contradictionem. Primo, dicendo quod sunt realitates, & aliquid rei, sed non aliquæ res; ac si dicamus, quòd aliquid aquæ non est aqua, & aliquid vini nõ est vinum, & sic de sanguine, &c. Deinde implicant etiam ibi, quando dicunt, quòd distinctio formalis est realis, secluso opere intel- *An formalitas sit res aliqua.*

intellectus,& hoc est,quòd nos dicimus distinctionem formalem,& ex natura rei claudi sub altero horum membrorum,vel realis,vel rationis,idcirco argumentum hoc concludit id quod intendebat.

Distinctio ex natura rei qd importat.

3 Præterea,illa quæ distinguuntur ex natura rei,sunt distincta realiter,patet ex virtute vocabuli,nihil enim aliud videtur esse distinctio ex natura rei,quàm distinctio realis,& econtra,sed illa quæ distinguuntur formaliter distinguuntur ex natura rei per aduersarios,igitur &c. & probatur minor,quia distinctio per formalitates est extra actum intellectus, vel non, sed ex comparatione intellectus. Patet per omnes qui ponunt istas formalitates, si secundum, videlicet quod distinctio per formalitates fit opus collatiuũ, siue per operationem intellectus, tunc erit distinctio rationis,quod est contra Formalizantes, si est extra actum intellectus, igitur erit ex natura rei, & per consequens realis, quod est propositum; Respondent aduersarij ad maiorem, quod vera est, intelligendo realiter,idest per realitates,non tamen sicut res,& res; quia alia est distinctio rei, & alia ex natura rei.Sed hæc responsio interimit seipsam,quia argumentum non intendit concludere distinctionem formalem esse distinctionem realem, realitate existentiæ, sed esse realem, prout distinguitur contra distinctionem factam per intellectum: ita quod nihil mediat inter distinctionem rationis, & realem distinctionem,etiam largo modo, & non propriè sumendo realitatem, vt ipsimet dicunt: ita quod hoc non possunt subterfugere, & velint nolint, oportet eos concedere quod intendit argumentum.

Alia est distinctio rei,et alia ex natura rei.

4 Præterea, sicut se habet res subiecti ad formalitatem subiecti,ita se habet res propriæ passionis ad formalitatem propriæ passionis,ergo per locum à trãsmutata proportione,sicut se habet res subiecti ad rẽ propriæ passionis, ita formalitas subiecti ad formalitatem propriæ passionis:sed res subiecti est eadem cũ re propriæ passionis per aduersarios,dicentes esse idem essentialiter & realiter: ergo formalitas subiecti est eadem cum formalitate propriæ passionis,& sic non distinguuntur,nec formaliter,nec ex natura rei. Aliqui respõdentes huic argumento,negant esse locum à transmutata proportione, asserentes,ꝙ debent esse res distinctæ,vbi debet esse proportio rerum,cum igitur res subiecti non sit alia res à re passionis,sed eadem & indistincta, ideo non potest fundare proportionem,nec per consequens erit locus à transmutata proportione. Sed hæc responsio est contra Arist.2.de anima,tex.36. vbi ponit animã esse causam corporis animati,& suarum proprietatum, in triplici genere causæ, formalis, finalis,& efficientis, modò causa realiter distinguitur à suo effectu,sed subiectum est causa efficiens, finalis,& materialis respectu suæ propriæ passionis determinatè, ergo realiter distinguitur à sua passione: & sic currit argumentum fundatum super locum à transmutata proportione. Huius etiã opinionis, quòd passio determinata, & prædicamentalis distinguatur realiter realitate essentiæ à suo subiecto,est Auerr.lib.de substantia orbis c.2.quod dico propter passiones transcendentes,puta vnum & verum,&c.quæ identificantur cũ suo subiecto,quod est ens. Huius etiam opinionis est Marcus Antonius Zimarra in contradictionibus super 4.met. Sic etiam & Porphyrius posuit quartum prædicabile esse realiter distinctum à secundo, quod est species: immò si passio nõ esset realiter distincta à subiecto,nulla daretur scientia realis, quia passio realiter debet demonstrari de subiecto.Patet igitur responsionem istam esse nullam. Quod videntes, fuerunt coacti dare aliam responsionem, dicentes in argumento esse similitudinem,& dissimilitudinem; similitudo est ista,ꝙ sicut res subiecti non potest esse sine formalitate passionis; dissimilitudo autem propter quam non valet est, quia res subiecti transit in identitatem realem cum re passionis, & econtra, formalitas autem subiecti non transit in identitatem formalem cum formalitate passionis, nec econtra. Sed hæc responsio est debilior prima,quia posito de mente Arist.& Auerr. & Zimarræ, & omnium bonorum authorum, quod passio prædicamentalis realiter distinguatur à subiecto suo, tunc res subiecti potest esse sine re passionis, quia prius, vt prius, non repugnat ei esse sine suo posteriori, sed subiectum est prius passione, & causa eius, ergo poterit esse sine sua passione. Quod patet ex Arist.7.metaph.tex.4. vbi ponit substantiam esse priorem cognitione, definitione, tempore, & natura suis accidentibus. Et Auerroes in comm.dicit, quòd substantia est prior alijs prædicamentis,his prioritatibus dictis ab Aristotele: vnde Mauritius in Annotationibus marginalibus,videns primã & secundam responsionem non euacuare vim argumenti,concedit,quòd inferebatur per commutatam proportionem, quod negauerunt illi dicentes, quòd verum est, quod sicut res subiecti est eadem cum formalitate passionis vniformiter, idest realiter,quod si infe-

Anima est in triplici genere causa.

Res subiecti, & formalitas subiecti.

Substantia est prior accidente.

si inferatur, sunt idem realiter, ergo formaliter est fallacia consequentis; si verò incommutata proportione inferatur, quod sicut res subiecti est eadem realiter cum re passionis, ita formalitas subiecti est eadem formaliter cum formalitate passionis, non sequitur dicit ipse.

Verùm si quis diligenter consideret hanc responsionem, potius confirmat argumentum, quàm ipsum dissoluit; quia si verum est, vt ipse dicit, quòd res subiecti est eadem cum re passionis, & formalitas subiecti est eadem cum formalitate passionis, ergo subiectum, & passio, erunt idem realiter, & formaliter. Et hoc argumentum currit in omnibus; quia posito, quòd res aquæ sit eadem cum re aeris, & formalitas aquæ, eadem cum formalitate aeris, tunc aqua, & aer sunt eadem realiter, & formaliter: & sic patet vis, & robur argumenti. Quemadmodum si quis argueret, Sicuti se habet potentia ad potentiam, ita sapientia ad sapientiam, sed potentia & potentia sunt idem potenter, ergo sapientia, & sapientia sunt idem sapienter: ita etiam, sicuti se habet res ad rem, ita formalitas ad formalitatem, sed res, & res, sunt eadem realiter, ergo formalitas, & formalitas sunt eadem formaliter: non est alia differentia, nisi grammaticalis, scilicet penes nomen & aduerbium. *Impugnatur Mauritius.* *Potentia potenter, sapientia sapienter.*

5 Præterea, illud quod est substantia, est vera res, sed formalitas substantiæ est substantia, igitur formalitas substantiæ est vera res; maior patet quia est predicatio superioris de inferiori; minor quoque est manifesta ex se, quia formalitas substãtiæ est quod quid erat eius, ex Arist. 7. metaph. tex. 20. igitur quodquid est substantiæ, est substantia. Tunc vltra, quæcunque per veram rem distinguuntur realiter distinguuntur, sed quę formaliter distinguuntur, per veram rem distinguuntur, ergo quęcunque formaliter distinguuntur, realiter distinguuntur. Respondentes ad hoc argumentum, dicunt, quòd formalitas substantię est vera res, si sit substantia in recto, vnde eo modo, quo talis formalitas est substantia, est res, sed non omnis formalitas substantiæ est substantia in recto, sed aliqua in recto, & aliqua in obliquo; quare propriè non debet dici illa, quæ est in obliquo propriè substantia, sed substantiæ, & ideo non oportet quod illa quę sunt distincta per formalitates, semper distinguantur sicut res, & res, sed sicut rei, & rei. Et quidam alius addit, quod quędam est formalitas adęquata, & quędam partialis: prima dicitur vera substantia in recto, secunda verò substantia in obliquo. Sed hęc responsio non est digna tanto viro, quia hic loquimur metaphysicè, & non grammaticè; formalitas alicuius dicitur quodquid erat esse illius adęquatè, & non partialiter in recto, & non in obliquo: propterea concludit argumentum, quod si formalitas substantiæ est vera res metaphysicè, vt coguntur concedere, ergo quę distinguuntur per veram rem metaphysicè, distinguuntur realiter metaphysicè, sed per vim argumenti, quę distinguuntur formaliter, distinguuntur per veram rem metaphysicè, igitur omnia quę formaliter distinguuntur, realiter etiam distinguuntur. Si autem tu fugis ad rectum, vel ad obliquum, hoc est grammaticaliter loqui, & non metaphysicè in nostro proposito. *Formalitas substantiæ, est vera res.* *Disputatio hæc est Metaphysica.*

6 Quæcunque habent diuersas definitiones distinguũtur realiter, vel ratione; Patet ista, quia definitiones diuersę, siue differentię, cum eisdem positę videntur sufficere ad distinctionẽ realem, vel rationis, sed illa quę distinguuntur per formalitates, habent diuersas definitiones, vt dicunt ipsi Formalizantes, igitur distinguuntur realiter, vel ratione, ergo non dabitur distinctio formalis media, vt ipsi fingunt. Verùm respondent ad hoc, dicendo, ꝙ definitio est duplex; altera quę constituitur ex genere, & differentia; altera verò quę est ratio formalis attingibilis ab intellectu ex natura rei, & quod argumentum concludit de prima definitione, non autem de his quę habent secundam definitionem. *Definitio est duplex.*

Sed contra hanc responsionem instatur, quia ita se habet ratio formalis, ad id cuius est ratio formalis, sicuti ratio quidditatiua constituta ex genere, & differentia, ad id cuius est talis definitio, sed per responsionem datam, illa quę habent veras definitiones quidditatiuas constitutas ex genere & differentia, vt sunt species, distinguuntur realiter per ipsos, ergo & illa quę habent diuersas rationes formales descriptiuas, vt sunt genera generalissima, quę non possunt propria definitione definiri, sed tantum describi. Vel dicendum, si non distinguuntur realiter, distinguuntur ratione; & Confirmatur, quia omnia illa quę distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur realiter & essentialiter, quia quidditas, res, & essentia, idem sunt, sed quę distinguuntur formaliter, distinguuntur quidditatiuè secundùm istos, formalitas enim, nil aliud est, quàm quidditas rei, ergo quę distinguuntur formaliter, distinguuntur realiter & essentialiter. Si dicis, quòd non, *Quæ distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur realiter.*

ergo

ergo distinguentur tantum secundùm rationem: vnde quocunque se vertunt, incidunt in foueam quam fugere intendunt.

7 Præterea accipio formalitatem subiecti, & sit A, & accipio formalitatem passionis,& sit B,tunc quæro,vel A,& B,habent aliquid commune,vel nihil commune;si nihil, ergo A,& B,se totis distinguuntur, sed quæ se totis distinguuntur,realiter distinguuntur, igitur A,& B, realiter distinguuntur, sed per istos illa sunt eadem realiter,ergo illa quæ in nullo sunt eadem realiter,vel non sunt eadem realiter,erunt eadem realiter,quod manifestam includit contradictionem: si detur quod A,& B, habent aliquid commune, vel est reale,vel rationis;si sit ens reale,ergo illa sunt entia realia,& sic facient distingui realiter illa quorum sunt formalitates, scilicet subiectum & propriam passionem; si autem sit ens rationis, igitur ille formalitates erunt entia rationis, & sic faciunt illa quorum sunt formalitates distingui tantum secundùm rationem, quod est contra eos, qui dicunt, quòd distinctio per formalitates est maior quàm distinctio rationis, cum sit media inter distinctionem realem, & rationis.

Argumentum calculatoriũ.

Sed respondentes dicunt,quòd nihil est eis commune vniuocum, vniuocè dictum,habent tamen vnum commune,scilicet realitatem subiectiuam,in qua realiter conueniunt, & differunt, licet non quidditatiuè. Et ad illam propositionem, quæ se totis distinguuntur, realiter distinguuntur, dicunt, quod tenet contra illos,|qui volunt, quod distinctio se totis obiectiuè infert distinctionem se totis subiectiuè, & omnes alias.

Distinctio se totis subiectiuè, & obiectiuè.

Addunt tertiò, quòd aliqua se totis esse diuersa, potest esse dupliciter. Vno modo in realitate obiectiua; & sic illæ formalitates subiecti, & propriè passionis, sunt primo diuersæ,nec postea sequitur quod distinguantur realiter. Alio modo in realitate subiectiua; & sic realitas & formalitas subiecti, & passionis, non sunt primo diuersæ,quia conueniunt in realitate, & essentia subiecti, & passionis,& in ea identificantur realiter.

Addunt & quartò, quòd formalitas subiecti & passionis, in nullo conueniunt quidditatiuè, ideo illud non est reale, nec rationis; affirmant tamen conuenire in aliquo denominatiuè, & illud est ens, vel res transcendenter; conueniunt quoque in realitate subiectiua.

Sed contra primum dictum arguitur sic, Magis distant Deus, & creatura,quàm formalitas subiecti,& passionis, sed Deus & creatura habent aliquid commune vniuocum, puta ens,vt ait Scotus 1.sent.d.8.q.2. ergo multo fortius formalitas subiecti,& passionis habent aliquod commune. Deinde,conuenientia in realitate generica & specifica habent aliquid commune, ergo multo fortius illa quæ conueniunt in realitate subiectiua, sed formalitas subiecti & passionis per eos conueniunt in realitate subiectiua,ergo male dicunt,quod nihil est eis commune vniuocè.

Formalitas subiecti,et passionis conueniunt.

Nec valet responsio cuiusdam Formalizantis, quòd homo & risibilitas, propterea non habent aliquid commune vniuocè dictum, quia non ponuntur in recta linea prædicamentali, & per consequens nec formalitates subiecti & passionis, possunt habere aliquid commune vniuocè dictum: nam si ribilitas est idem realiter quod homo, & homo ponitur in recta linea prædicamentali, igitur & risibilitas. Quantum ad illud, quòd dicunt de illatione distinctionis ad distinctionem, parum iuuat, aut nihil; quia sufficit argumenti, quod illa quæ se totis distinguuntur sint realiter distincta. Nec etiam iuuat, quod tertio loco apponunt, quod formalitates ille subiecti, & propriæ passionis, sunt primo diuersæ in realitate obiectiua, non subiectiua; quia sufficit argumenti, vt aliqua diuersitas reperiatur inter illas. Quod postremo dicunt, est maius inconueniens, & monstrum quoddam inauditum, quod istæ formalitates non conueniunt in aliquo quidditatiuè, & quod conueniunt in aliquo ente, & re transcendenter: nam secundùm ipsos ens dicit conceptum vniuocum quidditatiuum, igitur conueniunt quidditatiuè & non quidditatiuè; & quod peius, affirmant,quòd non est reale,nec rationis,& tamen est ens transcendens, sed ens transcendens circuit omnia prædicamenta, quomodo nec reale, nec rationis est, videant ipsi.

Ens quem conceptum dicat.

8 Præterea,si illa quę distinguuntur formaliter essent eadem realiter,tunc ab vno & eodẽ sumeretur vnitas & pluralitas, quod videtur inconueniens: Assumptum probatur, quia per ipsos ab vno & eodem in quo est vnitas rei & esse,sumetur formalitas pluralitatum, & sic ab vno & eodem sumetur vnitas & pluralitas, sed hoc est falsum, vt patet ex Arist.2.de generatione,t.56.vbi ait,idem inquantũ idem est aptum natum semper facere idem. Respondentes ad hoc dicunt,quòd ab vno & eodem non potest sumi vnitas rerum,

& plura-

& pluralitas rerum respectu eiusdem, & tamen ab vno & eodem potest sumi vnitas rei & pluralitas formalitatum, quæ non opponuntur, nec repugnant in eodem.

Sed pace eorum dico, quòd videtur eos non percipere vim argumenti, quod loquitur in creaturis, & supponit ista quatuor esse synonima, & idem significare, scilicet formalitas, ratio formalis, ratio quidditatiua, & quidditas ipsa, vt docet Stephanus Brulefer in suis Formalitatibus; Tunc sic, Quidditas rei, essentia rei, natura rei, sunt eadem quoad essentialia, igitur non poterit multiplicari quidditas, & essentia, & natura, & formalitas ipsius rei, & quod ipsa res permaneat vna. Nisi dicant se loqui de formalitatibus partialibus non totalibus; hoc autem non est ad propositum, quia rationes partiales, & differentiæ indiuiduales nullo modo sunt rationes quidditatiuę propriè loquendo, vt scribit ipse Brulefer in suo tractatu de Formalitatibus. *Synonima.*

9. Præterea, quæcunque distinguuntur numero distinguuntur formaliter, quia illa quæ sunt numeraliter distincta non includunt contradictionem, vnum eorum esse sine altero, & per consequens realiter distinguuntur, sed quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur numeraliter, probatur ex dictis, quia illa quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur quidditatiuè, & quæ distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur specificè; quandoquidem quidditas ponit rem in esse specifico, sed quæ distinguuntur specie, distinguuntur numero, vt scripsit Aristoteles 5. metaphysices, textu 14. & cum distinctio specifica sit maior distinctione numerali, & maior infert minorem, sed quæcunque numero distinguuntur, realiter distinguuntur, ergo de primo ad vltimum, quæ formaliter distinguuntur, realiter distinguuntur. Argumentum hoc arbitrantur ipsi effugere hoc modo; videlicet concedendo maiorem, & negando minorem; Quod quæcunque distinguuntur formaliter, distinguuntur numero, & ad probationem illam, quæcunque distinguuntur formaliter, distinguuntur quidditatiuè, & quæ distinguuntur quidditatiuè, distinguuntur specificè, respondent dupliciter, Primò negando ipsam; secundò concedendo quoque eam, tamen non sequitur ista propositio, distinguuntur specie, ergo distinguuntur numero, quia secundùm Thomistas actio & passio distinguuntur specie & genere, & tamen sunt vnus motus numero. Sed isti ita loquentes, non bene considerarunt vim argumenti, quæ fundatur supra doctrinam Augustini 2. libro de ciuitate Dei, cap. 6, arguentis contra Origenem, volentem inæqualitatem, & distinctionem rerum fuisse exortam ex libero arbitrio creaturarum, dum quædam ipsarum conuersæ sint ad Deum secundùm magis, & minus, quædam autem aduersæ etiam ab ipso Deo secundùm magis & minus, propterea inæqualitas magna videtur in creaturis, cùm à principio omnes erant ęquales, ait Augustinus contra istam hæresim, quid stultius dici potest, quàm istum Solem, vt in vno mundo vnus esset, non decori pulchritudinis, vel saluti rerum corporalium consuluisse artificem Deum, sed hoc potius euenisse, quia vna anima sic peccauerat, ac per hoc si centum animæ peccassent, centum Soles haberet hic mundus? & ideo sicut sapientia Dei est causa distinctionis rerum, ita & inęqualitatis; & quia distinctio in rebus non est, nisi duplex, formalis in ipsis quæ differunt specie, & materialis in his quæ differunt numero, propterea optimè sequitur, quod illa quę differunt formaliter hoc modo differunt specie, & quę differunt specie, differunt etiam numero. *Distincta numero sunt distincta formaliter.* *Quæ sunt distincta quidditatiuè.* *Opin. Orig. de distinctione rerum.* *Distinctio aut est formalis, aut materialis.*

Et ad illud quod secundo loco dicunt de actione & passione, quod distinguuntur specie, & tamen sunt vnus motus numero secundùm Thomistas, bene dicunt, etiam secundùm Auerroistas, & secundùm rei veritatem, tamen non aduerterunt, quòd Actio & passio possunt dupliciter considerari; Primò pro forma fluxa quam actio & passio dicunt in recto, vnde hæc est essentialis, actio est motus, & similiter hæc; passio est motus; & hoc modo actio & passio sunt vnum numero, & non distinguuntur specie, nec genere; Alio modo considerantur, vt dicunt respectus quosdam, quia actio est motus, vt ab hoc, & passio est motus, vt in hoc; & sic distinguuntur specie & genere; quia sunt duo prædicamenta distincta. Ex his ergo apparet vis argumenti, quam isti soluentes non penetrarunt; & Confirmatur, quia illa quæ habent realiter & essentialiter diuersas formas, realiter & essentialiter distinguuntur, vt scripsit Aristoteles 7. metaphysices, tex. 49. actus est, seu forma, quæ separat & distinguit, sed quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur per formas, vt diximus de mente Augustini, & patet ex significato vocis, ergo quæ distinguuntur formaliter, & essentialiter, & numero, & realiter, specificè distingui necesse est. *Actio est motus ab hoc.*

10 Præterea, si illa quæ formaliter distinguuntur non distinguerentur realiter, tunc formalitas non esset principium sufficiens distinguendi aliqua realiter, sed hoc est falsum, quia per paternitatem in diuinis, quæ est quædam formalitas, Pater distinguitur à Filio realiter personaliter. Nec valet si dicatur, quòd paternitas & essentia distinguuntur ex natura rei, quia hęc Responsio magis confirmat difficultatem quàm soluit, quandoquidem distinctio ex natura rei est distinctio realis; & sic habetur propositum, quòd illa quæ distinguuntur formaliter, distinguuntur realiter: deinde posita hac distinctione ex natura rei in diuinis, necessariò ponitur compositio; quia sicut distinctio rationis facit compositionem rationis, ita distinctio ex natura rei, & formalis, facit compositionem ex natura rei & formalem, & sic in Deo qui est summè simplex esset aliqua compositio, quod est alienum à veritate.

Paternitate constituitur Pater.

Deus est summe simplex.

Nihilominus inuenerunt aliam responsionem, volentes fugere vim huius argumenti, & dicunt, quod eò modo quo formalitas est principium distinctiuum, eò modo facit differre; si realiter, realiter, si formaliter, formaliter. Et ad confirmationem etiam dicunt, quod non est simile, quia in differentia rationis est aliquid actuale, puta ipsa relatio rationis, & aliquid potentiale, puta ipsum subiectum, vel fundamentum, non autem oportet quod sit ita in omni distinctione ex natura rei.

Sed contra hanc responsionem argumentor, quia res semper facit differre realiter, sed formalitas est res quædam, igitur semper facit differre realiter: maior patet: minor probatur, quia formalitas cum tribus modis dicatur secundùm ipsos, Primò pro aliquo reperto in re ex natura rei, quod potest saltem terminare actum nostri intellectus, & hoc modo omne quod est extra nihil, formalitas dicitur, & sic formalitas potest esse modus intrinsecus, de quo Aristoteles 2. Physicorum, tex. 32. dixit, modi autem causarum numero quidem sunt multi, vt prius & posterius, &c. Secundò capitur formalitas, pro omni illo de quo dicitur aliquid quidditatiuè, vel denominatiuè, de quo loquutus est Aristoteles 2. de anima, tex. 8. dicens, quod propriè est, actus est. Tertiò dicitur formalitas, pro ipsamet quidditate, de qua Aristoteles 7. metaph. tex. 20. latius scripsit, sed omnibus his modis formalitas est res, igitur facit semper differre realiter; & sic argumentum à principale concludit.

Res facit differre realiter.

Nec etiam valet illud, quòd dicunt ad confirmationem, quia omnis distinctio est relatio quædam, vt dictum est, si est distinctio rationis, erit relatio rationis, & si est distinctio ex natura rei, erit relatio ex natura rei, sed per ipsos relatio est aliquid actuale, & subiectum siue fundamentum est aliquid potentiale, & vbi est actuale & potentiale est compositio quædam, vnde vbicunque est relatio rationis, ibi est compositio rationis, & vbi est relatio realis, ibi erit compositio realis, ergo vbi est distinctio ex natura rei, ibi est compositio ex natura rei: sed in Deo summè simplici est distinctio ex natura rei, nullo intellectu considerante, igitur in Deo nullo intellectu considerante, erit compositio ex natura rei, quòd est falsissimum, & contra omnem veritatem, &c.

Relatio rationis quid faciat.

CAPITVLVM DECIMVMSEXTVM.

Hic soluuntur argumenta, probantia dari distinctionem ex natura rei.

ET pro maiori intelligentia solutionum, ad argumenta proposita in 14. cap. Sciendum est Primo, quòd forma & materia sunt relatiua, vt 2. Physicorum, tex. 28. docuit Aristoteles, & quot modis dicitur vnum relatiuorum, tot modis dicitur & reliquum, & quia materia dicitur multis modis, sic etiam & forma. Quæ dicitur Primo de forma partis, de qua loquutus est Arist. 2. de anima tex. 4. vbi posuit animam esse actum corporis physici, &c. Secundò capitur pro forma totius, & ista est tertia entitas, & per ipsam nihil informatur, sed est illud, mediante quo aliquid quidditatiuè est tale; & de hac loquutus est Aristoteles 3. physicorum, tex. 27. dicens, semper existimabitur aliqua species mouens, idest agens: quia illa forma totius est, mediante qua agens agit, & qua agens assimilat sibi passum, & tale in quo assimilat est ipsa natura & forma totius. Tertiò modo accipitur forma, pro Deo, & intelligentijs;

Nota primo. Forma capitur multis modis.

Primo.

Secundo.

Tertio.

gentiis; de qua loquutus est Aristoteles 12.metaph.tex.51. in his, quæ materiam non habent, id quod intelligit, non est diuersum ab eo, quod intelligitur: & Auerr.exponit ibi de formis sine materia, quæ sunt substantiæ separatæ. Quartò, accipitur forma pro ipso accidenti, vt voluit Arist.5.Physic.tex.1.quod homo transfertur de ægritudine in sanitatem,hoc est,de vna forma accidentali in alteram. Quinto, accipitur pro forma artificiali,vt dixit Arist.2.Phys.tex.28. quædam fiunt à natura,quædam ob alias causas. Sexto capitur pro forma, quæ est species intelligibilis, de qua Aristoteles 3.de anima, tex.30.dixit,non lapis,sed species lapidis est in anima. Septimo capitur forma pro partibus definitionis,vt docuit Arist.2.Physicorum,tex.27.vnde animal rationale,quæ sunt partes definitionis hominis, possunt dici eius formæ. Et quia formaliter deriuatur à forma, veluti materialiter à materia, & essentialiter ab essentia, sicuti personaliter à persona,& modaliter à modo, idcirco quot modis dicitur forma, tot modis dicitur formaliter, & econtra; sicuti quot modis dicitur modus,tot modis dicitur modaliter, & sic persona & personaliter &c. *Quarto.* *Quinto.* *Sexto.* *Septimo.* *Formaliter dicitur à forma, & materialiter à materia.*

Secundò est sciendum, quòd inter Formalizantes sunt variæ opiniones, dum aliqui dixerunt tot esse formalitates in re ipsa,quot sunt formæ, puta in homine, posito,quòd si sint diuersę formę,erunt diuersę formalitates, sicut vbi sunt diuersę materialitates, est signum quod ibi sunt diuersę materię,quia sicut formalitas venit à forma, ita materialitas venit à materia. *Nota 2. Opiniones de formalitatibus diuersæ. Prima.*

Aliqui dicunt, quòd ratio formalis, siue formalitas, est realitas existens in eadem re simplici ex natura rei; Et prima opinio est falsa, quia essentialia dicuntur ab essentia, & personalia à persona,sed cum vnitate essentię in diuinis stant multa essentialia,vt bonitas, sapientia, & iustitia, &c. & plura personalia in vna persona, sient in Patre in diuinis,qui est vna persona,in qua est innascibilitas & paternitas, ergo etiam à simili cum vnica forma possunt stare plures formalitates. *Secunda. Formalitas quid est,secundùm aliquos.*

Tertia est opinio dicentium, quòd formalitas nihil aliud est, quàm quędam modalitas, & modus intrinsecus, qui additus alicui, non variat rationem formalem constituti per ipsum, vt infinitas addita diuinæ essentię non variat eius rationem formalem. *Tertia.*

Quarta opinio illorum est, qui dicunt formalitatem nihil aliud esse, nisi quandam rationem quidditatiuam, & definitiuam, & sic omnia superiora dicuntur formalitates inferiorum, quia superiora ponuntur in definitione inferiorum. Quæ opinio stare non potest,quia essentia diuina, & attributa diuina secundùm istam opinionem, sunt formalitates quędam, & tamen nullum illorum est superius respectu diuinę essentię, ergo &c. *Quarta.*

Propterea sciendum est secundùm S.Thom. p.p. quęst.13. art.12. quòd formalitas est omne id, quod se tenet ex parte prędicati, sicut materialitas est id quod se tenet ex parte subiecti: vnde ait Sanctus Doctor vbi supra, prędicata tenentur formaliter, & subiecta materialiter,propterea solet dici, quòd formalitas est omne id quod se tenet ex parte formę, & materialitas est quę se tenet ex parte materię, vel subiecti. Hoc etiam docuit idem Sanctus Thomas p.p. quęst.47. art.2. vbi ponit duplicem distinctionem in rebus, alteram formalem in his quę differunt specie, alteram verò materialem in his quę differunt numero tantum:cùm autem materia sit propter formam, distinctio materialis est propter formalem, quę quidem est principalior,& semper requirit inęqualitatem,vt patet 8.metaph.tex.8. quod formę rerum sunt veluti numeri: & ex hoc sequitur, quòd alia est distinctio formalis, & alia formarum: vnde duæ animæ separatæ non sunt distinctæ distinctione formali,sed distinctione formarum, per diuersas suggillationes ad corpora; sic etiam duæ lineæ mathematicæ distinguuntur distinctione formarum,& duo accidentia spiritualia, hac distinctione etiam distinguuntur cum habitudine tamen ad subiecta quibus insunt &c. *Sententia Diui Thomæ.* *Materialitas quænam sit.* *Duæ lineæ quomodo distinguuntur.*

Quibus stantibus, Respondetur ad primum argumentum, negando quod idem contingat nobis, quod Aristoteles adducit contra Antiquos, scilicet, Parmenidem & Melissum, immò eis accidit illud inconueniens, ad quod deducti sunt Antiqui ab Aristotele 1.Physicorum, tex.60. ponentes, infinita esse principia rerum naturalium,quia non sunt ponenda plura sine necessitate, aiebat Philosophus, sed per materiam, formam, & priuationem potest sufficienter saluari generatio rerum naturalium, frustra ergo ponuntur alia principia. Eodem argumento conuincuntur ipsi Formalizantes, nam per distinctionem realem & rationis, sufficienter saluatur distinctio in rebus,frustra igitur ponitur distinctio formalis ex natura rei media inter distinctionem realem, & rationis

Et ad primum inconueniens ad quod nos adducunt. s. quòd cogimur ponere sapientiam & essentiam diuinam esse omnino eadem, Vtique fatemur istam veritatem, quam omnes Patres, & rectè sentientes prædicant, vt scripsimus 1. sent. dist. 8. quod diuina attributa ex natura rei non distinguuntur, nisi virtualiter, & fundamentaliter, & distinctione rationis ratiocinatæ; actualiter verò vt terminant actum nostrum intellectus, distinguuntur distinctione rationis ratiocinantis: & sic etiam respondemus de paternitate & spiratione actiua, nam in Deo est vna res, non purè absoluta, nec purè respectiua, sed eminentissimè, & formaliter habens, quod est absoluti & respectiui, continens virtualiter distinctionem multorum, in ordine ad intellectum nostrum, & quicquid perfectionis est, & omne quod trinitas respectiua exigit; quia Deus cùm sit simplicissimus, & maximè vnus, debet ei respondere vna ratio formalis adæquata, alioquin non esset per se primo vnum intelligibile à quouis intellectu. Et de actione & passione Respondemus cum Auerr. 3. Physicorum, tex. 18. quod sunt idem secundùm rem, & duo secundùm rationem conceptam; nam idem motus, vt prouenit ab agente dicitur actio, vt autem recipitur in patiente dicitur passio.

Diuina attributa quomodo distinguuntur.

Ad secundum dicitur, quòd idem calor numero, vt est vnus secundùm rem, consideratur diuersimodè ab intellectu, secundùm rationem ratiocinatam; quatenus enim ipse calor est dispositio quędam, ponitur in prima specie qualitatis; vt verò est naturalis potentia, potens lignum comburere, sic est in secunda specie, vt verò est forma immutatiua sensus, est in tertia. Nec istę sunt species specialissimæ, sed subalternę: vnde Arist. secundam & quartam speciem appellauit genus. Non ergo est inconueniens eundem calorem, secundùm rem diuersimodè consideratum, collocari sub diuersis speciebus subalternis; cùm dicat Boetius in lib. prędicamentorum, c. de substantia, quòd pater vt est substantia, est in prædicamento substantię; vt albus in prędicamento qualitatis; vt generans in prędicamento actionis; vt pater in prædicamento ad aliquid &c.

Actio & passio sunt vnus motus.

Ad tertium de actione & passione sępius dictum est, quòd sunt vnus motus secundùm rem, duo tamen distinctione rationis ratiocinatę, seu significatę, & conceptę; quatenus enim est huius ab hoc, dicitur actio; quatenus verò est huius in hoc, dicitur passio, vt voluit Arist. & fidus suus Commentator 3. Phys. tex. 22. vbi dederunt exemplum de doctione & doctrina, & de calefactione actiua & passiua, quę sunt vnum te & duo ratione.

Ad quartum de virtute & iustitia, Respondet S. Thomas 1. 2. q. 61. ar. 2. quem isti Formalistę nolunt legere: ibi enim S. Thomas ad mentem Aristotelis distinguit numerum virtutum moralium, secundùm principia formalia, & secundùm subiecta; & quod iustitia, & virtus sunt vnum secundùm rem, & duo secundùm rationem conceptam; & sic quoque dicitur de prudentia, fortitudine, & temperantia.

Ad quintum Respondet idem S. Thomas p. p. q. 2. art. 7. cui Formalistę nolunt adhęrere, ait enim Sanctus Doctor, quòd ens & vnum sunt vna met res & natura, sed sunt duo secundùm rationem conceptam. Ad confirmationem, seu replicam, dicitur, quòd doctrina S. Thomę non proteruizat, sed docet veritatem, quam ipsi obscurant, vtendo fallacia ęquiuocationis, dicendo, magis distinguitur ens ab vno, quàm ens ab ente, &c. conceditur ista maior; & ad minorem dicitur, quòd Distinctio rationis est duplex, altera rationis rei ratiocinatę, altera verò rationis ratiocinantis, & quod ens ab vno distinguitur prima distinctione, ens autem ab ente distinguitur secunda distinctione; quemadmodum Sortes à Sorte in hac propositione, Sortes est Sortes, distinguitur idem à seipso secùndum rationem subiecti & prędicati, sicuti ens est ens. Patet igitur veritas rei, & nō proteruia.

Distinctio rationis duplex. Rationis rei ratiocinatæ. Rationis ratiocinantis.

Ad sextum respondet S. Thom. p. p. q. 39. art. 1. & ait, quòd essentia & suppositum, scilicet pater vel filius, & essentia, sunt idem secundùm rem, differunt autem secundùm intelligentiæ rationem: vnde relatio comparata ad essentiam differt ratione tantum, comparata ad oppositam relationem virtute oppositionis, habet realem distinctionem: vnde distinctio illa secundùm rationem, fundatur in plenitudine diuinæ perfectionis, non actu in re, sed virtualiter tantum, ęquipollens distinctioni actu repertę in perfectionibus creatis; propterea de ipsis verificantur duo contradictoria, scilicet, essentia est communicabilis, relatio est incommunicabilis, quia est ibi distinctio illa virtualis, seu fundamentalis, vt dictum est.

Relatio & essentia quomodo differunt.

Ad septimum dicitur, falsum esse, quòd affirmant in argumento, rationale, & risibile esse idē realiter, quia distinguuntur distinctione reali, realitate essentię, vt docet S. Thomas p. p. q. 77. art. 1. ad 5. asserens, risibile esse accidens, quod consequitur speciem, quod Porphy-

Porphyrius vocauit accidens proprium, quod est quartum prędicabile, rationale verò est differentia essentialis, quæ ponitur in prædicamento substantiæ: non ergo est mirum si de eis verificantur contradictoria ante actum intellectus, cùm sint realiter distincta, & non formaliter, vt isti Formalistæ arbitrantur, &c.

Cõtradictoria verificari possunt de aliquo

Ad octauum respondet S.Thom.p.p.q.77.art.1. quem ipsi non viderunt, quòd voluntas,& intellectus distinguuntur realiter realitate essentiæ,cùm sint duę potentię; propterea ista duo non contradicunt, intellectus intelligit,voluntas non intelligit, quia est distinctio actualis, & non identitas inter ipsas: contradictio enim debet esse de eodem secundùm idem. Vide quomodo decepti sunt isti, arbitrantes intellectum, & voluntatem esse vnam rem, & tamen distinguuntur sicut cœlum à terra.

Ad nonum respondet Auerr.60.met.comm.2. quòd Physica, Mathematica, & Metaphysica sunt diuersæ scientiæ, propter diuersos modos definiendi; in definitione enim diuinorum sumitur Deus, & naturalium natura, & voluntariorum voluntas: Vel vt ait S.Thomas,quod isti habitus scientifici, discriminantur propter diuersas abstractiones: habitus enim naturalis abstrahit à materia sensibili particulari; Mathematicus à materia sensibili particulari, & vniuersali; Metaphysicus à materia sensibili & intelligibili: non est ergo propter diuersas formalitates, vt isti fingunt ex natura rei.

Natura ponitur in definitione naturalium.

Ad vltimum dicitur, definitio, & definitum distinguuntur secundùm rationem conceptam, quia definitum significat confusè, & indistinctè illud, quod definitio significat determinatè,& distinctè: vnde Arist.ibidem dicit,tex.5. sustinent autem idem hoc quodammodo, & nomina ad rationem,vt circulus, definitio verò ipsius diuidit in singula. Immo Illustrissimus Cardinalis Sarnanus in suo eruditissimo directorio Theologico, negat definitionem differre formaliter à definito, hac potissima ratione, Quandocunq; aliqua sic se habent,quòd adęquatè vnũ dicitur de reliquo,in primo modo dicendi per se, illa non differunt formaliter, sed ita est in proposito de definitione,& definito,ergo &c. Nec est verum,positionem de formalitatibus fundari in sacra Scriptura,quia in illis verbis Apostolus nihil aliud vult,nisi quod diuina attributa, vt virtus,sapiẽtia,bonitas,&c. cognoscantur per creaturas, ex hoc non sequitur, ergo datur distinctio formalis, & ex natura rei. Nec potest sumi ex verbis August.dicentis, quòd alio Pater est,& alio Pater est Pater, quandoquidem ibi nihil aliud vult Augustinus, nisi quod essentia,& paternitas distinguuntur secundùm rationem intelligentię, vt scripsit S. Thomas p.p.q.39. art. 1. Sic etiam intelliguntur verba Hilarij lib.de Trin. non efficit creaturam voluntas, vt natura,sed potestas. Immò hoc est argumẽtum potissimum pro nobis contra Formalistas; nihil est ponendum in diuinis, nisi quod habetur, vel à ratione naturali, vel à Fide, siue à sacra Scriptura,vel ab aliquo Doctore authentico:sed istę distinctiones formales,& ex natura rei non habentur ab aliquo istorum, ergo frustra ponuntur; quod apertè docuit S.Dionysius lib.de diuinis nominibus, Vniuersaliter non est audendum aliquid dicere, nec cogitare de supersubstantiali occulta Diuinitate, prçter ea, quę diuinitus nobis ex sanctis eloquijs sunt expressa. Concludendum est igitur, hanc distinctionem formalem, & ex natura rei,mediam inter distinctionẽ realem,& rationis, non esse ponendam,cùm hęc duplex tantum distinctio,s.realis,& rationis sufficiat,vt supra commonstrauimus.

Illustriss. Sarnanus.

Distinctio ex natura rei,nõ habet fundamentum.

CAPITVLVM DECIMVMSEPTIMVM.

Hic explicantur identitates, vt opponuntur distinctionibus.

QVIA oppositorum est eadem scientia, vt scripsit Arist. 9.met. tex.3. dans exemplum de medicina, quæ considerat sanitatem, & infirmitatem: quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur & reliquum; & quia distinctio & identitas opponuntur, idcirco post considerationem de distinctionibus, necessarium est de identitatibus pertractare. Sed sciendum est, quòd semper ipsam distinctionem antecedit negatio,prius enim hoc non est illud,quam ab eo distinguatur: ipsa quoque distinctio primò & principaliter relationem significat,& necessitate quadam pluralitas comitatur distinctionem ipsam, non enim intelligi potest distinctio sine pluralitate, & identitas(vt dictum est) semper opponitur distinctioni, vnde Arist.5.metaph.tex.24. aiebat,

Distinctio & identitas opponuntur.

Omnis multitudo participat vno.

aiebat, vnum in substantia facit idem; in quantitate, facit æquale; in qualitate facit simile;& quia non est aliqua multitudo non participans vno, quandoquidem illa, quę sunt multa partibus, sunt vnum toto; & quæ sunt multa accidentibus, sunt vnum subiecto; & quæ sunt multa numero, sunt vnum specie; & quæ sunt multa speciebus, sunt vnum genere; & quæ sunt multa generibus, sunt vnum analogia; & quæ sunt multa processibus, sunt vnum principio: hinc fit, vt aliqua dicantur eadem numero, vt Marcus Tull.Cic. aliqua eadem specie, vt Sortes,& Plato; aliqua eadem genere, vt homo, & leo; aliqua eadem analogia, vt accidens,& substantia. Et quia dicebamus, loquendo de prima distinctione reali, realitate existentiæ.seu subsistentiæ, quod illa distinguuntur hac distinctione, quorum alterum sine altero esse potest; vt Callias, & Titius distinguuntur hac distinctione, quia Callias potest esse sine Titio, & è contra : per oppositum dicimus, illa esse eadem, quorum alterum sine altero existere nequit, quia non distinguuntur distinctione reali existentiæ, cùm habeant vnam,& eandem realitatem positiuam, actu existentem, in vnica existentia absoluta; quemadmodum sunt essentialia in diuinis, vt intellectus & voluntas; sic etiam & notionalia, vt generatio actiua,& paternitas. Est ergo identitas realis, opposita primę distinctioni reali, non alietas aliquorum in existentia indiuisibili, vt dictum est de essentialibus, & notionalibus in diuinis.

Identitas quidnam est.

Alia erat distinctio realis, quam diximus reperiri inter rem includentem aliquid reale intrinsecè,& rem excludentem illud, vt homo & animal; homo enim includit intrinsecè rationale, quod non clauditur ab animali. Secunda identitas opposita huic distinctioni est, non alietas, seu vnitas extremorum, siue rerum, quarum vna nihil intrinsecè claudit, quod non claudit alia;& hęc identitas reperitur inter suppositum,& naturam in Angelis, nihil enim intrinsecè claudit natura Angelica, quod non claudat suppositum Angelicum, & econuerso: vnde indiuiduatur per seipsum,& non per materiam signatam, vt sunt substantiæ materiales, & per hæcceitates, vt perbelle ostendit S.Thom.p.p.q.3.art.3. quod in separatis à materia idem est suppositum, & natura, quia indiuiduantur per seipsa; licet oppositum dicere videatur 3.p.q.3.art.3. quia natura Angelica est assumptibilis à diuino Verbo, suppositum verò non. Quam contradictionem alias soluentes, dicebamus, quod in prima parte Sanctus Doctor locutus est vt Philosophus, iuxta lumē naturę, in tertia verò parte locutus est secundū Theologos, supposita fide,& reuelatione: idcirco nulla est contradictio in eius dictis, licet Caiet. aliter soluat, vt videre poteris vbi supra.

Natura Angelorum non claudit accidentia.

Tertia distinctio realis, erat inter rem includentem aliquid extrinsecè, & rem excludentem illud, qualis distinctio reperitur in Angelis, in quibus suppositum claudit multa accidentia, quæ sunt extrinseca ab ipso: si enim definiretur, illa accidentia non ponerentur in eius definitione, natura verò Angelorum, nec intrinsecè, nec extrinsecè claudit illa accidentia. Identitas opposita huic distinctioni est non alietas, seu vnitas aliquarum rerum, quarum vna nihil intrinsecè, nec extrinsecè claudit, quod non amplectatur altera, sicut Deus & Deitas, hęc enim nullo modo distinguuntur secundùm rem, sed sunt omnibus modis idem, differunt autem solummodo ratione significandi, secundùm modum abstracti,& concreti, quia in omnibus, quæ dicuntur de Deo, concretum prædicatur de abstracto; dicimus enim Deitas est Deus,& Paternitas est Pater: & hęc regula non tenet in alijs à Deo, vnde non possumus dicere, humanitas est homo, quia humanitas significatur, vt pars formalis hominis, homo autem habet in se aliquid, quod non habet humanitas, sed nihil est in Deitate, quod non sit in Deo, licet ex modo significandi differant. Et propterea, aliquando supponit pro essentia, vt cùm dicitur Deus creat, quia hoc prędicatum competit subiecto ratione formæ significatæ, quæ est Deitas; quandoque verò supponit pro persona; vel vna tantum, vt cùm dicitur, Deus generat; vel duabus, vt cùm dicitur, Deus spirat; vel tribus, vt cùm dicitur, Regi seculorum immortali inuisibili, soli Deo, &c. & istæ prædicationes sunt formales (quod dico propter prædicationes identicas) vt Deitas est sapientia, & intellectus est voluntas, quia in Deo omnia sunt idem, ob hoc de ipso prædicationes formales, & identicæ fieri possunt.

Quæ sit propositio identica.

Quarta distinctio vocatur essentialis, quæ est inter duas essentias positiuas, quarum vna verè negatur de altera; vt potentiæ animæ, quæ ponuntur in secunda specie prædicamenti qualitatis,& anima ipsa, quæ est in prædicamento substantiæ. Identitas opposita huic distinctioni est non alietas, seu vnitas aliquarum rerum, qua identificantur vnì essentiæ singularissimæ; vt diuinæ personæ, quæ sunt idem essentialiter, licet comparatæ ad inuicem realiter distinguantur hypostaticè: non tamen possumus dicere, ꝙ differant,

quia

quia differentia importat distinctionem formæ. Est autem tantum vna forma in diuinis, vt patet per id quod dicitur ad Philipp. cap. 2. qui cum in forma Dei esset: & ob hoc nomen differentiæ, non propriè competit diuinis, vt docuit S. Ambrosius lib. 1. de Fide, c. 3. Pater & Filius Deitate vnum sunt, nec est ibi substantiæ differentia, neq; vlla diuersitas. Et si fortè fortuna in aliqua scriptura authentica reperiretur, quod diuinæ personæ differunt, vel sunt diuersæ; sumenda est diuersitas, vel differentia pro distinctione, vt ait Damascenus lib. 1. Fidei orthod. c. 5. non differunt ab inuicem hypostases secundùm substantiam, sed secundùm determinatas proprietates: vnde differentia sumitur pro distinctione, sicut idem Damascenus dicit, Deum abusiuè vocari substantiam, quia appropriatiori vocabulo dicitur essentia. Et si aliquando appellatur substantia, intelligendū venit, quatenus substantia dicitur à subsistendo. i. per se existendo, non autem à substando, quia Deus nec accidenti, nec alteri substat. Vel dicas, ꝙ substantia dicitur tripliciter, primo à se, ad se, & per se; secundo per se, & ad se, sed non à se; tertio nec per se, nec à se, sed in alio: primo modo Deus est substantia, vt dixit Arist. 12. met. tex. 29. quod prima intelligentia est substantia: secundo modo cælum, & totus mundus est substantia, vt scripsit ipsemet Philosophus 12. met. tex. 38. Deus est à quo cælum, & natura pendet, vnde cælum est substantia, sed non à se: tertio modo species & genera sunt substantia, vt voluit Arist. in prædicamentis, quod secundæ substantiæ sunt in alio, scilicet in subiecto inferiori, &c.

Differentia non est in Deo.

Substantia dicitur tripliciter.

Quinta distinctio dicitur relatiua, quæ est inter duas relationes, seu relatiua, puta inter patrem, & filium. Huic distinctioni opponitur identitas, quę est nön alietas, seu vnitas rerum absolutarum, nullum importantium respectū; & hęc identitas potest reperiri tum in Deo, tum in creaturis. In Deo essentialia absoluta sunt idem, seu eadē hac identitate. Hęc essentialia sunt illa, quę de qualibet persona dicuntur sygillatim, & de tribus simul, & hoc in singulari, non tamen in plurali: hinc dicimus, ꝙ Pater est ens, Filius est ens, Spiritus sanctus est ens, non tamen tria entia, ita Deus est sapientia, iustitia, bonitas, & veritas, & sic de alijs, quæ dicuntur essentialia absoluta, & dicunt perfectionem: & ista talia præcedunt notionalia ad intra, vt sunt paternitas, & filiatio, seu generare, & generari, & spirare, & spirari: pręcedunt etiam essentialia causalia ad extra, vt est creare, gubernare, & prouidere, &c. Sic docet S. Thomas p. p. q. 33. art. 2. vbi disputat, num Pater dictus de Deo personaliter, sit prior Patre dicto de Deo essentialiter, vel econtra? & asserit, communia absoluta secundùm ordinem intellectus nostri, sunt priora, quàm propria, quia includuntur in intellectu propriorū: in intellectu enim personę Patris intelligitur Deus, sed non econuerso; sed communia, quę important respectum ad creaturas, per posterius dicuntur, quam propria, quæ important respectus personales, quia persona procedens in diuinis, procedit vt principium productionis creaturarum, sed hæc prioritas, non est prioritas originis, vt quidam existimant, sed dicitur prioritas secundùm rationem. Reperitur etiam hæc identitas in creaturis, in quibus sunt prędicata absoluta, & non distincta aliqua distinctione relatiua; immò tria illa prædicamenta sunt eadem hac identitate, scilicet substantia, quantitas, & qualitas: prædicamentum autem ad aliquid dicit relationem, seu respectum intrinsecum ad suum conterminum; alia sex prædicamenta dicunt respectum extrinsecum, seu (vt alij volunt) non significant purè respectum, nec purè absolutum, sed significant absolutum cum respectu, siue secundùm esse, siue secundùm dici, quo respectu secundùm dici, omnia entia mundi sunt relatiua; quia vel sunt intelligibilia vel sunt sensibilia; si sunt intelligibilia, dicunt respectum ad intellectum; si verò sunt sensibilia, dicunt respectum ad sensum.

Trinitas non est tria entia.

Prioritas duplex.

Respectus duplex.

Sexta distinctio, dicebatur distinctio rationis secundùm rem conceptam, seu ratiocinatam. Et huic distinctioni opponitur sua identitas, quę est non alietas, seu vnitas alicuius rei, de qua absolutè accepta non possunt duo contradictoria verificari, vt Sortes est idem sibiipsi, de ipso enim Sorte non potest dici, quod sit, & non sit. Et hanc identitatem posuit Arist. 1. Poster. cap. de per se, declarans tertium modum dicendi per se, in quo ponuntur entia solitariè sumpta, sine propositione reali, vel rationis. Ex quo sequitur, ꝙ in omni propositione, in qua idem prędicatur de seipso, subiectum, & prędicatum distinguuntur secundùm rationem ratiocinantem, quia vt dixit Arist. 5. metaph. tex. 13. intellectus potest vno vel tanquam duobus, dicendo, Sortes est Sortes; ita quod ponit tātum distinctionem, quo ad rationem prædicati, & subiecti, quantum ad vnā rem: & ista identitas est maxima, quia omnes alias infert, & non econuerso. Ex his sequitur, ꝙ hæc propositio est vera, illa quæ sunt eadem ratione, sunt distincta ratione, quia Sortes est idem

Intellectus vtitur vno vt duobus.

non ratione

ratione ratiocinata sibiipsi, est tamen distinctus ratione ratiocinante, quia Sortes vt præcedit copulam distinguitur à seipso, vt consequitur copulam; in hac enim propositione de vna re intellectus facit duo, scilicet subiectum & prędicatum.

Intellectus de vno facit duo.

Alia est distinctio rationis ratiocinātis, quę precisè est per opus intellectus fabricantis propositiones, & comparantis idem sibiipsi, quas propositiones, & quā comparationem intellectus in infinitū multiplicare potest, vt docet S. Thom. de mente Auic. disputans de diuinis relationibus p.p.q.28.ar.4.ad 2. Ob hoc huic distinctioni, nulla identitas correspondet. Hinc Arist. 3. de anima, tex. 18. dixit, q intellectus est omnia facere, & sic omnia potest comparare per actum suum; & infra eodem lib. tex. 21. assignat, qualiter per vnum actū, intellectus potest componere & diuidere, & complexio, & diuisio est aliud à rebus, quæ habent verū esse: & vult, q complexio, & diuisio habeant esse in intellectu, & per intellectū. Ex his sequitur falsum cogitasse aliquos Doctores, distinguendo de duplici identitate rationis, fundamentalis, & actualis, quę est per actū collatiuū intellectus. Hęc clarum est, q opponitur sextę distinctioni, quandoquidem illa dicuntur esse idem, vel eadem ratione, quæ habent eundē conceptum omnino indistinctū à parte rei, & etiam indistinctum ex parte intellectus, vt homo est idē sibiipsi; modò identitas rationis actualis quęritur cui distinctioni opponitur, non sextę, quia illi opponitur identitas fundamentalis; non septimæ, quia ei nulla identitas opponitur, igitur illa identitas rationis est frustra. Sic etiam cęteras identitates alienas ab his, quas nos supra annotauimus, & rationi, & Arist. repugnantes, existimamus esse; vt est illa identitas, quā vocant se totis obiectiuè, quam volunt esse non alietatem extremorum in aliquo vno conceptu conuenientium, vt Deus, & creatura, quę cōueniunt in conceptu entis prędicato vniuoco, hoc autē alienum est à doctrina Arist. quod ens sit prędicatum vniuocum, vt ostendimus 4. Met. dilucid. 2.

Complexio, et diuisio in quo sunt.

Similiter quod dicunt de identitate se totis subiectiuè, quam docent esse non alietatem extremorum in aliquo conuenientium, quorum realitates simul esse possunt in eadē re, vel per identitatem realem, vel per modum informantis, vel per modum informabilis, siue (vt alij dicunt) identitas se totis subiectiuè, est non alietas extremorum quidditatiuè conuenientium, in aliqua potentia contrahibili, per aliquam realitatem differentiæ; vt omnia, quæ includunt idem genus quidditatiuè, dicuntur esse eadem se totis subiectiuè, &c. Identitas essentialis dicunt, quòd est non alietas extremorum ex natura rei actu separatorum, nec separatim separabilium, aut conseruabilium; vt homo, & animal hac identitate eadem dicuntur esse. Identitatem realem affirmant esse non alietatem extremorum ex natura rei, & vnam, atq; eandem realitatem formaliter habentium *positiuam*, actu existentem, vnica existentia, vt omnia diuina attributa. Identitas *formalis*, apud aliquos est non alietas quidditatum, quarum vna aliam includit, vt superiora sunt idem, siue eadem suis inferioribus terminatiuè, vel inferius est idem formaliter suum superius in recto, vt homo est animal, & animal est corpus, &c. Identitas rationis, secundùm exteros est non alietas quidditatis, aut formalitatis à seipsa concepta per actum rationis, cuius extrema duo non sunt, nisi per intellectus considerationem.

Identitas essentialis, quænam sit.

Identitas ex natura rei, est non alietas alicuius quidditatis, aut formalitatis à seipsa concepta ex natura rei, de qua absolute accepta, nullo modo possunt prædicata contradictoria formari, impossibile est eidem omnino ex natura rei respectu eiusdem, & secundùm idem inesse opposita quauis oppositione, contradictoria, contraria, priuatiua, relatiua, &c. Verùm quia vt dicebamus supra, quæcunque distinguuntur, ex natura rei distinguuntur, vt si cœlum distinguitur à terra, ex natura sua distinguitur, & sic etiam, si aliqua sunt eadem, ex earum natura sic requirente, eadem dici debent: propterea vt supra conclusimus, sicuti non datur alia distinctio apud Peripateticos, nisi distinctio realis, & rationis, ita nec datur alia identitas, nisi idētitas realis, & rationis, si vera est regula illa, distinctionem, & identitatem opponi, & quot modis dicitur vnū oppositorum, tot dicitur & reliquum. Et cum distinctio in genere non sit, nisi duplex, realis, & rationis, ita & de identitate dicendum venit. Vnde Arist. 1. Periher. c. 5. distinguit omnia, in vniuersalia, & singularia; vniuersalia autem secundo intentionaliter fiunt ab intellectu, vt dixit Arist. 1. de anima, tex. 8. vniuersale animal nihil esse, aut posterius est. Et Auerr. intellectus est, qui facit vniuersalitatem in rebus; singularia clarum est, quod sunt entia realia, & vniuersalia, secundo intentionaliter sunt entia rationis, igitur cum ens non sit, nisi reale, & rationis, ergo distinctio, & identitas non erit, nisi realis, & rationis. Item 3. de ani. tex. 1. Arist. dicit, de parte autem animę, qua cognoscit, & sapit, siue separabili existente, siue

Identitas ex natura rei, quænam sit.

Distinctio est duplex.

non

non separabili, secundùm magnitudinem, sed secundùm rationem cõsiderandum est, &c. Quibus verbis apertè Philosophus aperit, non dari aliam distinctionem, nisi realem, aut rationis, quia proponit se velle inuestigare de anima intellectiua, an sit distincta à corpore secundùm rem, vel secundùm rationem; si igitur daretur distinctio formalis media inter distinctionem realem, & rationis sequeretur Arist. esse mancum, & diminutum, proponendo tractatum de anima intellectiua. Quia posset aliquis dicere, nonne datur etiam distinctio formalis, & ex natura rei? idcirco debebat illam proponere, num anima intellectiua sit distincta à corpore realiter, vel secundùm rationem, vel formaliter ex natura rei? Considerandum est, quòd non fecerit, signum igitur est apud Arist. non esse aliam distinctionem, nisi realem & rationis; & sic etiam dicendum est de identitate; vnde Arist. 5. Met. tex. 13. & 6. tex. 8. disputãs de ente, partitur ipsum sufficientissimè per ens in mente, & per ens extra mentem, siue in anima, & extra animam: propterea si daretur etiam licentia fingendi, non potest aliud membrum esse, vt exponit Auer. & Alex. in com. quòd ens non est, nisi reale, aut rationis; sic etiam distinctio & identitas, non est nisi aut realis, aut rationis; quia omne ens alteri enti comparatum; aut est idem, aut diuersum, nulla igitur dabitur distinctio & identitas formalis, siue ex natura rei, quæ non sit nec realis, nec rationis, ad hęc enim duo membra omnia reducũtur; quia quę sunt distincta subiecto, puta albedo in papiro, & dulcedo in pomo, possunt esse aliquando eadem, quando reperiuntur ista duo accidentia in eodem subiecto, tamen hæc distinctio, & hæc identitas, reducitur ad distinctionẽ, & identitatem realem; similiter quę sunt distincta in forma, vt dixit Auer. 2. de ani. com. 53. membra leonis non differunt à membris cerui, nisi propter diuersitatem animæ cerui, ab anima leonis, & illa dicuntur esse eadem in forma, quę conueniunt in forma specificè secundùm veritatem, vt plures homines, secundùm Auerr. conueniunt in eadem forma numero, quia ponit vnum intellectum numero in omnibus hominibus.

Pendera arg. contra Formalistas.

Ens aut reale, aut rationis est.

Membra leonis differũt à membris cerui.

Aliqua dicuntur esse eadem in materia, & distincta in materia, vt mixta, quæ sunt eadem in materia prima, & distincta secundùm materiam proximam.

Aliqua dicuntur esse eadem in re, & distincta in modo, vt dixit Auerr. 7. Met. com. 23. de sanitate quæ dicitur duobus modis, de sanitate quę est in anima, & de sanitate quę est in corpore, istę sanitates sunt eadẽ in re, sed distinguuntur in modo, nam sanitas quę est in anima medici, distinguitur in modo à sanitate quę est in corpore sano. Aliqua dicuntur esse distincta secundùm esse, vt illa quę sunt separabilia ab inuicem, vt duo indiuidua: Et aliqua dicuntur esse eadem secundùm esse, quando vnum eorũ non potest seorsum existere sine altero, vt potentia animæ cũ ipsa anima. Aliqua dicuntur esse distincta definitione, vt species alicuius generis, & aliqua dicuntur esse eadem definitione, vt indiuidua alicuius generis. Aliqua dicũtur esse distincta habilitate, vt graue & leue, graue enim habet habilitatem & inclinationem, seu aptitudinẽ deorsum, leue verò sursum: illa autem dicuntur esse eadem habilitate, quæ habent aptitudinẽ ad eundem locum, vt omnia grauia deorsum, & omnia leuia sursum. Illa dicuntur esse distincta sm̃ rem demonstratam, quorum est distincta demonstratio, vt quando distinctæ passiones demonstrãtur de distinctis subiectis: & illa dicuntur esse eadem secundùm rem demonstratam, quando ea de quibus est demonstratio non sunt duo, sed vnũ, vt docuit Auer. 1. Post. com. 5. Et ea dicuntur esse distincta secundùm positionem, quæ habent distinctos ordines partium in loco: ea verò dicuntur esse eadem secundùm positionem, quæ habent eundem ordinem in loco, vt dixit Auer. 4. cœli, com. 22. motor & motum in lapide sunt idem secundùm positionẽ, & differunt secundum modum. Illa dicuntur esse distincta essentialiter, quorũ vnum non est de essentia alterius, vt forma hominis, & forma equi: & illa dicuntur esse eadẽ essentialiter, quorum vnum est de essentia alterius, vt definitio, & definitum. Illa dicuntur esse eadem secundùm actum, quæ sunt inseparabilia ab aliquo, vt partes alicuius continui sunt actu in continuo, & inseparabiles actualiter ab ipso, hæmet partes possunt dici eadem sm̃ potentiam, quia illud continuum est diuisibile in potentia in semper diuisibilia, oppositum huius identitatis est distinctio. Aliqua etiã possunt dici distincta secundùm dispositionẽ, vt docuit Auer. 12. Met. com. 39. de intellectu, & intellecto, & intelligente, quod hæc omnia sunt vnũ in separatis à materia secundùm rem, sed distincta secundùm dispositionem, alia enim est dispositio intellectus, alia intellecti, & alia intelligẽtis, & sic aliqua sunt distincta ratione, quorum est alietas conceptus, alia sunt eadẽ ratione, quorum nõ est alietas, sed vnitas conceptus. Omnis ergo distinctio, vel identitas, quam intellectus imaginari, seu excogitare potest, ad hæc duo membra. s. realis, & rationis reducenda venit.

Quæ sunt eadem habilitate.

Quæ sunt eadem secũdùm actum, & potentiam.

CAPITVLVM DECIMVMOCTAVVM.

Hic explicantur prædicationes quæ, & quales sint.

Prædicationis varietas. DIVERSI varias prædicationes existimant esse necessarias, ad exprimendas formalitates ipsas: nam aliqua prædicatio dicitur causalis, aliqua materialis, aliqua verò formalis, aliqua denominatiua, aliqua essentialis, aliqua identica. *Prædicatio causalis.* Prædicatio causalis est, quando causa extrinseca, scilicet efficiens, prædicatur de suo effectu, vel econuerso; *Actio est passio, quomodo intelligitur.* exempli gratia, quando dicimus, actio est passio, sensus huius propositionis est, actio est causa passionis, vel passio est actio, idest passio est effectus causatus ab actione. Hoc modo prædicationis, vsus est Arist. 2. de ani. tex. 161. in definiendo phantasiam, dicens, Phantasia est motus factus à sensu secundùm actum, *Materialis.* quia operatio phantasiæ est causata à sensu in actu. Prædicatio materialis dicitur illa, in qua prædicatur materia, de eo cuius est materia, vel econuerso, vt statua est æs, idest, *Formalis.* ex ære, vel statua est argentea. Prædicatio formalis denominatiua dicitur illa, in qua prędicatur forma accidentalis, per modum totius designata concretiuè de ipso subiecto; vt quando dicimus, homo est albus, albedo licet sit forma totius, quia tamen significatur per modum partis, scilicet abstractiuè, non prædicatur de homine: hæc enim est falsa, homo est albedo, & ista est vera, homo est albus, quia in prima, albedo est per modum *Essentialis.* abstracti, in secunda est per modum concreti. Prædicatio verò essentialis est illa, in qua prædicatur forma essentialis de eo cuius est, per modum totius, vt dicendo, albedo est color, vel homo est animal rationale. Et quia dicebat Porphyrius in prædicabilibus, quòd oportet semper æqua de æquis prædicari, idest æqualia de æqualibus, vt homo est risibilis, equus est hinnibilis; vel superiora de inferioribus, vt animal de homine, & cor- *Prædicatio per se quæ sit.* pus de animali, istæ sunt prędicationes per se, aut in primo, aut in secundo modo dicendi per se, vt homo est animal, vel homo est risibilis: quando verò inferiora prædicantur de superioribus, vt dicendo animal est homo, vel homo est Sortes, sunt prædicationes per accidens, quia accidit animali esse hominem, & homini esse Sortem, cum inferiora non sint de essentia superiorum: & istæ prędicationes possunt variari, vel per vniuocationem, vel per æquiuocationem, aut analogiam; & quia prædicari æquiuocè, vel vniuo- *Terminus æquiuocus quis.* cè, vel analogicè, non conuenit rebus, sed terminis, non enim res significata per hoc nomen canis, prædicatur æquiuocè, quia neque animal latrabile, neque canis marinus, neque canis cœlestis prędicatur æquiuocè, sed terminus ille qui significat plures rationes omnino diuersas, secundùm quas de pluribus prædicatur; nam dicimus, sydus cœleste est *Vniuocus.* canis, & piscis est canis, & animal latrabile est canis. Terminus verò vniuocus est ille, qui habet vnam rationem, secundùm quam prædicatur de pluribus æqualiter, ita quod illa de quibus prædicatur, parificantur in illa ratione, licet vnum sit perfectius altero, comparando ipsa ad inuicem, quia res significata per terminum vniuocum habet perfectius esse in vno quàm in altero, quo pacto animal prędicatur de homine, vel leone. *Analogus.* Terminus analogus est ille, qui dicitur de pluribus secundùm vnam rationem inæqualiter participatam, vel secundùm plures non omnino diuersas, sed partim diuersas, & partim easdem; sunt enim diuersę, pro quantò important diuersas habitudines; sunt etiam aliquo pacto eędem, pro quantò habitudines significatę per eas referuntur ad vnum & idem; vt est terminus iste, sanum, dicitur de vrina sana, quia est signum sanitatis in animali, & de medicina sana, quia est causa sanitatis in animali, & de dieta sana, quia est conseruatiua sanitatis animalis, & de animali ipso sano, prout est subiectum sanitatis. Hanc doctrinam ponit Diuus Thomas p. p. q. 13. art. 5. & de veritate, q. 2. art. 11. & in *Identica prædicatio.* pluribus alijs locis suę doctrinę, de prędicatione identica, vt homo est homo, nihil dicendum occurrit, nisi quod supra dictum est, &c.

CAPITVLVM DECIMVMNONVM.

Quæ ſint definitiones, et quot, & quales.

Boetius accepit à Cicerone.

SOLET definiri ipſa definitio hoc modo ab ipſo Boetio libello ſuo de definitione, vt deduxit, & accepit à Cicerone, quod Definitio illa eſt, quę explicat illud de quo quæritur, vt ſi diſputatur de lumine, definitio luminis explicat naturam luminis, de quo quęritur, & diſſeritur. Vel, definitio eſt oratio, quæ explicat quid ſit id quod definit; vnde vnum nomen & vna vox, non poteſt eſſe definitio: neque omnis oratio deſinitio eſt, quia narratio eſt quædam oratio, quæ non explicat quod definit, ſed quod geſtum eſt, & propterea ipſa narratio non eſt definitio, ſed illa oratio eſt vera definitio, quę conſtat ex vno genere, & ex vna differentia.

Species definitionis quindecim.

Verum quia Boetius narrat quindecim ſpecies ipſius definitionis, propterea non erit inutile has omnes breuiter explicare. *Prima.* Prima ergo ſpecies definitionis dicitur ſubſtantialis, quia eſt oratio ſubſtantialiter explicans quodquid eſſe rei; vt animal rationale eſt vera definitio ſubſtantialis hominis, quia explicat naturam, quidditatem, & eſſentiam hominis. *Secunda.* Secunda ſpecies definitionis dicitur, notio quędam, quia facit innoteſcere id, de quo homines controuerſiam habent, vt ſi dicamus, homo eſt, qui exercitio pręeſt cunctis animalibus; hæc definitio non explicat quid ſit homo, ſed quid agat. *Tertia.* Tertia ſpecies definitionis eſt, quę oſtendit qualis ſit homo, vt dicendo, homo eſt in quo pietas, & iuſtitia, & æquitas, & continentia dominatur, vel homo eſt vbi malitia, verſutia, cęteraque vitia verſantur. *Quarta.* Quarta ſpecies definitionis vocatur deſcriptio, quia per quędam accidentia oſtenditur, id de quo diſputatur, vt ſi quis diſputet de auaro, dicendo, quid ſit? reſpondetur, quod eſt crudelis, vel luxurioſus, & eſt appetens non neceſſarij, ſed ſumptuoſi, & deliciarum voluptates, & ſic de alijs, puta de fure, & homicida. *Quinta.* Quinta ſpecies definitionis eſt, varietas vocum, vt quando vnum vocabulum exprimitur per aliud, vt quid ſit conticeſcere? reſpondetur, eſt tacere; & quid ſit quando aliquis habet latus apertum? quia ipſum percuſſum eſt; & ſic etiam quando terminum dicimus finem. *Sexta.* Sexta ſpecies definitionis eſt, quando docemus aliquid per differentiam, vt quando quęritur, quid inter Regem interſit, & Tyrannum? & reſpondetur, quod Rex eſt modeſtus, & temperatus, Tyrannus verò crudelis. *Septima. Translatio eſt ſpecies definitionis.* Septima ſpecies definitionis eſt tranſlatio, vt quando dicimus, quòd adoleſcentia eſt flos ętatis, & ſenectus eſt occaſus ætatis, & nobilitas eſt virtus maiorum apud poſteros, & ſic de alijs. *Octaua.* Octaua ſpecies definitionis eſt per priuationem, vt quando volumus ſcire quid eſt bonum? dicimus, quòd eſt illud, quod non eſt malum; & ſic definimus vnum contrarium per priuationem alterius. Et hac ſpecie definitionis ſolent definiri prima entia, vt materia prima cognoſcitur per negationem, quod non eſt quid, nec qualis, aut quanta; & Deus benedictus, quando dicimus, quid eſt? reſpondetur, quod eſt ille, qui nullo modo ſciri poteſt: vnde Anſel. lib. Monolog. cap. 15. dixit, quòd Deus eſt, quo maius cogitari non poteſt: & ſic Philoſophi etiam dicunt, quòd Deus eſt, neque corpus, neque vllum elementum, neque anima, neque mens, neque ſenſus, neque intellectus, neque aliquid, quod ex his capi poteſt. Sic etiam & ſubſtantia definitur per negationem, quod non eſt in ſubiecto, neque dicitur de ſubiecto; & accidens definitur per negationem, quod non eſt, neque genus, neque ſpecies, &c. *Nona.* Nona ſpecies definitionis eſt, per quandam imaginationem, vt dicendo, Æneas eſt filius Veneris, & Anchiſę; & hæc quaſi ſemper verſatur circa indiuidua. *Decima.* Decima ſpecies eſt exemplaris, vt quando quis quærit, quid ſit animal? reſpondetur, vt homo, ecce per exemplum declaratur id de quo quęritur. *Vndecima.* Vndecima eſt per indigentiam pleni ex eodem genere; vt ſi quæratur, quid ſit libra panis? reſpondetur, eſt cui inſunt duodecim vncię. *Duodecima.* Duodecima eſt per laudem, vt dicendo, quid eſt lex? reſpondetur, quod eſt mens, animus, & conſilium, & ſcientia ciuitatis. *Decimatertia.* Decimatertia eſt per proportionem, & ſimilitudinem; vt inferius eſt id quod reſpicit ſuperius, & lex reſpicit animam. *Decimaquarta.* Decimaquarta eſt relatiua, vt quid eſt pater? eſt ille cui ineſt filius, & ſi quis voluiſſet ſcire, quid eſt dominus? reſpondetur, quod eſt ille, qui habet ſeruos. *Decimaquinta.* Decimaquinta & poſtrema eſt rationalis, ſeu ſecundùm rationem rei, vt ſi quis quęreret, quid eſt dies? reſpondetur, eſt Sol ſuper terram, & quid eſt nox? reſpondetur, quòd eſt Sol ſub terra.

His speciebus definitionis, cuncta definibilia definiri possunt, & ad ipsas quoque species, & modos definiendi reducuntur omnes aliæ definitiones, quas aliqui dicere solent de definitione quid rei, & quid nominis, de definitione simpliciter, & de definitione per additum, & de definitione rerum completarum, & rerum incompletarum, quæ sunt formæ accidentales definibiles per additum diuersi generis; vt quando definitur accidens per subiectum, vt dixit Arist. in prædicamento qualitatis, definiendo qualitatem ipsam, dicens, qualitas est secundum quam, quales esse dicimus; vel quando definiuntur formæ substantiales, etiam per additum eiusdem generis, vt fecit Arist. 2. de ani. tex. 4. dicens, anima est actus corporis physici, organici, potentiæ vitam habentis, definiuit animam, quæ est forma substantialis per additum eiusdem generis. Et regula vniuersalis est de vera definitione, quia est duarum partium, puta generis, & differentiæ, vt docuit Auerr. 8. met. comm. 10. dicens, vnum quod significat definitio vna, est vnum per subiectum, quod est forma vniuersalis generica, & vltima differentia, à qua vltima differentia, definitio vnitatem sumit: quia & si aliquando in diffinitionibus ponantur plures differentiæ, est quia vltima non est nobis nota, sed quando vltima differentia est nobis nota, sufficit vt illa tantummodo ponatur, & hæc erit vera & essentialis, & quidditatiua definitio, vt docuit Arist. 7. met. tex. 42. quod clarè etiam scripsit Auerr. 1. Ethicorum, vbi breuiter quæ nos in hoc cap. & Boetius lib. de definitione dixit, ipse amplexus est.

Definitio quid rei, & nominis.

Sufficit vltima differentia in definitione rerum.

CAPITVLVM VIGESIMVM.

De diuisionibus, quæ, & quales sint.

Diuisio est multiplex.

Prima diuisio.

DIVISIO, vt docet Boetius Seuerinus in lib. de diuisione, est multiplex, & primo ipsius generis in species, secundo totius in partes, tertio vocis in significationes, & postremo est diuisio secundùm accidens. Diuisio in se nihil aliud est, nisi distributio alicuius communis in minus communia, seu superioris in inferiora: hinc est, quòd diuisio generis in suas species, & in suas differentias potest fieri aliquando in species subalternas, quando diuiditur corpus in inanimatum, & animatum; & animatum ipsum diuiditur etiam per sensitiuum, & non sensitiuum. Aliquando diuiditur ipsum animal, quod est genus per species specialissimas, quemadmodum enunciatio diuiditur ab Arist. in affirmationem, & negationem, & color diuiditur per albedinem, & nigredinem: Et diuisio semper debet fieri per duos terminos oppositos, vt quando diuiditur substantia per corporale, & incorporale: hæc enim est recta diuisio, vt docet Boetius libro illo allegato, cap. 3. Secunda diuisio est totius in partes; & quia totum multis modis dicitur, propterea hæc diuisio etiam est multiplex. Nam aliquod totum dicitur definibile, quod diuiditur in partes definitiuas, puta homo est totum diffinibile, & diuiditur in suas partes, quæ sunt animal, & rationale. Aliquod dicitur totum prædicatiuum, quod habet suas partes subiectiuas indiuiduales de quibus prædicatur, & sic etiam homo est tale totum, quod prædicatur de Sorte, & Platone, & Callia, quę etiam dicuntur partes subiectiuæ ipsius hominis. Tertium dicitur totum essentiale, quod etiam diuiditur in partes essentiales, & sic homo ipse etiam dicitur totum essentiale, quia essentialiter componitur ex materia & forma, & sic diuiditur in corpus, tanquam in materiam, & in animam tanquam in formam. Quartum est totum continuum, quod diuiditur in partes suas integrales, veluti domus quędam, diuiditur in fundamentum, in tectum, & parietem: Quintum dicitur totum discontinuum, quod diuiditur in suas partes discontinuas, inter quas quidem non est continuitas, est tamen ordo, & proportio, & sic dicimus, quod hominum alij sunt in Europa, alij in Africa, alij in Asia; sic etiam exercitus, & populus sunt tota discontinua, nam exercitus est quodam totum discontinuum, quod distribuitur in milites, in equites, & pedites. Postremum totum est potentiale, quod constat ex virtutibus, & hoc modo de eo est facienda diuisio, quemadmodum anima ipsa est totum potentiale, seu potestatiuum, & virtuale, vt vtar verbis Boetij; & sic diuiditur anima in vegetatiuam in plantis, & sensitiuam in brutis, & motiuam in animalibus perfectis, quæ mouentur motu progressiuo, & in rationalem, seu intellectualem existentem in hominibus. Diuisio vocis in significationes fit tribus modis:

Secunda diuisio.
Totum multiplex.
Definibile.
Prædicabile.
Essentiale.
Continuum.
Discontinuum.
Potentiale.
Tertia diuisio

Primo

Primo, vocis ęquiuocę, seu ambiguæ in significata æquiuocata; vt quando dicitur, canis, in sydus cœleste, & in animal aquaticũ, & in animal terrestre latrabile. Diuiditur etiam vox vniuoca in sua vniuocata, sicuti animal, quod est vniuocum, cum prędicetur secundum nomen, & rationem, de homine, leone, & capra, diuiditur in ista, & in alias species suas. Tertio diuiditur vox analogica in sua significata analogicata, sicuti sanum diuiditur in animal sanum, & vrinam sanam, & in medicinam sanam, & in dietam sanam: his modis fit diuisio vocis in suas significationes, vt docet Boet. cap. 6. libro de diuisione. Postrema & vltima diuisio est per accidens, quę quidem vt in 2. cap. scribit Boetius, fit etiam tribus modis. Primò, quando subiectum diuiditur in accidentia, dicendo corporum alia sunt alba, alia nigra, alia neutra, & hæc diuisio debet esse per accidentia opposita, quia non esset bona diuisio ista, dicendo, corporum alia sunt alba, alia dulcia, quia ista non sunt opposita. Secundò fit diuisio per accidens, quando diuiditur ipsum accidens in ipsa subiecta, v. g. quando dicimus, accidentium, quę sunt in homine, aliqua sunt in anima, vt scientia, & virtutes, & aliqua sunt in corpore, vt fortitudò, & sanitas. Tertiò potest & ipsum accidens diuidi in ipsamet accidentia, & sic erit partitio accidentis in accidentia: exempli gratia, quando dicimus, accidentium, quędam sunt dura, quędam liquida, quędam lucida, quędam tenebrosa, & sic de alijs: his enim modis potest fieri diuisio ipsa, & non alijs, vt concludit Boet. 2. cap. de diuisione.

Quarta diuisio.

Accidēs diuiditur in subiecta.

CAPITVLVM VIGESIMVMPRIMVM.

De diuisionibus entis, quot, & quales sint.

ENS multis modis diuiditur, propterea necessarium fore duximus ipsos explicare, & Primo diuiditur ens per ens reale & rationis, vt docuit Arist. 5. met. tex. 13. Ens reale est, quod seclusa quacunque operatione intellectus, siue quocunque actu collatiuo cuiuscunque potentiæ, siue intellectus, siue cuiuscunque alterius potentię existit, vt substantia, quantitas, &c. Ens rationis est complexio, siue diuisio non existens in rebus, sed in mente; vt est propositio affirmatiua, vel negatiua, vt voluit Arist. 6. met. tex. 8. bonum & malum sunt in rebus, verum & falsum in mente obiectiuè, scilicet consequenter, vt dictum est supra. Et hoc ens rationis non est in aliquo prędicamento distincto à decem prædicamentis. vt voluerunt aliqui, dicentes, quòd intentiones secundæ, omnia entia rationis, non sunt in aliquo decem prædicamentorum, sed sunt in vndecimo prędicamento: quia illud, quod est in prędicamentis positis ab Arist. aut est substantia, aut accidens, sed entia rationis non sunt neque substantia, neque accidens, ergo non collocantur in aliquo prędicamentorum positorum ab Arist. sed in vndecimo prędicamento. Et si dicis, ergo Arist. est diminutus, quia hoc vndecimum prędicamentum apud eum nō reperitur, & si daretur, incompletè tradidisset nobis logicam, non ponendo illud: vel sequitur alterum, scilicet ꝙ Scotus esset superfluus, ponendo illud. Respondent ipsi, quod Arist. assignauit tantum decem predicamenta realia, tamen vltra hęc datur vndecimum, quod est intentionale. Et quando dicis, quòd Arist. est diminutus; negatur consequentia, quia sufficiebat Arist. assignare tantùm prędicamenta realia; nec Scotus est superfluus, quia non addit supra prædicamenta realia aliquod aliud reale, sed tantum intentionale, quod apprimè fuit necessarium. Sed pace istorum dixerim, nulla apparet necessitas, immo superfluitas maxima, & natura, & ars abhorret superfluitatem; quia entia rationis, & secundæ intentiones sunt reductiua in prædicamentis realibus, vt docet S. Thom. p. p. q. 33. art. 4. ad tertium, vbi disputat, num esse ingenitum sit proprium Patri? & vult, quòd negatio reducitur ad genus affirmationis, sicut non homo ad genus substantiæ, & non album ad genus qualitatis, sic etiam in omni prædicamento reali sunt suæ intentiones secundæ; hinc vocamus substantiam genus generalissimum, ecce secunda intentio, sic corpus, corpus animatum, animal genus subalternum, homo, equus, speciem specialissimam, Sortes, & Plato indiuidua. Ecce ergo quomodo secundæ intentiones sunt in prædicamento substantiæ: sic etiam quantitas est genus generalissimum; quantitas continua, & discreta, sunt genera subalterna; numerus, & oratio, corpus, tempus, & locus sunt species; hæc oratio, hic locus sunt indiuidua, & hæc sunt secundæ inten-

Diuisiones entis.

Prima, in ens reale & rationis.

An detur prædicamentum vndecimum.

Intentiones secundæ, in quo prædicamento sunt.

intentiones, siue entia rationis, quæ reducuntur ad genus quantitatis, & sic de alijs prædicamentis: non ergo fuit necessarium ponere vndecimum prædicamentum, quia sine dubio sequeretur Arist. diminutè tradidisse nobis suam logicam.

Secunda diuisio entis per quantum, & non quantum.

Secunda diuisio entis est, per quantum, & non quantum; & hac diuisione exprimitur solum ens reale, & non ens rationis, quia ens rationis, est ens imperfectû, & diminutum, dependens ab intellectu, vt docuit Auerr. 6. met. comm. 8. vnde tale ens rationis non potest diuidi per quantitatem perfectionalem & imperfectionalem, sed tantum ens reale sic diuiditur. Quantitas autem, vt notat S. Thom. p. p. q. 42. art. 1. vbi disputat, num æqualitas sit in diuinis? dicit, quòd est duplex, altera molis, siue dimensiua, quæ in solis rebus corporalibus est, hæc non habet locum in diuinis; alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundùm perfectionem alicuius naturæ, vel formæ, quæ quidē quantitas designatur secundùm quod dicitur aliquid magis, vel minus calidum, inquantum est perfectius, vel minus perfectum in tali caliditate: huiusmodi autem quantitas virtualis, attenditur primo quidem in radice, idest in ipsa perfectione formæ, vel materiæ, & sic dicitur magnitudo virtualis, sicut dicitur magnus calor, propter suam intensionem, & perfectionē: hinc August. 6. de Trin. cap. 3. ait, quòd in his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius, esse, quod est melius, & quia in diuinis est diuina essentia, quę est infinitè quanta, hoc est, dicit perfectionem infinitam. Sunt etiam relationes originis, quæ non dicunt perfectionem, nec imperfectionem, & ideo dicuntur entia non quanta: nam si relationes originis dicerent aliquam perfectionem, & cum alia sit relatio in Patre, & in Filio, alia etiam, & alia esset perfectio in illis, igitur Pater, & Filius non essent æquales, nec eiusdem perfectionis, & illa persona in qua sunt plures relationes, esset perfectior illa, in qua sunt pauciores, quod hæreticum est dicere. Adde etiam, quòd cum istę relationes non possunt excedi, quia sunt idem realiter cum essentia diuina, quæ est formaliter infinita, infinitum autem à nullo excedi potest; nec etiam possunt excedere, quia excessus illi cōuenit, quod habet rationem mensuræ, relatio autem cùm non sit ens primum, non potest habere rationem mensuræ, hinc, nec perfectionem, nec imperfectionem dicere poterunt, aliter excederent, vel excederentur: tum etiam, quia in diuinis non possunt esse plura realiter distincta formaliter infinita, sed istæ relationes sunt realiter distinctæ, cum cōstituant personas realiter distinctas: si ergo essent quantæ, ergo formaliter infinitæ, & sic plura infinita distincta realiter essent in ipso Deo, quod est falsum, ergo &c. Hinc Caiet. in p. p. q. 28. art. 2. S. Thom. sustinet, ꝙ relatio diuina, nec perfectionem, nec imperfectionem dicit; ob hoc cogitur Caiet. acceptare hanc diuisionem entis, cuius oppositum videtur arguere in libello de ente & essentia, cap. 2. Sed nos latius diximus de hoc 1. sent. dist. 34. vide ibi, quia hęc diuisio entis est Theologalis, & non Physicalis, nec Metaphysicalis.

Relatio nec perfectionem, nec imperfectionem dicit.

Caietanus cogitur acceptare quod negauit.

Tertia diuisio per finitum, & infinitum.

Tertia diuisio entis est per finitum, & infinitum; & ad hanc diuisionem tertiam reducitur illa, quam alij ponunt ens diuidi per Deum & creaturam; & illa, quam alij dicunt ens diuidi per ens à se, per se, & ad se, & per ens per se, sed non à se: nam ens infinitum est Deus, ens finitum est creatura; sicetiam ens à se, & per se, & ad se, est Deus ipse; ens autem non à se, est creatura, non enim sunt multiplicandę diuisiones entis sine necessitate; sic etiam illa alia diuisio, quam alij existimarunt esse per ens per essentiam, & per ens per participationem, nam quid est ens infinitum, nisi Deus? sic ens à se, & ens per essentiam, quid aliud est, nisi Deus ipse? sicuti ens finitum, & non à se, & per participationem dicitur ipsa creatura; nam habens perfectionem totalem est ens infinitum per essentiam, vt Deus; habens verò perfectionem partialem dicitur creatura, quę ideo dicitur per participationem, non quod partem capiat à Deo, sed quia deficit sibi aliquid inquantum est ens, saltem deficit sibi perfectio Dei.

Creatura quare dicatur ens per participationem.

Infinitas duplex.

Et nota, quòd cùm infinitas sit duplex, intensiua in vigore, & extensiua in duratione, intelligitur de prima infinitate, cuius meminit Arist. 8. Phys. tex. 78. vbi posuit primum mouens mouere motu infinito, ex consequenti mouere potentia infinita in vigore; quia illud, quod habet infinitatem durationis, habet quantitatem molis, vt est cœlum, quod habet magnitudinem, & potentiam infinitam in tempore, quia potest durare per infinitum tempus: igitur cùm Arist. probet 8. Phys. tex. 79. primum Motorem habere infinitam potentiam, ista potentia non erit infinita tantum in tempore, quia talis stat cum quantitate, Deus non est quantus, & habet potentiam infinitam, ergo non habet solum illam, quę stat cum quantitate. s. potentiam infinitam in tempore, sed habet illam, quæ est infinita in vigore. Et si dicis, quòd infinita potentia non stat cum magnitudine, idest non

datur

datur orbis, qui componatur ex magnitudine & intelligentia, quę est infinita in potentia, sed benè datur orbis habens magnitudinem, cui assistit intelligentia, quę est infinitæ potentię, & sic potentia infinita non informat magnitudinem, sed assistit magnitudini: & ideo Arist. non probat, quod illud, quod est infinitę potentię non possit assistere magnitudini, sed vult, quod illud, quod est infinitę potentię, non potest informare magnitudinem, & sic intelligendo probationem Arist. quod non probat Deum esse infinitum in vigore, quia mouet motu infinito, sed bene probat, quod est infinitę potentię, scilicet in duratione, quæ potest stare cum aliqua quantitate cui assistat, sed non quod illud, quod est infinitæ potentię informat illam quantitatem. Patet igitur, quòd ratio Arist. non probat infinitatem in vigore, & ex consequenti falsum est alias diuisiones entis supra enumeratas reduci ad istam. Respondendo ad hoc, dicimus, quòd arguens decipitur, quia in ratione Arist. debet intelligi sic illa particula, à se, ita quod sensus est, mouens à se tempore infinito, est vigoris infiniti intensiuè, quia si habet à se potentiam infinitam mouendi, ergo habet à se entitatem, ergo non determinatam ad certum gradum, & sic infinitam intensiuè, sed Deus mouet tempore infinito ex se, & à se, igitur Deus est infinitus in vigore intensiuè, vt posuit etiam Auerr. lib. de substantia orbis, cap. 3. faciens differentiam inter infinitum actione, & velocitate, & infinitum actione, & passione in se, vt etiam est videre apud Caiet. in aurea quæstione illa peculiari, quam facit de infinitate Dei, &c.

Intelligentia assistit orbi.

Deus mouet à se, & ex se.

Quarta diuisio entis est in ens per se, & in ens per accidens. Quam diuisionem posuit Arist. 5. met. tex. 13. Ens per se, est prędicatum substantiale, siue accidẽtale; vnde animal est ens per se, quia per se prędicatur de homine, sic & rationale est ens per se, color etiã, licet sit accidens, est tamen ens per se, quia per se prædicatur de albedine. Ens per accidens, est prædicatum accidentale, vt animal iustum, & animal musicum, istis enim duobus accidentibus subijcitur idem subiectum, ista identitas est per accidens, ait Auerr. quia accidit vnum alteri, & ambo simul vni subiecto, quod differt à musica, & à iustitia; sic etiam homo est musicus, & musicus est homo, est ens per accidens, quia homini accidit esse musicum, vel homo est albus musicus, est ens per accidens, vel album musicum est homo: hæc omnia sunt entia per accidens, &c.

Quarta diuisio in ens per se, & per accidens.

Quinta diuisio entis est in substantiam, & accidens. Hanc ponit Arist. 5. met. tex. 15. Substantia est, vt homo, animal, corpus, terra, aqua, aer, ignis, & quę constant ex his: Accidens verò est, vt quantitas, qualitas, situs, habitus, &c. Vbi nota diligenter, quòd diuisio illa, qua ens diuiditur in ens per se, & in ens per accidens, est alia à diuisione entis in substantiam & accidens, accidens enim dupliciter capitur, Vno modo pro omni illo, quod conuenit alicui, & non est de definitione quidditatiua eius, & sic propria passio est accidens suo subiecto, & omne accidens commune est accidens subiecto, & omne inferius suo superiori, vnde accidit animali esse hominem. Alio modo potest capi accidens pro eo quod accidentaliter perficit illud, quod existit in se perfectum, nec necessariò consequitur ipsum, sed inest ei contingenter; & sic sumpsit Porph. quando dixit, accidens est, quod adest, & abest præter corruptionem subiecti. An secundæ intentiones sint accidentia, & alia entia rationis, non est præsentis instituti, cùm hæc spectent ad Logicum.

Quinta diuisio in substantiam, et accidens.

Accidens capitur dupliciter.

Sexta diuisio entis est in figuras prędicamentorum, quia ens aliud prædicatur in quid, seu essentialiter, vt ait Auer. 5. met. comm. 14. & aliud accidentaliter; & hęc diuisio est secundùm numerũ, secundùm quem dicuntur prędicamenta, vt animal prędicatur in quid, vt quando quęritur, quid est homo? est animal: aliquando prędicatur aliquid de aliquo in quantum, ratione materiæ, & sic est prædicamentũ quantitatis: aliquando prædicatur aliquid de aliquo in qualitate, ratione formæ, & sic erit prædicamentũ qualitatis, vt esse iustum prædicatur de homine: aliquando prædicatur aliquid de aliquo cum respectu intrinseco, vt esse patrem, vel filium, &c. & talis prędicatio facit prędicamentũ ad aliquid: aliquando prędicatur aliquid de aliquo cum respectu extrinseco, & sic constituuntur sex vltima prædicamenta, quæ non dicunt purum respectum, quoniam cum motus localis sit in prædicamento vbi, si prędicamentum vbi, diceret purum respectum, tunc motus esset primò, & per se ad relationem, quod est contra Arist. 5. Phys. tex. 10. nec dicunt purum absolutum, quia tunc non distinguerentur à tribus primis prędicamentis. s. substantia, qualitate, & quantitate, non dicunt absolutum cum respectu ex ęquo, quia tunc essent entia per accidens, quia essent aggregata ex diuersis: dicunt ergo respectum extrinsecum denominatiuum. Vbi attende, quòd denominatio potest fieri tribus modis, Primo ab aliquo absoluto intrinseco ipsi denominato, vel per identitatem, vt Sortes est substantia, vel

Sexta diuisio in figuras prædicamentorũ.

Prædicatio est multiplex.

Denominatio fit tribus modis.

vel per aliquam inhærentiam, vt Sortes est quantus, vel qualis. Secundo ab aliquo intrinseco ipsi denominato importante respectum intrinsecũ ad terminum, vt Sortes est pater. Tertio ab aliquo extrinseco importante respectũ extrinsecum, vt Sortes est locatus; constat enim locum non esse subiectiuè in locato, sed in locante, & sic se habent sex vltima prędicamenta, puta actio, & passio, quando, vbi, situs, & habitus. De hac re discriminantur satis, tum Logici, tum Metaphysici, vt est videre apud Caiet. in postpred. c. de opposit.

Locus est subiectiuè in locante.

Septima diuisio per ens actu, & potentia.

Septima diuisio entis est per ens actu, & per ens potentia, siue per actum & potentiam. Hanc ponit Arist. 5. met. tex. 14. & dat exemplum de vidente, quod actu videt aliquam picturam, & aliquod est videns in potentia illam picturam; & aliquod est sciens in actu, quando actu vtitur scientia, & aliquod est sciens in potentia, quia potest vti scientia; & aliquod est quiescens in actu, & aliquod est quiescens in potentia, quia ei poterit inhærere ipsa quies: & sic aliqua est substantia in actu, vt triticum, & aliqua in potentia, vt triticum in herba. Ponit etiam diuisionem istam Arist. 9. Metaph. tex. 13. vbi dicit, quòd potentia & actus sunt eiusdem generis, licet aliqui voluerint, dictum hoc intelligi debere de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, non autẽ de potentia subiectiua, & actu formali, quia potentia obiectiua, & actus obiectiuus nedũ sunt eiusdem generis, sed speciei, & numeri: illud enim idem, quod est in potentia, postea fit in actu, Sortes enim, qui est in potentia, non distinguitur à seipso numeraliter, vt est in actu. Non potest dictum hoc intelligi de potentia subiectiua, quia potentia subiectiua, & actus non sunt eiusdem speciei, aut numeri: nam substantia quę est subiectum accidentium, non est eiusdem generis cum accidentibus. Deinde habetur ab exemplis, quæ ipse ponit de hac diuisione, vt vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculum, & elaboratum ad illaboratum, quæritur modo, quæ potentia est ista, quando aliquis est videns, & habet potentiam ad claudendũ oculum, & sic de alijs? non est potentia subiectiua, quia talis potentia manet simul cum actu, quia ex potentia subiectiua, & actu formali fit compositum per se, vt scripsit Arist. 8. Metaph. tex. 15. ergo intelligendus est Arist. de potentia obiectiua, quę non stat cum actu simul. Hanc etiam potentiam obiectiuam posuit Aug. 12. confess. c. 9. vbi ponit ipsam materiam creari à Deo, sed antequam crearetur erat in potentia non subiectiua, ergo obiectiua, aliter Deus creâsset illud, quod erat impossibile, quod non est credẽdum, quia Deus non creat impossibilia, & sic dicendum est de toto Mundo, antequam crearetur erat in potentia obiectiua. Sed pace istorum, dico eos aberrare toto cœlo: nam vbiq; locorum Arist. in doctrina sua, non ponit nisi duas potentias, actiuam & passiuam. Et patet hoc ex 3. Phys. tex. 2. vbi diuidit ens pro definitione motus in actum, & potentiam: Et 5. Met. tex. 14. & 9. etiam Metaph. tex. 11. potentia enim aut est principium transmutandi aliud, inquantum aliud, aut transmutandi ab altero inquantum ab altero; si primo, tunc erit actiua; si secundo, tunc erit passiua, ergo obiectiua est chimerica; non Peripatetica realis. Quod in Theologia sit etiam chimerica, patet; quia in Theologia omne, quod est, aut Creator, aut creatura, sed potentia obiectiua neutrũ istorum est, igitur &c. Si dicis, vt illi respondere solent ad vtrunque argumentum, quod concludit de ente existente, non autem de ente non existente, quale est potentia obiectiua. Contra, Tunc sequeretur inter contradictoria dari medium, nam potentia obiectiua non est Creator, non creatura, ergo nihil erit. Deinde non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed ponere potentiam obiectiuam, est multiplicare entia sine necessitate, quia sufficit ponere possibile Logicum, quod est non repugnantia terminorum. Nec argumenta illorum aliquid concludunt. Non primum, quia potentia subiectiua potest dupliciter considerari, Vno modo respectu actus, quem primo, & per se respicit, & sic est eiusdem generis cum suo actu. Alio modo respectu actus, quem secundariò respicit, & sic verum est potentiam subiectiuam esse subiectum accidentium. Secundum argumentum est fundatum supra exemplis, quæ dantur non vt ita sint, sed vt addiscentes adiscant. Deinde, stando etiam præcisè in exemplis, dicimus, quòd videns, est in potentia actiua ad claudendũ oculum, sicut habens scientiam est in potentia actiua ad vtendum illa, & sic non est necesse ponere potentiam obiectiuam. Ad tertium dicitur, quòd materia prima, & totus mundus erat in potentia actiua ipsius Dei, ex parte materiæ erat non repugnantia terminorum, quæ dicitur possibile Logicum. Patet ergo diuisionem istam entis, non debere intelligi de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, sed de potentia subiectiua, & actu formali.

Potẽtia obiectiua, et actus entitatiuus, sunt eadem numero.

Potentia obiectiua reprobatur.

Potẽtia subiectiua dupliciter considerari potest.

Octaua diuisio per absolutum, & relatiuum.

Octaua diuisio entis est per absolutum, & relatiuum, ens formaliter absolutum est illud, quod non est formaliter ad aliud, sicut est Deus, & omnia attributa in diuinis, & tria

genera

genera generalissima tantum: scilicet substantia, quantitas, & qualitas. Ens verò respectiuum dicitur illud, quod formaliter est ad aliquid, sicut sunt in diuinis proprietates notionales, & relationes communes, & septem illa prædicamenta, scilicet ad aliquid, actio, & passio, quando, vbi, situs, & habitus. Hanc diuisionem, licet non ita ample posuerit Aristoteles, tamen insinuauit eam in principio prædicamentorum, vbi enumerauit omnia decem prædicamenta cum exemplis suis. Vbi nota, quòd absoluta, aliquando etiam relatiua esse possunt, licet non formaliter, hoc est quidditatiuè, bene autem denominatiuè, vt dicit Philoponus 3. de anima, comm. 4. quia omnia entia mundi, aut sunt intelligibilia, aut sensibilia; & quia intelligibile refertur ad intellectum, & sensibile ad sensum; propterea omnia entia relatiua dici possunt. Et hinc factum est, quòd relatiua quædam, sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatiuas, vt dominus, seruus, & pater, filius, & talia vocantur relatiua, secundùm esse; quædam verò sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut monens & motum, caput & capitatum, & alia huiusmodi, quæ appellantur relatiua secundùm dici. *Septem prædicamenta dicunt respectū.*

Vbi etiā considera diligenter aliam diuersitatem relatiuorum, quia cùm relatio requirat duo extrema, Tripliciter se habere poterit. Quandoq; enim ex vtraq; parte est res rationis tantum, vt quando. s. ordo, vel habitudo non potest esse inter aliqua, nisi secundùm ratione apprehensionis tantum, vtpotè cùm dicimus, idem eidem idem: nam secundùm quod ratio apprehendit bis aliquod vnum, & statuit illud vt duo, & sic apprehendit aliquam habitudinem ipsius ad seipsum; & similiter est de omnibus relationibus, quę sunt inter ens, & non ens, quas format ratio, inquantū apprehendit non ens, vt quoddam extremum; & idem est de omnibus relationibus, quæ consequuntur actū rationis, vt genus, species, & huiusmodi. Quædam verò relationes sunt, quantum ad vtrunq; extremum, res naturæ, quando. s. est habitudo inter aliqua duo, secundùm aliquid realiter conueniens vtrique, sicut patet de omnibus relationibus, quæ consequuntur quantitatem, vt magnū, paruum, duplum, & dimidium, & huiusmodi, nam quantitas est in vtroq; extremorum; & simile est de relationibus, quę cōsequuntur actionem, & passionem, vt motiuum & mobile, pater & filius, & similia. Quandoq; verò relatio in vno extremorum est res naturæ, & in altero est res rationis tantum; & hoc contingit, quandocunq; duo extrema non sunt vnius ordinis, sicut sensus, & scientia referuntur ad sensibile, & scibile, quæ quidē inquantum sunt res quædam, in esse naturali existentes, sunt extra ordinem esse sensibilis, & intelligibilis, & id in scientia quidem & sensu est relatio realis, secundùm quod ordinatur ad sciendum, vel sentiendum res, sed ipsæ in seipsis consideratæ, sunt extra ordinem huiusmodi, vnde in eis non est aliqua relatio realiter, ad scientiam, & sensum, sed secundùm rationem tantùm, inquantum intellectus apprehendit res, vt terminos relationum scientiæ, & sensus: & propterea Arist. 5. Met. tex. 20. ait, quòd non dicuntur relatiuè, eo quod ipsa referuntur ad alia, sed quia alia referuntur ad ipsa; & similiter dextrum, non dicitur de columna; nisi inquantum ponitur animal ad dexteram, vnde huiusmodi relatio non est in columna, sed in animali. Hæc omnia complectuntur sub hac diuisione, &c. *Relatio tripliciter se habere potest.* *Relatio aliquādo res naturæ, & aliquādo rationis.*

Nona diuisio entis est, per vnum, & multa; quam diuisionem posuit Arist. 10. Metaph. tex. 9. vbi narrat quatuor genera oppositionum, scilicet, secundùm priuationem, & habitum, vt cæcitas, & visio; secundùm contrarietatem, vt album, & nigrum; secundùm contradictionem, vt sedens, & non sedens; secundùm ad aliquid, vt pater, & filius. Et quia vnum dicitur multis modis, vt scripsit Arist. 5. Metaph. tex. 8. vt mensura & mensuratum, vnum enim habet rationem primæ mensuræ, & numerus est multitudo mensurata per vnum; vnum verò quod conuertitur cum ente, opponitur multitudini per modum priuationis, vt indiuisum diuiso, quia illa quorum rationes sunt oppositæ, illa quoque sunt opposita, sed ratio vnius consistit in indiuisibilitate, ratio multitudinis diuisionem continet, sequitur inde necessariò vnum opponi multitudini, & econtra. *Nona diuisio per vnum, & multa.* *Genera oppositionum quanam sint.*

Sed dices, nullum oppositum constituitur ex suo opposito, sed vnum constituit multitudinem, ergo non opponitur multitudini. Ratio hęc facit difficultatem multis, propterea scias tu qui disputationibus vacas, quod totum est duplex, quoddam homogeneum, quod componitur ex similibus partibus; quoddā verò heterogeneum, quod cōponitur ex partibus dissimilibus. In quolibet autem toto homogeneo totum cōstituitur, ex partibus habentibus formam totius; sicut quælibet pars aquæ est aqua, & talis est constitutio continui ex suis partibus: in quolibet autem toto heterogeneo, quęlibet pars caret forma totius; nulla enim pars domus, est domus, nec aliqua pars hominis, est homo, & tale totum, *Totum est duplex.*

G est mul-

est multitudo: inquantùm ergo pars eius non habet formam multitudinis, componitur multitudo ex vnitatibus, sicut domus ex non domibus, non quod vnitates constituant multitudinem, secundùm id quod habent de ratione indiuisionis, prout opponuntur multitudini, sed secundùm hoc quod habent de entitate, sicut & partes domus constituunt domum per hoc, quod sunt quædam corpora, non per hoc, quod sunt non domus. Itaque formaliter respondendo ad arg. dicimus ad minorem, quòd Vnum bifariam consideratur, Primo modo, vt exercet actum priuationis, Secundo modo, vt habet rationem entis formaliter, & completiuè: primo modo opponitur multitudini, & non componit eam, secundo modo non opponitur, & ideo eam componit.

Domus ex quibus fit.

Sed dices adhuc contra, Si vnum opponitur multitudini, vt exercet actum priuationis, ergo est posterius multitudine, & definitur per eam, quod est inconueniens, quia multitudo definitur per vnum; consequentia probatur, quia priuatio est posterior habitu, & definitur per ipsum, vel erit circulus in definitione. Nisi dicamus, diuisionem esse priorem vnitate non simpliciter, sed secundùm rationem nostræ apprehensionis, apprehendimus enim simplicia per composita: vnde definimus punctum cuius pars non est, vel principium lineæ, sed multitudo etiam secundùm rationem consequenter se habet ad vnum, quia diuisa non intelligimus habere rationem multitudinis, nisi per hoc, quod vtrique diuersorum attribuimus vnitatem, tunc vnum ponitur in definitione multitudinis, non autem multitudo in definitione vnius, sed diuisio cadit in intellectu ex ipsa negatione entis, ita quod primo cadit in intellectu ens, secundo quod hoc ens non est illud ens, & sic secundo apprehendimus diuisionem, tertio vnum, quarto multitudinem; & sic patet solutio ad hanc instantiam, & quomodo hæc diuisio datur per opposita, &c.

Priuatio est posterior habitu.

Decima diuisio entis est per ens abstractum, & ens non abstractum; quam diuisionem Arist. non videtur ita explicitè ponere, tamen aliquo pacto insinuauit 4. Met. tex. 1. vbi dicit, est autem quædam scientia, quæ speculatur ens inquantùm ens, cæteræ verò scientiæ abscindunt quandam partem entis: & quia ens inquantùm ens est abstractum abstractione formali, scilicet ab omni materia sensibili, & intelligibili, & tale ens consideratur ab ipso Metaphysico; ens verò non abstractum est duplex, quia vel non est abstractum à materia intelligibili, licet sit abstractum à materia sensibili, tam vniuersali, quàm particulari, & tale ens quantum, quod consideratur à Mathematico, puta linea, superficies, & corpus, &c. vel erit ens, non abstractum à materia sensibili vniuersali, quamuis sit abstractum à materia sensibili particulari, & tale erit ens mobile, quod speculatur ipse Physicus; ens quoque abstractum est duplex, quia vel est abstractum per existentiam, & tale est Deus benedictus cum toto choro Intelligentiarum, vel est abstractum per indifferentiam, & tale est ens, vnum, verum, bonum, & cæteræ passiones entis, hæc dicuntur abstracta per indifferentiam, quia indifferenter reperiuntur in superioribus, & inferioribus: nam Deus est ens, res, bonus, verus, &c. sic etiam proportionaliter, lapis est ens, bonus, verus, licet diuersa ratione, hoc etiam modo dicimus de alijs rebus, tam superioribus, quàm inferioribus, &c.

Decima diuisio per ens abstractum, & non abstractũ.

Ens abstractũ est duplex.

CAPITVLVM VIGESIMVMSECVNDVM.

Hic exprimitur, & declaratur, quæ sit prima entis diuisio.

MAXIMA est discordia inter Doctores de hac re, quærendo, quænam prima entis diuisio sit inter has decem diuisiones in præcedenti cap. assignatas. Nam Scotus in quolibetis quolib. 5. videtur velle, quòd prima diuisio entis realis sit, per quantum, & non quantum; quia de ratione optimę diuisionis est, quod diuisum complectatur membra diuisiua, & econtra membra diuidentia ipsum diuisum, ita quod illud membrũ latius non pateat, nec oppositum, sed nulla sunt entia, quæ non contineantur sub aliquo illorum duorum membrorum. s. aut sub quanto, aut sub non quanto, aut de quibus quantum & non quantum non prædicentur. Et si daretur aliqua alia prima diuisio, tunc sub illius diuisionis membris contineri non possent relationes originis, quæ nec quantæ, nec non quantæ formaliter sunt, nec istæ relationes continentur sub finitate, aut infinitate, quia nec finitę, nec infinitæ sunt, ergo partitio inquantum, & non

Prima diuisio entis, secundùm Scotum.

quantum,

quantum antecedit illam, quę est per finitum & infinitum. Præterea, accipiatur humanitas, aut quæcunque alia quidditas, in sua vltima, & maxima abstractione, adhuc illa est perfectior altera, puta leonitate, vel bouinitate, ergo &c. Tertiò, accepta aliqua quidditate in sua vltima sui abstractione, sed secundùm ordinem ad Deum, & ad alias quidditates, quia species rerum, vt docet Arist. 8. Met. tex. 9. sunt veluti numeri, & tunc non est infinita, nec finita, nec vna, nec plures, vt testatur Auicenna in sua Metaphysica, & in ista abstractione habet ordinem ad Deum, & est imperfectior Deo, & perfectior aliqua alia quidditate, & natura, ergo sic abstracta adhuc est quanta. Adde, quia de tali quidditate sic abstracta, est demonstrabilis quantitas virtutis: nam in tali præcisione, competit sibi definitio sua essentialis, quę sine dubio præstantior, & nobilior est definitione leonis, ergo omnibus alijs circumscriptis homo erit quantus, & tamen sic abstrahitur ab vnitate, & multitudine, & ab omni alio posteriori, &c. *Quidditas vna est perfectior altera.*

Caietanus in p.p. S.Thomæ, in expositione primæ quæst. art. 4. videtur sentire, quòd ens prima sui diuisione diuidatur per finitum & infinitum, quia sicuti est de scientia in se, ita de ente, sed scientia primò diuiditur per finitam & infinitam, & deinde scientia finita diuiditur per speculatiuam & practicam, ita etiam dicendum est de ipso ente, & de omni alia re, &c. *Scientia diuiditur per finitum & infinitum.*

Ioannes Vallonis in lectura sua super Formalitates Scoti, sustinere videtur ens reale prima sui diuisione diuidi per Deum & creaturam, & non per quantum & non quantum, aut per finitum & infinitum. Ratio sua est, quia modus intrinsecus insequitur quidditatem, & est posterior ipsa, sed Deus & creatura sunt quidditates, & naturæ quædam, finitum & infinitum, quantum & non quantum, sunt modi entis, igitur prima diuisio ipsius entis realis, erit per Deum & creaturam, tanquam per quidditates & naturas, quę sunt priora suis modis, & hoc loquendo de diuisione entis in se, & apud intellectum distinctè concipientem, & phantasmatibus non indigentem, &c.

Simplicius in principio libri prędicamentorum vult, quòd prima diuisio entis est per primam causam, & primum causatum, & hæc est communis opinio Grecorum. Boetius econtra defendit in eodem loco primam diuisionem entis fieri per substantiam & accidens, quia omne ens aut est in se, aut in alio; si primo modo, tunc est substantia; si secundo, tunc est accidens, & sic hęc erit prima diuisio entis. *Opin. Simplic. de diuisione entis.*

Aliqui ex nostris, vt Soncinas 10. Met. q. 1. contendunt probare primam diuisionem entis esse per vnum & multa; quia si accipiatur aliqua natura abstracta, puta humanitas, illa est distincta à suo modo intrinseco ex natura rei, ergo est indiuisa à se, & diuisa à quolibet alio, quod non est ipsa, & sic est vna & non plures, antequam sit quanta vel non quanta, & finita & infinita, & sic de alijs modis intrinsecis, qui semper sunt posteriores distinctione illius naturæ. Nec valet responsio, si dicatur, quod in primo signo naturæ non distinguitur, nec non distinguitur, sed bene in secundo signo naturæ, vt aliqui dicunt, volentes effugere hoc argumentum, quia non potest euadi quin quidditas aliqua, prior suo modo intrinseco, & distincta ex natura rei non sit in se indiuisa, aut diuisa, quia implicat oppositum dicere, ergo hęc erit prima diuisio entis. *Signa naturæ quæ sint.*

Auerr. 5. Met. comm. 13. & 6. Met. comm. 4. asserit, ens prima diuisione diuidi in ens per se, & in ens per accidens; & ibidem etiam affirmat, ens per se diuidi in decem prædicamenta; & in 9. Metaph. comm. 1. affirmat quoque ens diuidi per potentiam & actum; & in prologo 7. Metaph. scribit ens diuidi in substantiam, & accidens, quia alia est diuisio in substantiam, & accidens, & alia in ens per se, & in ens per accidens, quia diuisio entis in substantiam & accidens est de diuisionibus entis, quod est subiectum in Metaphysica, quod secundùm suam absolutam considerationem non vadit quin sit substantia, aut accidens, sed diuisio entis in per se, & per accidens est diuisio penes modos prædicandi per se, vel per accidens.

Vnde ex varietate tot tantarumque opinionum, veritas huius rei est satis occulta, nisi dicamus, distinguendo, quod diuisio est multiplex, vt dicemus cap. de diuisionibus, quia alia est diuisio generis in species, & alia est diuisio generis in differentias, & alia est diuisio totius in partes subiectiuas, & alia subiecti in accidentia, de quibus infra sigillatim dicemus. Adde etiam, quod prius, multis modis dicitur, vt scribitur in postprædicamentis, & 5. Metaphyces, cap. de priori. Nam aliquid est prius simpliciter, aliquid est prius secundùm dignitatem naturę, & aliquid est prius secundùm ordinem doctrinę, vt clarè est ibi videre. Si loquamur de diuisione entis, secundùm ordinem doctrinæ, *Veritas rei est occulta.* *Prius multis modis dicitur.*

Diuisio entis in decem prædicamenta est prima.

Dicerem primò, quòd diuisio entis in decẽ prędicamenta est prima; quia de ea tractat Arist. 5. Met. qui antecedit alios libros posteriores: Dico secundo, quòd diuisio entis, in ens per se, & in ens per accidens, sequitur diuisionem entis in decem prædicamenta; quia de ista diuisione disputat Arist. 6. Met. vbi excludit ens per accidens à principali cõsideratione Metaphysic. vt scribit S. Thom. in principio illius libri: Tertio dico, quòd diuisio entis in ens in animam, & in ens extra animam, sequitur illam secundam diuisionem, quia de hac disputat etiam Arist. 6. Metaph. in fine, vbi etiam excludit ens in anima, seu ens rationis à principali consideratione Metaphys. Dico quarto, quòd diuisio entis in substantiam, & accidens, iuxta ordinem doctrinæ (vt dictum est) sequitur antecedentes prænominatas diuisiones; quia de ista diuisione tractat Arist. in 7. & in 8. Met. vt perbelle docet Auerr. in prologo 7. Met. Dico quinto, quòd diuisio entis per actum & potentiam, sequitur prænominatas antecedẽtes; quia de hac tractat Arist. in 9. lib. Met. qui appellatur tractatus de potentia & actu, qui sunt differentię valdè oppositæ, & contingunt omnibus prędicamentis, vt scripsit Auerr. 2. de ani. com. 6. Dico sexto, quòd diuisio entis per vnum, & multa, sequitur diuisiones recitatas; quia de hac disputat Arist. 10. Met. per totum. Dico septimo, quòd

Abstractum est duplex, per existentiam, & per indifferentiam.

diuisio per abstractum & non abstractum, sequitur antedictas diuisiones; nam de ista tractat Arist. 12. Met. & loquor de abstracto per existentiam, sicuti est Deus benedictus cum toto choro Intelligentiarum: Dico postremo, quòd diuisio entis iuxta sententiam Peripateticorum, & iuxta opiniones antiquorum, sequitur omnes alias prædictas diuisiones; nam de ista tractat Arist. in 13. & 14. libris Metaphysicorum, si illi sunt veri & legitimi libri Arist. nam aliqui non ignobiles Metaphysici volunt esse libros editos à Theophrasto discipulo Arist. sed de hoc alias, sufficiat nobis modò exprimere ordinem diuisionum entis, de quarum vltima disputatur in illis libris, puta de ente Mathematico abstracto, & de ente ideali, iuxta opiniones Pithagoræ, & Platonis, & aliorum antiquorum.

Diuisio entis per magis distantia.

Si autem loquamur de prima diuisione entis simpliciter: Dicerem, quòd prima diuisio entis simpliciter, est per ens reale, & ens rationis; nam illa est prima diuisio inter omnes alias, quę traditur per membra magis distantia, sed ens in anima, & extra animam, seu ens reale, & ens rationis, magis distant, quàm quælibet alia entia rei per quæ traduntur alię diuisiones, ergo ista diuisio erit prima inter omnes; cùm tradatur per membra contraria, & per membra magis distantia euacuatiua diuisum: nam aliud est loqui de diuisione euacuationis, & aliud est loqui de diuisione per essentialiora, & intimiora. Preterea dico secundo, quòd diuisio entis, qua genus partitur in suas species, est

Genus analogum.

in decem prędicamenta, non loquendo de genere propriè sumpto, sed de genere analogo, quandoquidem in illa membra est ens primo diuisum, quibus primo competit ratio significata nomine entis, sed hæc ratio, quę est esse, primo competit substantiæ; deinde ceteris prędicamentis, ergo hæc diuisio entis in predicamenta decem, prout genus diuiditur in species, erit prima, sumendo genus & species largo vocabulo: Dico tertio, quòd prima diuisio entis qua genus diuiditur in suas differentias, erit ipsius entis, in ens per se, & in ens per accidens; quandoquidem illa diuisio debet esse omnium prima, quæ traditur per differentias communiores, quia diuisio tradi debet per ea quę sunt communiora, sed hę duę differentię per se, & per accidens sunt omnibus alijs communiores, ergo ens erit primo diuisum in has duas differentias; cùm illę differentię sint communiores sub quibus alię continentur, sed sub his duabus differentijs, scilicet per se, & per accidens, omnes alię continentur, vt sunt finitum, & infinitum, actus, & potentia, per se, & per accidens, quę omnes continentur sub ente per se, igitur hę differentię erunt omnibus alijs vniuersaliores; & licet ens non habeat proprias differentias, habet tamen modos quosdam, quibus contrahitur ad diuersas naturas, puta ad substantiam, & ad quantitatem, & ad qualitatem, & ad cęteras alias naturas prędicamentorum.

Et ex hac veritate excluditur quædam alia dubitatio, quam aliqui Metaphysicantes magnifaciunt, asserentes, In qualibet diuisione membra diuidentia sunt extra rationem rei diuisę, sed nihil potest esse extra rationem entis, igitur ens nullo pacto poterit diuidi in differentias, tanquam in membra opposita. Et non aduerterunt isti, maiorem propo-

Genus vniuocum quomodo diuiditur.

sitionem verificari in diuisione, qua genus vniuocum diuiditur in suas differentias, puta animal in rationale, & in irrationale, falsificatur tamen in diuisione, qua analogum transcendens diuiditur in sua analogata; & ratio diuersitatis est, quia genus significat quandam naturam præcisam, quæ componit cum suis differentijs ad constituendas naturas specificas, & propterea dicitur esse extra rationem suarum differentiarum diuidentium,

sed

sed analogum transcendens, vt est ens, non significat naturam aliquam præcisam, & terminatam, sed illimitatam omnia comprehendentem, & propterea debet includi in suis differentijs, vel modis diuidentibus ipsum, præsertim cùm nullam compositionem faciat cum eis. Dico postremo, quòd diuisio qua ens diuiditur in suas passiones, diuisione qua subiectum diuiditur in sua propria accidentia, dicitur esse omnium prima; quia illa est prima diuisio alicuius diuisi, qua diuiditur in ea, quæ identificantur cum ipso, sed sic est, quod ens quando diuiditur in accidentia sua propria, quæ sunt passiones eius, hac diuisione diuiditur, igitur assumptum verum; quod quidem ab omnibus Philosophis comprobatur, præsertim cùm ipsum ens non diuidatur in accidentia communia, quia ei nulla talia euenire possunt.

Ens non significat naturam præcisam.

Et ex his quæ dicta sunt, habetur veritas huius negotij, quia inanis, & superuacanea est disputatio ista, quam Formalizantes nimis anxie perquirunt, quæ namque est prima diuisio entis, num illa quæ est per quantum & non quantum, vel illa quæ est per finitum & infinitum, aut illa quæ est per vnum & multa; quia quælibet istarum diuisio potest dici prima in suo genere, & ordine, sicuti Theologi disputant de peccatis, quod nanq; est primum, an superbia, vel cupiditas? cùm de vtriq; dicatur, initium omnis peccati est superbia, & de auaritia scribitur, radix omnium malorum est cupiditas; quæ propositiones intelliguntur in diuersis generibus, & ordinibus, sic etiam dico de istis diuisionibus entis. Si quis adhuc instaret, quærendo, inter istas diuisiones quibus ens diuiditur diuisione generis in species, vel generis in differentias, vel subiecti in accidentia, quæ nanque sit prior simpliciter? Dicas, respondendo, quòd cùm prius & posterius dicant comparationem, & comparatio non est, nisi inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, vt scribitur 7. Physic. tex. 26. & cùm istæ diuisiones non sint eiusdem speciei, immò sunt diuersorum generum, & rationum, propterea non potest vnica, & simplici responsione responderi, sed cum distinctione, quemadmodum dictum est. Sic istis interrogationibus satisfacere oportet.

Initium omnis peccati est superbia.

CAPITVLVM VIGESIMVMTERTIVM.

Hic exprimitur quid sit essentia, atque existentia.

QVIA hoc nomen essentia, est veluti quoddam abstractum, respectu ipsius entis, & quia abstractum & concretum sic se habent ad inuicem; quod abstractum est quid simplex, concretum verò est quid compositum, quemadmodum albedo, & album; licet enim albedo non possit intelligi sine subiecto, perfecta intellectione, tamen de se dicit puram formam non informantem subiectum, nec sibi inhærentem, sed ipsam significat per modum per se stantis, si possibile esset, sed album dicit quid compositum, quandoquidem & si dicat puram qualitatem de suo principali significato, vt scripsit Arist. in prædicamentis, cap. de substantia, dicit tamen ipsam qualitatem, scilicet albedinem existentem in subiecto, vnde concernit subiectum, & de secundario intellectu & significato importat, & connotat subiectum. Hoc etiam pacto se habent essentia & ens, sicuti abstractum & concretum, quia essentia, quæ est quid abstractum, dicit puram essentiam per modum per se stantis, ens verò quod est quid concretum, dicit essentiam, & esse alicuius rei: hinc essentia est quid simplex, ens verò compositum, & quia compositum est notius simplici, propterea per ens facilius cognoscitur essentia. Attende etiam, quod aliud est entitas, & aliud est essentia, quia essentia reperitur in illo ente, quod diuiditur ab Arist. 5. Met. tex. 13. per decem prædicamenta, entitas verò reperitur in priuationibus, & negationibus, quæ non habent essentiam, sed bene habent entitatem, quia quemadmodum priuationes, & negationes, dicuntur entia imperfecta, ita etiam dicuntur habere entitatem imperfectam, sed non dicuntur habere essentiam; quia essentia sumitur ab ente reali, non autem ab ente rationis.

Essentia est abstractum quoddam.

Ens est compositum respectu essentiæ.

Priuationes non habent essentiam.

Et quia diuersæ opiniones circumferuntur de ipso ente, sic etiam & de ipsa essentia, ideo has recensere volui. Nam aliqui voluerunt, vt fuit Auicennas, ens ipsum non prædicari in quid de rebus, quæ habent esse ab alio, quia in omnibus rebus, quæ habent esse ab alio, aliud est esse rei, quod ipsum nomen entis formaliter significat, & aliud ipsa essentia, siue quidditas rei, secundùm quam fit prædicatio in quæstione quid est; & quia solus

Deus

An ens prædicetur in quid. Deus non est ab alio, igitur de solo Deo ens dicitur quidditatiuè, de alijs verò à Deo non prædicatur quidditatiuè, sed tantum secundùm quæstionem an est. Et hanc opinionem sequutus est Caietanus in prædicabilibus in expositione cap. de genere, vbi mouet istam quæstionem, num ens prædicetur quidditatiuè? & soluendo, dicit, quòd indiget discussione Metaphysicali, veritas tamen est, quòd ens non prædicatur in quid.

Scotus tamen 1. sent. dist. 3. q. 3. asserit, ens prædicari quidditatiuè de omnibus rebus, non tamen de omnibus differentijs, nec etiam de passionibus suis; quia si de differentijs vltimis prædicaretur quidditatiuè, tunc sequeretur, quod ipsæ differentiæ vltimæ essent differentes per alias differentias.

Ens aliquando significat essentiam, aliquando existentiam. Verùm hæ duæ opiniones prænarratæ sunt extremę. Propterea media via incedendum est, distinguendo, quòd ens aliquando significat existentiam, seu actum essendi, aliquando verò significat ipsam essentiam; primo modo ens de nulla re prædicatur in quæstione quid est, præterquam de Deo: & ratio est, quia omnes res possunt esse, & non esse, siue sint differentiæ vltimę, siue passiones, solus Deus est necesse esse, & eius existentia est sua quidditas, quæ est actus purus, & nihil habet admixtum potentię, propterea de ipso solo ens, quod significat existentiam, prędicabitur quidditatiuè, & propterea Deus dicitur purum esse, vt ipsemet testatus est Moysi, Exodi 3. cap. Ego sum qui sum; ens verò quod significat essentiam, prędicatur in quæstione quid est, de omnibus rebus completis, nec refert, an sint ab alio. Nec etiam valet, quòd dicit Scotus, quòd tunc vltimæ differentiæ essent differentes, quia vltimæ differentiæ sunt illæ, quibus alia differunt, sicuti albedo non dicitur alba, sed est natura quædam, qua subiectum est album. Et ab hoc ente, quod quidditatiuè dicitur de rebus sumitur essentia, quæ essentia aliquando vocatur quidditas, aliquando vocatur forma, aliquando verò natura: dicitur enim essentia, prout vnaquæque res per eam, & in ea habet actum essendi; dicitur quidditas, quatenus significatur per definitionem, nam sola definitio explicat quid sit res; dicitur natura, quatenus habet operationem, natura enim dicitur, quod est principium motus & quietis; dicitur forma, prout significatur perfectio, & certitudo rei.

Quatuor nomina idē realiter significāt Vnde concludo, quòd ista quatuor nomina, scilicet essentia, quidditas, forma, & natura sunt idem realiter, & differunt ratione, sicut humanitas est eadem realiter essentia hominis, quidditas hominis, forma hominis, natura hominis, sed differunt ratione ab inuicem, prout aliquod illorum nominum assumitur: nam humanitas dicitur esse essentia hominis, inquantum homo in ea, & per eam habet quod sit homo, homo enim ab humanitate habet & per humanitatem, quod ita hoc nomine homo dicatur: humanitas quoq; dicitur quidditas hominis, inquantum humanitas significatur per definitionem hominis, nihil enim aliud significatur per hanc definitionem, animal rationale mortale, nisi ipsa humanitas: dicitur etiam humanitas forma hominis, prout per humanitatem certificatur esse hominis, & distinguitur ab omni alia re, quæ non est ipse homo: postremo humanitas dicitur natura hominis, inquantum per humanitatem, homo ipse exercet suas operationes. Et hæc essentia, natura, quidditas, & forma, alio pacto reperitur in substantijs simplicibus, & in substantijs compositis; quandoquidem in simplicibus veriori, & nobiliori modo adest, secundùm quod substantiæ simplices habent verius & nobilius esse; in substantijs verò compositis reperitur quidem, sed non ita excellentius, quia cùm claudat materiam, & formam, est quid compositum. Non enim essentia

Essentia substantiarum qualis est. substantiarum compositarum est forma tantum, vt voluit diuinus Plato, asserens, animam rationalem esse totam essentiam hominis, & vniri corpori, sicut motor mobili, & nauta naui, vt etiam voluit Auerr. formam solam esse quidditatem, & materiam esse eius vehiculum. Neque etiam quidditas, seu essentia est relatio existens inter materiam & formam, vel aliquid superadditum illis, quia hoc de necessitate esset accidens extraneum à re, nec per eam res ipsa cognosceretur; relinquitur ergo, quod essentia in substantijs compositis est quoddam compositum ex materia & forma, vt docet Boet. in libro prędicamentorum; & Auicennas in sua Metaphysica; & Arist. 9. Metaph. tex. 22. vbi

Quidditas simplex. dicit, quòd in quidditatibus compositorum accidit error, non autem in quidditatibus simplicium, propter multitudinem partium, ex quibus sunt compositæ illæ quidditates, vnde ex earum compositione error accidere potest, qui in simplicibus cùm careant partibus, locum non habet. Et ex hoc prouenit, quòd essentiæ substantiarum compositarum differunt, secundùm signatum, & non signatum, quamuis modus signationis diuersus sit in diuersis, quia designatio indiuidui, respectu speciei, est per materiam signatam,

(Sortes

(Sortes enim est animalitas & rationalitas cum his carnibus & ossibus) designatio verò speciei respectu generis, est per differentiam constitutiuam,quæ ex forma rei sequitur: & hæc determinatio, seu designatio, quæ est in specie respectu generis, non est per aliquid in essentia speciei existens,quod nullo modo sit in essentia generis, immò quicquid est in specie, est etiam in genere,vt non determinatum, si enim animal non esset totum, quod est homo, sed pars eius, non prædicaretur de eo, cum nulla pars integralis prædicetur de suo toto. *Indiuiduum quid est.*

Animal enim dupliciter accipi potest,primo modo præcisè, vt dicit formam, ex qua oriuntur sensus,& motus,quibus animal à non animali discernitur,& sic est pars; secundo modo accipitur animal,vt dicit formam quamcunque ex qua oriuntur sensus,& motus non præcisè, & sic est totum,& dicitur genus: vnde primo modo,homo est compositus ex animali & rationali,tanquam ex partibus essentialibus, & sic nec animal,nec rationale prædicantur de homine;secundo verò modo,animal prædicatur de homine,quia est totum,& genus, & sic etiam homo respectu indiuidui, & corpus respectu animalis; & hinc est,quod genericum nomen,puta animal,formaliter,& determinatè explicat materialem perfectionem hominis, scilicet sensitiuam, ideo genus sumitur à materia, differentiæ verò nomen, puta rationale, formaliter, & determinatè explicat formalem rei perfectionem, & ideo differentia sumitur à forma, species (puta homo) indistinctè, actu tamen explicat totum: definitio autem (puta animal rationale) diuidit in singula,vt dicitur 1.Phys.tex.5. non est ita in simplicibus substantijs, quandoquidem quidditas substantiæ simplicis est ipsummet simplex,quia non est aliquod recipiens ipsam, præsertim prima causa qui est Deus, est suum existere, & suum esse,cùm sit simpliciter irreceptus: vnde Deus non habet essentiam, nec rem, aut existere, quia essentia eius est ipsum esse, & existere,& ideo non est in genere; quia omne quod est in genere, habet quidditatem præter suum esse,sed Deus non habet quidditatem præter suum esse,quia est sua quidditas,& sua existentia, vt dictum est, igitur ex hoc fundamento manifestè apparet Deum non esse in genere, habet tamen omnes perfectiones, & nobilitates, quę inueniuntur in omnibus generibus. Substantiæ verò aliç intellectuales creatę,vt sunt Intelligentię,more Philosophico loquendo, cùm esse ipsarum non sit receptum in materia, est tamen receptum in earum natura, & essentia, idcirco est limitatum,& finitum, ad capacitatem naturæ recipientis; propterea quidditas ipsarum,& essentia, seu natura est etiam absoluta, & irrecepta in aliqua materia, propterea dicuntur infinitę inferius, quia earum formę, non limitantur ad capacitatem alicuius materię recipientis eas, sunt tamen finitę superius, quantum ad suum esse, quod recipiunt ab ipso Deo glorioso. *Animal dupliciter considératur.* *Quidditas simplicium quid est.* *Essentia quō est infinita.*

Et ex hoc prouenit, ꝙ in talibus substantijs non inuenitur multitudo indiuiduorum in vna specie,nisi in anima humana,propter corpus cui vnitur,& licet indiuiduatio eius ex corpore dependeat occasionaliter, quantum ad sui principium, non tamen quantum ad finem. Et hinc est,quòd in istis substantijs creatis intellectualibus,non est idem quidditas, quod earum esse,& existere, & ideo sunt ordinabiles in pr̨dicamento, & propter hoc inuenitur in eis genus,species,& differentia, tamen earum differentię sunt nobis occultę; & licet etiam proprię differentię essentiales substantiarum sensibilium sunt nobis ignotę, tamen significantur, & exprimuntur per accidentales differentias nobis notas. Et hinc etiam sequitur, quòd non eodem modo genus & differentia reperiuntur in substantijs sensibilibus, sicuti & in substantijs intelligibilibus, quia in sensibilibus genus sumitur ab eo, quod est materiale in re, differentia ab eo, quod est formale in ipsa, & sic tam genus, quàm differentia in substantijs sensibilibus sumuntur à partibus quidditatis radicaliter,in substantijs verò spiritualibus,tam genus,quàm differentia,sumuntur à tota quidditate:quia prout omnes sunt immateriales,sumitur in eis genus,quod est intellectualitas,seu immaterialitas; prout verò discriminantur in intellectualitate,& in immaterialitate, secundùm gradum perfectionis, sumitur in eis differentia, nobis tamen ignota: accidentia quoque nedum substantiæ sensibilis,& intellectualis,essentiam habere dicuntur,sed eo modo,quo definitionem habent; & quia habent definitionem incompletam,ideo etiam essentiam incompletam habere dicuntur, propterea non possunt definiri,nisi in eorum definitione ponatur subiectum, tanquam additum diuersi generis. *Genus & differentia à quibus sumitur*

Et hinc est,quòd in eis alio modo sumitur genus,& differentia,atq; species, quàm in substantijs,quia in substantijs ex materia & forma substantiali fit per se vnum,vna quadam natura ex eorum coniunctione resultante,quæ propriè in prædicamento substantię collocatur:

collocatur, hinc in ſubſtantijs nomina concreta, quę compoſitum ſignificant propriè in genere eſſe dicuntur, ſicut genera, vel ſpecies, vt homo, vel animal; non autem forma vel materia eſt in prędicamento hoc modo, niſi per reductionem, ſicut principia in genere principiatorum eſſe dicuntur, ſed ex accidente & ſubiecto non fit vnum per ſe, vnde non reſultat aliqua natura ex eorum coniunctione, cui naturę intentio generis, vel ſpeciei poſſit attribui: vnde nomina accidentium concretiuè dicta, non ponuntur in prædicamento, ſicut ſpecies, vel genera, vt album vel muſicum, niſi per reductionem; ſed ſolum ſecundùm quod abſtracta ſignificantur, vt albedo & muſica; & quia accidentia non componuntur ex materia & forma, ideo non poteſt in eis ſumi genus à materia, & differentia à forma, ſed oportet, vt primum genus ſumatur ex ipſo modo eſſendi, ſecundùm quod ens diuerſimodè, ſecundùm prius & poſterius de decem generibus prædicatur: ſicut dicitur quantitas ex eo, quod eſt menſura ſubſtantiæ, & qualitas ſecundùm quod eſt diſpoſitio ſubſtantię, differentiæ verò in eis ſumuntur ex diuerſitate principiorum ex quibus cauſantur. Et quia hæc principia aliquando ſunt occulta: ideo eorum differentias aliquando ſumimus ex effectibus accidentium, ſicut congregatiuum & diſgregatiuum viſus, dicuntur differentiæ coloris, quæ cauſantur ex abundantia, & paucitate lucis, ex qua diuerſę ſpecies coloris cauſantur. Et hinc prouenit, quòd aliquando accidens definitur in abſtracto, quando ſubiectum ponitur in eius definitione loco differentię, dicendo, ſimitas eſt curuitas naſi, Aliquando verò accidens definitur in concreto, & eſt, quādo ſubiectum ponitur in eius definitione loco generis, dicendo, ſimum eſt naſus curuus. Ex quibus omnibus apparet, quę ſit eſſentia ſubſtantiarum ſimplicium, compoſitarum, & accidentium, & quænam ſit eſſentia in communi, quia eſt illud quod per ſe, & primo de re prędicatur, vt expreſſit Ariſt. 7. Metaph. tex. 21. intelligendo per eſſentiam ipſum quod quid erat eſſe; vel eſſentia eſt illud, quod ſignificatur per eſſentialem definitionem, vt docuit p. p. q. 29. art. 4. ad 3. S. Thom. vel eſſentia eſt illud, cuius actus eſt eſſe, vt ſcripſit idem S. Thom. 1. ſent. diſt. 23. art. 1. in cor. ar.

Concreta an ponantur in prædicam.

Accidens diuerſimodè definitur.

Nunc autem de exiſtentia dicendū eſt, quęnam ſit, de qua S. Thom. 1. contra gen. c. 26. affirmat, Exiſtentiam creaturarum, neq; eſſe Creatorem, neque creaturam, neq; ens, ſed eſſe concreatum quid, & comproductum; ſeu eſſe illud, ratione, cuius ens eſt id quod eſt. Et dico exiſtentiam creaturarum, quia non loquimur modo de exiſtentia Dei, quæ eſt ipſemet Deus æternus, & infinitus, extra quodlibet prædicamentum: exiſtētia verò creaturarum, licet non contineatur per ſe in aliquo prędicamento determinatè, reducitur tamen ad illud prædicamentum, in quo reperitur res ſua, vt exiſtentia ſubſtantiæ reducitur ad prædicamentum ſubſtantiæ, & exiſtentia quantitatis reducitur ad prædicamentum quantitatis, & ſic de alijs. Et quia ſubſtantia diuiditur in materiam, formā, & compoſitum, exiſtentia poteſt eſſe alicuius, vel tanquam principij à quo fluit, vel tanquam ſubiecti, non enim exiſtentia primo & per ſe æqualiter competit omnibus rebus, neque partibus, ſiue integralibus, ſiue eſſentialibus, quia res omnes præſertim vniuerſales non exiſtunt ſeparatæ à ſingularibus, vt patet ex Ariſt. 7. Met. tex. 41. neque enim exiſtentia poteſt conuenire partibus, quia per ſe non exiſtunt abſque toto. Illud enim per ſe, & primo exiſtit, quod per ſe & primo generatur, ſed partes per ſe, & primo non generantur, ſed tantum compoſitum, ideo ipſum compoſitum eſt quod per ſe, & primo exiſtit, & eſt ſubiectum ipſius exiſtentiæ, licet fluat ab ipſa forma, vel tanquam à cauſa diſponente, vel tanquam à cauſa formali, vt docuit Seuerinus Boetius in libro de vnitate, & vno, exiſtentiam omnem à forma prouenire, & eam nil aliud eſſe, quàm actum formæ in materia: vt etiam Themiſtius docuit 2. de anima, in expoſitione ſeptimi textus, à forma res omnes habent quod ſint, & quod exiſtant, & quod habeant vnitatem, quemadmodum exiſtentia albi ab albedine eſt, & exiſtentia calidi eſt à calore, & exiſtentia equi eſt à forma equi, & ſic de alijs.

Exiſtentia creaturarum quænam ſit.

Quid eſt illud quod primo exiſtit.

Et ex hoc colligo, materiam primam nullā habere exiſtentiam ſine forma, ſed eſſe puram potentiam, & nullum ſua natura continere actum entis. Colligo & ſecundo, formam non concurrere ad exiſtentiam in genere cauſæ efficientis, quia cauſa efficiens non agit, antequam exiſtat; vnde prius eſt tempore, aut natura, ipſam cauſam efficientem exiſtere, quàm agat, ſed forma ſine exiſtentia non exiſtit, propterea impoſſibile eſt formam concurrere ad exiſtentiam in genere cauſæ efficientis. Concurrit ergo ipſa forma ad producendam exiſtentiam in genere cauſæ formalis, vt optimè docuit Ariſt. 2. de ani. tex. 21. explicans, qua ratione anima ſit cauſa efficiens corporis viuētis, forma, & finis, & dicit, quod

Materia non habet exiſtentiam.

quod forma est causa existentiæ, quia substantia, aliquando dicitur ipsa essentia, aliquando verò ipsa existentia, quæ est substantia singularis, & quod propriè est, actus est, vt dicit Arist. 2. de ani. tex. 7.

Et si dicas, quòd effectus formalis non differt re ipsa à forma, vt esse album non differt realiter ab albedine, sed existentia creata realiter differt ab ipsa forma, ergo non est effectus formalis ipsius formæ, & præsertim cum in mysterio Incarnationis fuit anima ipsa Saluatoris nostri sine propria existentia, quia existebat existentia ipsius Verbi. Sed ad hoc respondet Capreolus 1. sententiarum, distinct. 8. quæst. 1. distinguens de effectu ipsius formæ, quod est duplex, alter primarius, qui est esse essentiæ, & alter secundarius, qui est esse existentiæ, vt esse album respectu albedinis, & esse calidum respectu caloris, hi sunt effectus secundarij ipsius formæ, sed esse disgregatiuum visus, est effectus primarius ipsius albedinis, & esse calefactiuum, est effectus primarius caloris. Tunc dico, quòd licet forma non distinguatur à primo effectu eius formali, qui est esse essentiæ, nec ab eo vllo pacto separari potest, distinguitur tamen à secundario effectu eius, qui est esse existentię, & sine illo esse poterit: & hoc pacto in mysterio Incarnationis anima illa benedicta dedit esse essentię, & tamen existit per existentiā Verbi, quia non dedit suam propriam existentiam, quæ quidem existentia si propriè loquimur, non est ipsa forma, cùm de ratione formę sit constituere rem intra determinatam naturam, & componere ipsam secundùm essentiam, quę duo non possunt conuenire ipsi existentię. Et primo, determinare rem ad certam naturam illi conuenire non potest, cùm ipsa ex se sit illimitata, & à forma limitetur ad determinatum gradum alicuius naturę; neque componere illam, secundùm essentiam, cùm non attineat ad essentiam. Concludo ergo, existentiam ipsam esse secundarium effectum formæ, non autem primarium; & hinc est, quia actus dicitur superior forma, & hęc existentia dicitur actus primus, & vltimus: primus scilicet in intentione, quia id quod primo natura intendit est existentia rei; est verò actus vltimus in generatione, per hoc enim res reponitur in aliquo genere determinatè, quia habet ipsam existentiam.

Effectus formalis est duplex, primarius, & secundarius.

Actus est superior forma.

Et ex hoc sequitur etiam, existentiam ipsam esse nobiliorem, & præstantiorem ipsa essentia, quia semper actus est nobilior potentia, vt docet Arist. 9. Met. tex. 17. sed existentia est actus ipsius essentię, essentia verò est eius potentia: vnde clarè sequitur existentiam esse nobiliorem essentia. Quod eodem libro docuit Philosophus, dicens, posteriora generatione esse nobiliora, sed actus est posterior generatione ipsa potentia, & cùm existentia sit actus, (vt dictum est) & essentia sit potentia, sequitur verissimum esse, existentiam pręstare essentiam in perfectione, & nobilitate.

Adde etiam, quòd illud semper est melius, quod accedit ad rationem finis, existentia verò magis accedit ad rationem finis, quàm essentia, dictum enim est, existentiam esse quid vltimum & postremum, veluti finis qui est vltima actualitas, & absolutio rei, & hinc est quod est magis appetibilis. Et si fieri posset, vt alicui homini proponeretur, si valeret separare essentiam ab existentia, nulli dubium est, quòd quilibet magis appeteret habere existentiam, quàm essentiam: & hoc vult Sanctus Thomas expresse, 1. parte, quest. 4. art. 1. ad tertium, vbi dicit, ipsum esse perfectissimum omnium comparatur ad omnia, vt actus; nihil enim habet actualitatem, nisi sit in rerum natura. Etiam D Dionysius de diuinis nominibus, cap. 1. dicit, nullam perfectionem a Deo nobis maiorem esse collatam, quàm ipsa existentia.

Existentia est magis appetibilis, quàm essentia.

Et propterea si quis voluisset habere claram resolutionem de ipsa existentia, debet dicere existentiam esse primum actum impressum à Deo, cuilibet enti creato, quo primo illud constituitur extra facultatem suarum causarum; quemadmodum rosa, quę non existit, non est actu, adueniente existentia statim constituitur in actu, non secundo scilicet, quia actus secundus est operatio, sed in actu primo, qui actus primus est impressus à Deo. Quod verbum non est intelligendum, quod solus Deus conferret existentiam, quia concurrit etiam, & agens secundum, sed dicitur quod est à Deo, quia primo & magis intimè, & propterea virtute propria imprimitur à Deo; quamuis enim homo generet existentiam sui filij, illam tamen non producit propria virtute. Et intelligitur etiam quod hęc existentia imprimitur cuilibet enti creato completo, existenti in prędicamento substantię, quando est extra facultatem suarum causarum, quia tempore quo est in causis suis res, non existit: tunc enim perfectè res completa habet existentiam, quando ponitur extra suas causas, & per se ponitur in recta linea prędicamentali.

Quomodo homo generat existentiam sui filij.

Accidens est duplex.

Sed quæreret aliquis, num existentia rerum sit substantia, vel accidens? Respondeo cum Aristotele 1. Metaphysices in prologo, quòd Accidens est duplex, alterum, quod condistinguitur contra substantiam, vt qualitas & quantitas, & cętera prædicamenta accidentium: alio modo dicitur accidens, quod non est de essentia & quidditate alicuius, & sic omnia inferiora sunt accidentia respectu superiorum; quemadmodum animal est accidens respectu corporis, quia non est de essentia corporis, & sic homo respectu animalis, & Socrates respectu hominis: vnde dicit Aristoteles, quòd accidit animali esse hominem, quia homo non est de essentia animalis. Existentia non est accidens primo modo, ita vt inhæreat alicui subiecto, & superaddatur ei, quemadmodum albedo est accidens, respectu parietis, quia inest parieti existenti in actu; sed dicitur esse accidens secundo modo, quia est extra essentiam & quidditatem rei, non enim in definitione rei ponitur existentia ipsa; si quis enim voluisset definire hominem, dicit, quòd est animal rationale, absque hoc quod ponat in ista definitione existentiam ipsius hominis, licet existentia rei semper reducatur ad illud prædicamentum in quo ponitur res ipsa: vnde existentia hominis reducitur ad prædicamentum, in quo est homo, scilicet substantiæ, & existentia ipsius lineæ, aut superficiei, reducitur ad prædicamentum quantitatis, & sic de alijs, vt supra dictum est.

Existentia est substantia reductiuè.

Et si quis contra hoc instaret, dicendo, Accidens est illud, quod potest adesse & abesse subiecto, absque illius corruptione, vt dixit Porphyrius in prædicabilibus, sed existentia potest adesse & abesse ipsi essentiæ, quæ est illius subiectum, absque eius corruptione; quia remanente essentia æterna & inuariabili, interdum illa existit, & interdum non; igitur existentia est verum accidens; & præsertim, quia existentia non est genus, neque species, neque materia, neque forma, neque compositum, igitur erit verum accidens. Addo etiam, quia fluit à principijs essentialibus subiecti, ergo erit accidens proprium vel commune. Sed hæ dubitationes facilè soluuntur, quia in definitione accidentis data à Porphyrio, debet intelligi de subiecto completo existenti in actu, quod tamen non est ipsa essentia, & propterea existentia non est accidens primo modo, licet etiam non sit materia, neque forma, tenet tamen locum formæ, quia est id quo essentia existit, licet diuisio illa data per substantiam, & accidens intelligenda veniat de ente quod significat essentiam, & de eo quod verè est, non autem de eo quo aliquid est, licet etiam fluat ipsa existentia à principijs essentialibus, non tamen est alterius generis ab ipsa essentia.

Existentia nō est accidens, neque materia, neque forma.

Esset hic ventilanda quæstio illa de existentia Dei absoluta, quomodo distinguitur ab existentijs relatis, & an sit idem existentia, & subsistentia, vt tenuit Durand. 3. sententiarum, dist. 1. quæst. 2. & Capreolus eadem distinctione, quæst. vnica, art. 3. & Paludanus ibidem, quæst. 2. quæ opinio videtur S. Thom. prima par. quæst. 4 2. art. 4. nisi in dubio de hoc Deo à nobis esset pertractanda cap. vlt.

CAPITVLVM VIGESIMVMQVARTVM.

De eo quod est.

ARISTOTELES primo Physicorum, contextu 26. contra Parmenidem his verbis vocat ipsum ens, quod est, tamen omnes ferè Latini Interpretes, per id, quod est, intelligunt ipsum ens, quod claudit in se esse, & essentiam. Et se habent hæc tria ad inuicem, scilicet ens, esse, & essentia, sicut viuens, vita, & viuere: vita enim est principium, quo viuens viuit; essentia est principium, quo ens est, nisi quod vita, & viuere significant actum vitæ in abstracto, viuere verò in concreto: Sicut cursus, & currere: essentia tamen non semper constituit esse. Et propterea communiter Doctores solent distinguere ipsum ens, quod dupliciter sumitur, nominaliter scilicet, & participialiter. Ens nominaliter, quidditatiuè, & intrinsecè de omnibus prædicatur, quia principale significatum suum, tanquam id quod significat, est essentia, esse autem est significatum, tanquam id à quo nomen sibi est impositum; sicut lapis principaliter significat corpus durum offendens pedem, læsio tamen pedis importatur secundariò; tanquam id à quo sibi impositum est nomen. Ens verò participialiter idem sonat quod existens, quia est participium ipsius verbi sum, es, est, & hoc participium, quod est existens,

Ens dupliciter sumitur.

Ens participialiter quid significat.

importatur

importatur tanquam principale & formale significatum: illud autem quod habet esse, importatur secundario, tanquam susceptiuum ipsius esse: sicut album primo, & formaliter dicit albedinem, quod est eius abstractum, secundario autem dicit ipsum subiectum, quod significat albedinem per modum inhærentis.

Ens apud diuersos diuersa significat.

Et hoc ens siue nominaliter, siue participialiter sumatur, apud diuersos diuersa significat: Nam aliqui dicunt, quòd ens prima sua significatione dicit decem prima genera rerum immediatè. Aliqui verò dicunt, quòd primum significatum ipsius entis est quoddam disiunctum, scilicet substantia, vel accidens, ita quod quando dico, lapis est ens, significatur quod lapis habet hoc prędicatum disiunctum, scilicet substantia, vel accidens. Aliqui verò dicunt, quòd significatum ipsius entis est quidam gradus rei ab omni ratione actuali, vna vel pluribus, propria, vel communi vnitate confusionis, continens implicitè omnem rem, & omnem rationem, explicitè verò nullam. Sunt & aliqui dicentes, quòd significatum entis est vna ratio explicitè, dicens, omnes naturas actu, vel potentia. Sunt & alij Doctores qui tenent, quòd significatum entis est quædam entitas præcisa ab omnibus rebus; sicuti significatum animalis est natura ipsius animalis, quæ abstrabit ab omnibus inferioribus, & est prior illis, vnde datur quędā entitas præcisa & abstracta naturaliter prior substantia, & accidente, Deo, & creaturis, & ista prædicatur de omnibus. Sed hęc relinquamus: quia in præsenti libello nolumus latius quæstiones istas disputare, cùm plurima dixerimus in dilucidationibus nostris Metaphysicalibus, sed tantùm intendimus veritatem ipsam sequi. Et quia communiter per significatum entis duo intelligere possumus, quorum alterum dicitur formale, alterum verò materiale, seu obiectiuum significatum, seu conceptus formalis, qui est actus intelligendi secundùm aliquos, & secundùm Sanctum Thomam est verbum formatum de re intellecta per actum intelligendi; verbi gratia, quando intellectus intelligit naturam humanam, similitudo illius naturæ exprimens illam, dicitur conceptus formalis eius, significatum verò, seu conceptus materialis, & obiectiuus est ipsa natura intellecta, & repræsentata per illam similitudinem. Et quia hic conceptus, tam formalis, quàm obiectalis duplex esse potest, incomplexus, & complexus, Incomplexus, seu simplex, est ille, qui respondet rei simplici, puta homini, aut leoni; complexus verò correspondet pluribus rebus, puta animali rationali, vel animali diuiso in plures species, &c. si loquimur modo de significato formali ipsius entis, seu conceptu formali, sic absolutè, proferre sententiam possumus, quod est abstractus, secundùm rem, & secundùm rationem ab omnibus inferioribus, quia talis conceptus est in intellectu, res verò sunt extra intellectum: si verò loquamur de significato materiali, seu conceptu obiectiuo ipsius entis, non est vnus secundùm rem, nec est abstractus, & præcisus à suis inferioribus, quia tale significatum entis est natura communis omnibus entibus, & nulla natura communis prębsertim analoga est abstracta, secundùm rem à suis inferioribus, sed est bene vna secundùm quid. Vnde quando dico, substantia est ens, nomen entis dupliciter intelligitur; vno modo absolutè, pro eo cui competit esse, nullo particulari designato, propter omnimodam confusionem conceptus: alio modo pro singulis membris diuidentibus ipsum ens, scilicet pro substantia, quantitate, &c. primo modo est intelligendum significatum ipsius entis, & non secundo. Et si dicis, quòd cùm conceptus obiectiuus correspondeat conceptui formali, cùm nil aliud sit quàm res, quæ intelligitur per conceptum formalem, sed conceptus formalis entis est vnus secundùm rem, & præcisus ab inferioribus gradibus, ergo & conceptus obiectalis erit præcisus, aliter non esset correspondentia inter vtrunque. Dicas, quòd conceptus obiectalis correspondet formali non in omnibus, sed tantum in repræsentando, & hinc est, quòd non sequitur, aliquis conceptus formalis est vnus secundùm rem, & præcisus ab inferioribus, ergo & obiectalis; neganda venit consequentia; sed bene sequitur, ergo conceptus formalis repræsentat obiectalem, & conceptus obiectalis est repræsentatus proportionaliter, & analogicè per conceptum formalem, quia conceptus formalis entis est adæquatus ex parte rei repræsentatæ, licet sit inadæquatus ex parte repræsentationis: nam conceptus formalis est ad omnia, scilicet ad Deum, ad creaturas, & ad substantiam, & ad accidens; & sic etiam conceptus obiectiuus est communis omnibus istis. Ex hoc sequitur primo, quòd quando dico, Deus est ens, istud prædicatum, ens, non dicit naturam aliquam præcisam ab ipso Deo, & à creaturis, sed tantum dicit conceptum formalem repræsentantem naturam ipsius Dei obiectaliter, correspondentem huic conceptui formali; Nec est inconueniens, quòd tale prædicatum sit prius

Conceptus entis duplex.

Conceptus formalis entis est duplex.

Significatum entis est natura cōmunis.

Cōceptus obiectalis quomodo correspondet formali.

Deus est ens, quis est sensus eius.

Deo, secundùm nostrum modum intelligendi, immò necessariò hoc asserere debemus, quandoquidem illi, qui negabant Deum, concipiebant ens distinguibile per finitum, & infinitum; sic etiam quando dicimus, substantia est ens, accidens est ens, istud prædicatum ens, est prius illis subiectis, secundùm nostrum modum intelligendi, vt docet Sanctus Thomas in prologo de ente & essentia, de mente Auicennæ, quod ens & essentia, sunt quæ primo intellectu concipiuntur. Sequitur etiam & tertio, quod ens nominaliter sumptum, & non participialiter, vt dixit Caietanus 4.cap.de ente, & essentia, est illud, quod diuiditur per decem genera rerum, vt docet Capreolus 1.sentent.dist.3. & Ferrariensis 1.contra gent.cap.26. Sequitur & quarto, transcendentia esse sex, vt docet Sanctus Thomas in opusculo 42. cap.2. contra nonnullos, dicentes, quatuor tantum esse transcendentia, ens, bonum, vnum, & verum: & contra Laurentium Vallam, lib.1. suæ Dialecticæ, ponentem tantum vnum esse transcendens, scilicet rem: & contra Philippum Mocenicum in sua vniuersali institutione, contemplatione 3.par.1.cap.2. scribentem esse decem transcendentia, scilicet ens, virtutem, veritatem, bonitatem, existentiam, durationem, vnitatem, perfectionem, plenitudinem, vim. Nec valet dicere, opusculum 42. non esse opus S.Thomæ, quia sic de facili possumus dicere, & dubitare de omnibus eius operibus. Patet ergo quid est ens, & quid est eius significatum, iuxta viscera doctrinæ Sancti Thomæ.

Numerus transcendentium quis est.

CAPITVLVM VIGESIMVMQVINTVM.

De Vno.

DIVERSI diuersimodè loquuti sunt de ipso Vno. Nam Boetius in libello de vnitate & vno, cap.1. inuestigans quid sit vnitas, & vnum? dixit, Vnitas est qua vnaquæque res dicitur esse vna, sicuti Aristoteles in prædicamentis definiens qualitatem, dixit, qualitas est secundùm quam quales esse dicimur. Alij verò considerantes naturam vnitatis, vt fuit Henricus quolibeto 2. dixit, quòd vnitas est priuatio diuisibilitatis in se, & communicabilitatis in alio, & sic etiam vnum est indiuisum in se, & alteri incommunicabile. Sanctus Thomas 10.Metaphysices, lect.4. & 1.sentent.dist.24. quæst.1.& 1.par.q.11.art.2. dixit, Vnum est illud, quod est in se est indiuisum, & diuisum à quolibet alio. Verùm quia vnum & vnitas poterit aliquando esse id quo aliquid dicitur esse vnum numeraliter in prædicamento quantitatis, & hoc vnum dicitur esse principium numeri, & de genere quantitatis, de hoc non loquimur in præsentiarum: sed aliud est vnum & vnitas, quod dicitur transcendens, quod conuertitur cum ente, & naturam huius intendimus inuestigare in præsenti. Sed attende, quòd transcendens tribus modis dici potest, Vno modo secundùm nobilitatem, & sic tantum Deus dicitur transcendens, quandoquidem sua entitate, & actualitate transcendit, & superat omne ens. Alio modo transcendens dicitur, secundùm transcendentiam prædicationis, quia prædicari potest de omni ente, primo intentionaliter, & secundo intentionaliter, secundùm quandam vniuersalitatem prædicabilitatis; & sic concipi, dicitur esse quoddam transcendens, quia omnia entia, tam primo intentionaliter, quàm secundo intentionaliter, possunt aliquo pacto ab intellectu concipi, licet diuersimodè, & ideo concipi, seu conceptio potest dici quoddam transcendens. Alio modo & tertio, aliquod dicitur transcendens, secundùm formalem prædicationem, primo intentionaliter, & sic vnum, ens, verum, bonum, res, aliquid, sunt transcendentia. Sed quæreret aliquis, cùm ens sit subiectum aliorum transcendentium, quem ordinem tenent inter se cetera transcendentia, quæ sunt passiones, & affectiones ipsius entis? Pro hac dubitatione est necessarium scire, quod passiones entis dupliciter considerari possunt, Vno modo quantum ad res significatas, alio modo quantum ad formales rationes eorum; primo modo vnum istorum non est prius altero, quia omnia dicunt vnam, & eandem naturam, & nulla natura est prior seipsa, propterea quantum ad istum modum vnum transcendens, non est prius altero: si autem secundo modo consideretur, cùm ratio formalis alicuius nil aliud sit, nisi conceptus sub quo res significatur, & quia vnus conceptus potest esse prior altero dupliciter, vno modo secundùm se, alio modo per comparationem ad intellectum, & quia

Vnum dicit indiuisionem, & diuisionē.

Transcendēs dicitur tribus modis.

Vnum transcendens non est prius altero quomodo intelligitur.

& quia conceptus vnius, seu non formalis eius, non clauditur formaliter in conceptu boni, nec econtra, ideo intellectus potest indifferenter quemlibet istorum conceptuum formare, alio non formato, & quia illud quod primo cadit in intellectu est ens, secundum verò est non ens, quia concipitur quod ens non est non ens, tertium quod concipitur est diuisio, quia hoc ens est diuisum à non ente, & à quolibet alio, quartum est vnum, quia concipitur hoc ens non esse diuisum in se per plura, quorum hoc nō sit aliud. Et si quis diceret, ergo ex hoc discursu sequitur, quòd conceptus non entis, & conceptus negationis erunt priores conceptu vnius, & sic non ens, & diuisio, erunt primæ passiones entis. Dicas tu, quòd non valet hæc consequentia, quandoquidem nihil non potest esse passio entis, quia non dicit aliquid positiuum, & quia non ens, & diuisio dicunt puram negationem, ideo non sequitur, quòd sint passiones entis. Sed cùm vnum dicat aliquid positiuum, & eandem naturam cum ipso ente materialiter, sequitur quod ipsum sit prima passio, & affectio entis, ratione rei, & naturæ significatę, non propter rationem formalem suam: ens autem cùm sit subiectum omnium suarum passionum, erit prius illis, vnum verò sequitur immediatè ipsum ens, & antecedit verum, & bonum, quia prius est aliquid in se, quàm referatur ad aliquid vlterius; sed vnum competit omnibus rebus, vt in seipsis, verum autem, & bonum competunt rebus, vt referuntur ad alterum; nam verum refertur ad intellectum, bonum autem ad appetitum, ergo ratio formalis vnius erit prior ratione formali ipsius veri, & boni, licet verum etiam sit prius ratione formali ipsius boni, quia intellectus est prior appetitu; & ratio formalis veri pertineat ad intellectum, ratio verò formalis boni, pertineat ad appetitum: & hinc est, quòd verum est prius ipso bono, bonum autem antecedit aliquid, & aliquid antecedit rem: & hic est ordo inter ipsa transcendentia.

Ens est subiectum suarum affectionum.

Ex quo patet primo, quod nunquam significatum vnius transcendentis, est aliquid reale positiuum, vt quidam arbitrati sunt, vnum addere ipsi enti aliquid reale positiuum, quia si adderet aliquid positiuum formaliter distinctum ab eo, non dixisset Arist. 4. Metaph. tex. 3. vnum, & ens dicere vnam, & eandem naturam, licet dicat quid distinctum formaliter, & secundùm rationem, quia vnum quatenus, vnum nil aliud est, nisi ens indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio, & sic formale significatum vnius, est negatio diuisionis, & entitas. Propterea non est nugatio dicendo, ens vnum, quia vnum addit supra ens negationem diuisionis, vt latius probat Sanctus Thomas p. p. quæst. 11. art. 1. & 1. sententiarum, dist. 24. quæst. 1. artic. 3. & Albertus 4. libro Metaphys. tract. 1. cap. 1. & Alexander Alensis p. p. quæst. 13 membro 1. & omnes ferè boni authores: nam omne ens, aut est simplex, aut compositum, si simplex, est indiuisum actu, & potentia; si est compositum, non habet esse quandiu partes eius sunt diuisæ, sed postquam constituunt, & componunt ipsum compositum, propterea esse cuiuslibet rei, siue simplicis, siue compositæ consistit in diuisione; & hinc est, quòd vnumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam vnitatem.

Vnū formaliter non dicit positiuum.

Sequitur secundo, quod rectè dicitur, Deus est vnus, & summe vnus, quia est indiuisus. Nec sequitur, ergo in Deo est aliqua priuatio, quia ista negatio diuisionis nullam imperfectionem ponit in ipso Deo, quandoquidem sicuti appellatur infinitus, immensus, inęstimabilis, inculpabilis, impeccabilis, quæ omnia prędicta dicunt negationem, tamen ista negatio intelligitur maxima perfectio, ita etiam dicitur indiuisus, & vnus, ob summam, & infinitam perfectionem, quæ in ipso reperitur.

Sequitur & tertio, vnum, & multitudinem formaliter sumpta, opponi priuatiuè, & non contrariè, vt docuimus 10. Metaph. dilucidatione 2. de mente S. Thomæ, Caietani, & omnium Thomistarum sequentium doctrinam germanam Angelici Doctoris, licet quidam eruditissimus Hispanus nomine Didacus Masius Valentinus Vilarealensis 3. libro suo de ente & eius proprietatibus, existimans iuxta sententiam Sancti Thomę loqui, & conuersus est ad doctrinam aduersariorum, asserens vnum, & multitudinem opponi oppositione aduersa & contraria, contra communem opinionem sui Magistri Sancti Thomę, & Aristotelis, ratione quadam friuola, Quia vnum & multitudo habent contrarias formas: igitur debent opponi contrariè, Quæ est nullius momenti, quia forma vnius non est, nisi eius ratio formalis, quæ est indiuisio, vt ipsemet docuit libro suo, & forma multitudinis est diuisio, at diuisio, & indiuisio, vt docet S. Tho. p. p. q. 11. ar. 2. & Caietanus ibi opponūtur, sicut habitus, & priuatio, non ergo oppositione contraria, sed priuatiua opponuntur. Idcirco sequenda est rei veritas Sancti Thomæ, & relinquenda doctrina aduersariorum, quam

Vnū & multitudo opponūtur priuatiuè contra Didacum Valent.

Didacus Masius Valentinus reprobatur.

quam profitetur hic Reuer. Didaeus Masius Valentinus 3. illo libro suo, de ente & proprietatibus eius. Nec iuuat sibi authoritas Sancti Thomæ 1. sententiarum, distinct. 24. art. 3. in responsione ad quartum, vbi dicit, quòd Vnum dupliciter dicitur, scilicet quod est principium numeri, & quod conuertitur cum ente: loquendo de vno quod est principium numeri, ponit aliquid additum supra ens, quod dicitur vnum, scilicet rationem mensuræ, & sic habebit disparatam oppositionem ad alios numeros, & talis oppositio reducitur ad contrarietatem; si autem loquimur de vno quod conuertitur cum ente, sic vnum habet rationem priuationis respectu diuisionis, quæ saluatur in multitudine, & ita opponitur multitudini, sicut priuatio habitui: vnde patet, quod Sanctus Thomas loquitur de vno, quod est principium numeri, quando dicit, quòd vnum & numerus opponuntur oppositione contraria, & conclusio nostra 10. Met. dilucidatione 2. loquitur de vno transcendenti, propterea sine ratione hic Doctor reprehendit nostrum dictum.

Iauellus decipitur.

Sed non est mirum, quia deceptus est ex dicto Iauelli 10. Metaph. q. 5. vbi & ipse Iauellus dixit conclusione sua quarta, vnum & multa non opponi purè priuatinè, sed etiam contrariè, sequens & ipse doctrinam aduersariorum, impugnantium veram, sinceram, & germanam doctrinam Thomisticam.

CAPITVLVM VIGESIMVMSEXTVM.

De Vero.

Variæ definitiones de veritate.

VARIE solent Doctores de ipso vero loqui: nam Diuus Augustinus in libro de vera religione, cap. 2. reprobat quandam definitionem de vero, quam solebant Antiqui exprimere, dicendo, Verum est id quod videtur, quia secundùm hoc lapides qui sunt in abditissimo terræ sinu, non essent veri lapides, quia non videntur. Sic etiam in libro soliloquiorum, amplectitur hanc definitionem ipsius veri, Verum est id quod est. Vel dicendum, quòd veritas est summa similitudo principij, quæ sine vlla dissimilitudine est. Diuus Hilarius 6. de Trinitate, dixit, Verum est declaratiuum, aut manifestatiuum ipsius rei. Diuus Anselmus libro Monologion, dixit, Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. Nicodemus referens verba, quæ habuit Pilatus cum Saluatore nostro Christo, quando dixit Pilatus, quid est veritas? vult Nicodemus quod Christus responderit, Veritas est in cœlo, licet Euangelium Nicodemi sit apocryphum, tamen cùm dicat Christus Saluator noster de seipso, Ego sum via, & veritas, & vita, de hac poterit ipse Nicodemus intelligere. Philosophi etiam diuersimodè loquuti sunt de ipsa veritate: nam Aristoteles in postprædicamentis, dixit, quòd ab eo quod res est, vel non est, dicitur oratio vera vel falsa. Et in libro Perihermenias voluit, quòd circa compositionem, & diuisionem est veritas, & falsitas. Et 6. Metaph. tex. 8. ostendit, quòd verum & falsum sunt in intellectu, bonum & malum sunt in rebus. Et 2. de anima, tex. 53. dixit, intellectum semper esse verorum. Auicennas dixit, quòd Veritas est vniuscuiusque proprietas sui esse, quod stabilitum est ei. Secundum communem scribentium opinionem, Veritas est adæquatio rei & intellectus, res autem simpliciter abstractæ suis proprijs intellectibus adæquantur, non suis autem non adæquantur, sed inferiorem intellectum superant, & ideo ipsi intellectui humano comparatæ, diminutè intelliguntur ab eo, ob hoc respectu intellectus nostri, res illæ immateriales non habent suam propriam veritatem, res autem materiales à Deo glorioso maximè superantur, intellectui diuino vt verò sunt non comparantur vera comparatione.

Adæquatio rei duplex esse potest.

Adæquatio enim duplex esse potest, in actu, ob hoc scilicet vbi obiectum est actu intellectum, & in potentia, vbi obiectum non est actu intellectum, sed possibile est intelligi, vt entia intellectui humano comparata æquabilia dicuntur, quemadmodum intellectus noster possibilis intelligere dicitur, non à item actu intelligens. Est autem differentia inter esse relatiuum, quod habet intellectus noster ad rem, & esse relatiuum, quod habet res ad intellectum, quia intellectus pendet à rebus, res autem non pendent ab intellectu.

Quantã vim habeat opus intellectus.

Et quia res duobus modis perpendi possunt, primo vt habent esse extra intellectum in suis singularibus, alio modo, vt apprehenduntur ab ipso intellectu, seu quatenus obijciuntur intellectui per speciem intelligibilem, quando igitur intellectus per speciem intelligibilem repræsen-

repræsentantem prædicata naturę obiectæ, inuestigat aliquod eius prædicatum, formans conceptum de natura illa; & enunciat talem conceptum, vel prædicatum de re, dicendo, cœlum est corpus incorruptibile, homo est animal, inter rem ad extra, & ipsamet, vt sic apprehensam, vel conceptam ab intellectu, consurgit quædam conformitas, quæ pręsentatur per hanc copulam, est, opposito autem modo consurgit difformitas, si aliter apprehendatur, vel concipiatur, quàm sit conueniens rei. Hanc igitur conformitatem communiter scribentes, vocant veritatem formaliter, difformitatem verò falsitatem, quæ quidem sunt respectus, non reales, sed rationis consequentes operationem intellectus: nam remoto intellectu, res non concipietur conformiter, nec difformiter, ex consequenti tales respectus non consurgerent.

Adde, quod eiusdem ad seipsum est respectus rationis, cùm non sint extrema realiter distincta: cùm igitur hic respectus sit eiusdem rei, vt habet esse ad seipsam, & vt est apprehensa ab intellectu, erit respectus rationis; & quia duo includuntur in ratione formali veritatis, scilicet absolutum, & respectus, absolutum autem aliquando est natura rei intelligibilis, aliquando est species intelligibilis, aliquando est conceptus formatus, & respectus rei ad intellecta, aliquando est ipsius intellectus ad rem, aliquando est realis, aliquando est rationis. Absolutum inclusum in ratione veritatis, & veritas fundamentaliter, sed non formaliter, est ipsa veritas in entitate rei, respectus autem inclusus dicitur veritas formaliter. Et quia vnumquodque solet definiri per suum formale, hinc est, quod definitio communiter ab omnibus dari solet de veritate, Veritas est adæquatio rei & intellectus, & pro eodem sumitur adęquatio, conformitas, & similitudo. Vel dici solet, quod veritas est entitas rei, vt conformis intellectui, siue speculatiuo, siue practico; quandoquidem aliter conformatur entitas rei, intellectui practico, & aliter speculatiuo: nam intellectui practico conformatur, vt causę suę productiuę, & hinc dicitur vera domus, quando conformatur ideę ipsius domus existenti in mente artificis, quæ est causa producendi ipsam domum, & è contra falsa domus dicitur, quando disformatur eidem ideę existenti in mente artificis: & in rebus naturalibus dicitur verus lapis, verum aurum, quia conformantur ideis existentibus in mente primę causę agentis ad instar artificis; conformatur autem intellectui speculatiuo, quia ab eo cognoscitur, sicut est, difformatur quando aliter cognoscitur, quàm sit. Ex his deduco primo, quòd veritas formaliter, & secundùm essentiam est in solo intellectu, veritas autem rei in habitudine ad intellectum creatum est in rebus, tanquam in causa fundamentaliter, & materialiter, quando verò res referuntur ad intellectum, dum veritas ipsarum rerum dicitur reperiri in rebus ipsis formaliter, & secundùm essentiam, quia intellectus diuinus est efficiens res ipsas, & sic etiam veritas transcendens & formaliter, & secundùm essentiam reperitur in rebus ipsis. Correlarium hoc est Sancti Thomæ, prima parte, quæst. 16. art. 1. & de veritate, art. 2. Deduco & secundo, quòd Veritas in actu exercito, & materialiter, & tanquam in subiecto, etiam in sensibus reperiri potest. Docuit hoc Arist. 2. de anima, tex. 161. vbi dixit, sensus semper esse veros circa proprium obiectum, quę veritas non vniuersalis, sed particularis est, sicuti & sensus ipsi particulariter cognoscunt. Deduco & tertio, quòd Veritas reperitur in intellectu, in prima sua operatione, vt docuit Aristoteles 9. Metaphys. contextu vltimo, vbi posuit intellectum non decipi circa simplicia, sed in actu exercito, & tanquam in subiecto reperitur etiam in apprehensione coniuncta rebus, vt diximus de mente Aristotelis, in prologo primi Perihermen. quod circa compositionem, & diuisionem est veritas, vel falsitas: in actu etiam signato reperitur ipsa veritas, tanquam in cognoscente in ipso intellectu, qui iudicat res apprehensas: in propositionibus quoque reperitur veritas, tanquam in signo. Deduco & postremo, quòd propositiones ipsę in quibus prędicata sunt de essentia subiectorum, vt quando dicitur, homo est animal rationale, & leo est animal rugibile, & coruus crocitat, sunt sempiternę veritatis, siue res existant, siue non existant, semper enim & ab ęterno veritatem habent. Hoc quoque corrolarium est S. Thomæ, p. p. q. 10. art. 3. & de veritate, q. 1. art. 5. quod etiam docet Caietanus 1. lib. Post. cap. 9. & multi alij grauissimi Doctores. Et sic apparet quid sit veritas, & in quibus reperitur, & quomodo est in intellectu, & in sensu, & in propositione.

In ratione formali veritatis duo clauduntur.

Quid est veritas.

Veritas in quo reperitur.

Quæ propositio est sempiterna veritatis.

CAPI-

CAPITVLVM VIGESIMVMSEPTIMVM.

De Bono.

DIVVS Dionysius Areopagita intuens naturam ipsius boni, 4. cap. de diuinis nominibus, inquit, Bonum est diffusiuum suiipsius. Beatus verò Augustinus, libro 8. de Trinitate, docuit, bonum nihil aliud esse, nisi Deum, his verbis, Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes, & ita Deum videbis, iuxta illud, Nemo bonus, nisi Deus. Aristoteles libro 1. Ethicorum, cap. 1. dixit, Bonum est quod omnia appetunt. Cicero 5. libro Tusculanorum, voluit bonum esse illud, quod ab omnibus est expetendum: appetibilitas igitur est passio ipsius boni, sicuti visibilitas est passio ipsius coloris. Verùm quia appetibilitas dupliciter sumi potest, Vno modo pro fundamento ipsius appetibilitatis, & sic appetibile fundamentaliter est de natura, & essentia boni, quod quidem secundùm suam essentiam est aptum natum appeti ab ipso appetitu; & sic quando dicitur, bonum est, quod omnia appetunt, si fundamentaliter intelligatur hęc definitio, quam dedit Aristoteles, est vera, & essentialis definitio boni: si autem appetibilitas, seu appetibile capiatur pro relatione, & habitudine ad appetitum, sic potius est quędam descriptio ipsius boni, per proprietatem & passionem eius, quando dicitur, quòd bonum est appetibile ab omnibus: sic etiam dicimus de visibili, respectu coloris, & de mobili respectu corporis naturalis, quod potest capi fundamentaliter, & pro relatione, & habitudine ad motum.

Appetibilitas dupliciter sumitur.

Et quia appetitus est duplex, naturalis, & sequens cognitionem, licet in nobis appetitus naturalis origine pręcedat appetitum cognoscitiuum, intellectiuum, siue animalem, non tamen simpliciter præcedit, quia Deus est cognoscens, & amans, idcirco cùm ipse sit finis entium, eius appetitus est simpliciter primus: & quamuis secundùm nostrum modum intelligendi, natura in Deo pręcedat ratione intellectum, quia communior est natura, quàm intellectus, non tamen sic est in re, quia ordo noster concipiendi nullam dignitatem afferre, aut auferre potest omnipotenti Deo. Ordinando igitur appetentia, est inuenire primum appetens, & ordinando appetibilia, est inuenire primum appetibile, & ordinando appetitus, est inuenire primam appetitionem, non bene autem adscribitur prima appetitio secundo appetenti, aut appetibili, neque primo appetenti, Secunda appetitio, aut secundum appetibile, idem secundùm naturam ordinando in primo appetente erit primus appetitus, respectu primi appetibilis: ideo Deo existenti maximè bono, ipse erit maximè appetens, maximo appetitu, maximum appetibile proportionaliter: igitur appetitus intellectui: idcirco Deo existente maximè intellectiuo, etiam ipse erit maximè appetens, & appetitiuus, vt docuit Aristoteles 12. Metaph. tex. 36. necesse est, vt illud quod est magis bonum, sit magis desideratum, quod si motor corporum cœlestium est magis bonus omnibus, necesse est vt sit desideratus magis bonus omnibus. Vnde Auerroes considerans verba Aristotelis, dicebat, quòd corpora cœlestia sunt nobilissima, & corporibus sensibilibus meliora, necesse est, quod illud bonum, quod appetunt sit nobilissimum entium, & maxime, quod appetit totum cœlum in motu diurno, vnde illud quod diligitur propter se, & desideratur inter hæc principia abstracta, quorum vnumquodque est aliquod vnum simplex, & elementum corporis, quod mouet est id, quod ex eis in fine nobilitatis & simplicitatis & vnitatis, non decet ipsum Deum amare se, plusquam ipse sit amabilis, quia error esset in Deo, nec decet Deum se minus amare, quàm ipse sit amabilis, quia in eo esset defectus, cùm ergo natura sua sit simplicissima, & delectabilissima, sicuti in tanto gradu est intelligens, sicuti intelligibilis; patet ergo quod appetibilitas sequitur bonitatem, & bonitas est causa quod res sit appetibilis. Verum Sanctus Thomas p. p. quæst. 5. art. 6. diuidit bonum, in honestum, quod propter se appetitur, vt sunt virtutes; & delectabile, vt est quies existens in virtutibus; & in bonum vtile, quod ratione alterius expetitur, vt medicina quæ appetitur propter sanitatem. Diuus Augustinus diuisit bonum in bonum per essentiam, quale est Deus, & in bonum per participationem, quale est creatura,

Appetitus duplex.

Deus est maximè bonus.

Deus est intelligibilis vti intelligens.

re: Ex his colligo primo, quòd bonum non est passio entis in illa significatione, vt ens dicitur de ente reali, & ente rationis, sed solum, prout ens dicitur de ente reali, vt docuit Arist. 6. Met. tex. 8. bonum, & malum sunt in rebus, & ideo erit passio entis, prout est ex parte rei, & sic conuertitur cum ipso ente, & non differt ab eo, secundùm rem, sed solummodo secundùm rationem significatam, vt scribit S. Thom. p. p. q. 5. ar. 3. & 1. contra gen. c. 37. & de veritate, q. 21. art. 2. Colligo secundo, quòd de ratione boni sunt duo, alterum vt materiale, quod est esse rei, & alterum formale, quod est respectus, & ordo ad appetitum; vnde sicut verum respicit intellectum, sic bonum respicit appetitum, & per istum respectum distinguitur à quolibet alio transcendente. Colligo & tertio, quòd solus Deus est bonus per essentiam, idest non per participationem alterius, sicut solus est ens per essentiam, creaturæ verò sunt bonæ per participationem, quia dependent ab ipso Deo, licet possint creaturæ dici bonæ per essentiam, ea ratione qua hæc dictio, secundùm essentiam, denotat idem quod non per accidens, sed non prout ly secundùm essentiam, dicit independentiam. Colligo & postremo, Mathematica esse bona, ea ratione qua sunt entia, non autem esse bona, capiendo bonum pro existenti, & etiam ipsum ens prout existit: quia Mathematica formaliter loquendo per se non subsistunt, sed sunt abstracta à materia sensibili, non autem sunt, ita entia Metaphysicalia, quia existunt, vt docuit Caietanus p. p. q. 5. ar. 3. Materia quoque prima est simpliciter bona, non prout simpliciter dicit tale secundùm essentiam, sed quia sine addito est ordinata ad formam, & ratione illius ordinis, dicitur simpliciter bona, vt docet Ferrariensis 3. contra Gentiles, c. 20. Ex quibus patet quid sit bonum, & quid eius significata.

Bonum quomodo est passio entis.

Creaturæ sint bonæ per essentiam.

Materia est bona.

CAPITVLVM VIGESIMVMOCTAVVM.

De eo quod est dicitur Aliquid.

SVNT nonnulli docentes, Aliquid, & quid, esse synonima, & non differre ab inuicem, nisi vt ensis, & gladius, & vestis, & indumentum. Sed toto cœlo aberrare videntur, quandoquidem cùm forma sit illa quę dat esse rei, hinc, primum quod efficitur in rerum natura, est ipsum ens, quod imponitur ab esse datum à forma; & quia hoc esse sequitur indiuisio, hinc fit, vt secundum transcendens sit vnum; & quia hoc esse indiuisum est intelligibile, propterea tertium transcendens est verum; efficitur etiã hoc esse indiuisum, & intelligibile, vt sit appetibile, & sic nascitur quartum transcendens, quod est bonum: & quia Aliquid dicitur, quasi aliud quid, ex quo oritur quintum transcẽdens, quod dicitur Aliquid, de quo est præsens sermo. Vnde distinguuntur Aliquid, & quis, & quid, & aliud: nam hoc adiectiuum aliud, est neutri generis, & habet significationem in essentia, & diuersitatem in substantia. Hinc fit, quod Theologi non vtuntur hoc modo loquendi in diuinis, vt docet S. Thomas p. p. q. 31. art. 2. & 1. sent. dist. 24. q. 2. art. 2. videlicet, quod Filius est aliud à Patre, nec Spiritus sanctus est aliud à Patre, & Filio, per rationem dictam, quia neutrum genus, quod exprimitur per aliud est informe, & significatur essentia cõmunis, & quia Filius non est diuersus in essentia à Patre, propterea non est aliud à Patre, licet sit alius, & alia persona, & aliud suppositum. Aliquis verò est adiectiuum masculini generis, vnde dicitur aliquis, quasi alius quis, & hoc significat alietatẽ in supposito, propterea nec aliquis, nec aliud, est transcendens. Nec etiam ipsum quid potest esse transcendens, quia quid dicit quidditatem significatã per formam principaliter, adęquatè verò per formam & materiam: quandoquidem tam forma, quàm materia sunt partes quidditatis, contra Auerroem, & hinc est, quòd per quid, intelligimus ipsum quidditatem, quod significatur per prædicatum essentiale, vel etiam quid dicit declaratiuũ, & indicatiuum alicuius rei: nam per quidditatem declaratur, & ostenditur quid sit res, puta animal rationale, quod est quid ipsius hominis, declarans, & ostendens ipsum hominem. Potest etiam ipsum quid sumi repræsentatiuè, & sic species intelligibilis, vel actus intelligendi, seu species expressa, quæ dicitur verbum sunt quid, quia repræsentant quidditatem, & substantiam rerum. Quid quoq; potest sumi specificatiuè, vt dixit Porphyrius c. de differentia, quod differentia specifica determinat genus, quod prędicatur in quid, vnde tam differentia specifica, vt determinans, dicit quid, quàm etiam ipsum genus determinatum,

Aliquid dicitur quasi aliud quid.

Aliquis quasi alius quis.

Quid, quomodo intelligitur

Accidens est duplex.

Sed quæreret aliquis, num existentia rerum sit substantia, vel accidens? Respondeo cum Aristotele 1. Metaphysices in prologo, quòd Accidens est duplex, alterum, quod condistinguitur contra substantiam, vt qualitas & quantitas, & cętera prædicamenta accidentium: alio modo dicitur accidens, quod non est de essentia & quidditate alicuius, & sic omnia inferiora sunt accidentia respectu superiorum; quemadmodum animal est accidens respectu corporis, quia non est de essentia corporis, & sic homo respectu animalis, & Socrates respectu hominis: vnde dicit Aristoteles, quòd accidit animali esse hominem, quia homo non est de essentia animalis. Existentia non est accidens primo modo, ita vt inhæreat alicui subiecto, & superaddatur ei, quemadmodum albedo est accidens, respectu parietis, quia inest parieti existenti in actu; sed dicitur esse accidens secundo modo, quia est extra essentiam & quidditatem rei, non enim in definitione rei ponitur existentia ipsa; si quis enim voluisset definire hominem, dicit, quòd est animal rationale, absque hoc quod ponat in ista definitione existentiam ipsius hominis, licet existentia rei semper reducatur ad illud prædicamentum in quo ponitur res ipsa: vnde existentia hominis reducitur ad prædicamentum, in quo est homo, scilicet substantiæ, & existentia ipsius lineæ, aut superficiei, reducitur ad prædicamentum quantitatis, & sic de alijs, vt supra dictum est.

Existentia est substantia reductiuè.

Et si quis contra hoc instaret, dicendo, Accidens est illud, quod potest adesse & abesse subiecto, absque illius corruptione, vt dixit Porphyrius in prædicabilibus, sed existentia potest adesse & abesse ipsi essentiæ, quæ est illius subiectum, absque eius corruptione; quia remanente essentia æterna & inuariabili, interdum illa existit, & interdum non; igitur existentia est verum accidens; & præsertim, quia existentia non est genus, neque species, neque materia, neque forma, neque compositum, igitur erit verum accidens. Addo etiam, quia fluit à principijs essentialibus subiecti, ergo erit accidens proprium vel commune. Sed hæ dubitationes facilè soluuntur, quia in definitione accidentis data à Porphyrio, debet intelligi de subiecto completo existenti in actu, quod tamen non est ipsa essentia, & propterea existentia non est accidens primo modo, licet etiam non sit materia, neque forma, tenet tamen locum formæ, quia est id quo essentia existit, licet diuisio illa data per substantiam, & accidens intelligenda veniat de ente quod significat essentiam, & de eo quod verè est, non autem de eo quo aliquid est, licet etiam fluat ipsa existentia à principijs essentialibus, non tamen est alterius generis ab ipsa essentia.

Existentia nō est accidens, neque materia, neque forma.

Esset hic ventilanda quæstio illa de existentia Dei absoluta, quomodo distinguitur ab existentijs relatis, & an sit idem existentia, & subsistentia, vt tenuit Durand. 3. sententiarum, dist. 1. quæst. 2. & Capreolus eadem distinctione, quæst. vnica, art. 3. & Paludanus ibidem, quæst. 2. quæ opinio videtur S. Thom. prima par. quæst. 42. art. 4. nisi in dubio de hoc Deo à nobis esset pertractanda cap. vlt.

CAPITVLVM VIGESIMVMQVARTVM.

De eo quod est.

ARISTOTELES primo Physicorum, contextu 26. contra Parmenidem his verbis vocat ipsum ens, quod est, tamen omnes ferè Latini Interpretes, per id, quod est, intelligunt ipsum ens, quod claudit in se esse, & essentiam. Et se habent hæc tria ad inuicem, scilicet ens, esse, & essentia, sicut viuens, vita, & viuere: vita enim est principium, quo viuens viuit; essentia est principium, quo ens est, nisi quod vita, & viuere significant actum vitæ in abstracto, viuere verò in concreto. Sicut cursus, & currere: essentia tamen non semper constituit esse. Et propterea communiter Doctores solent distinguere ipsum ens, quod dupliciter sumitur, nominaliter scilicet, & participialiter. Ens nominaliter, quidditatiuè, & intrinsecè de omnibus prædicatur, quia principale significatum suum, tanquam id quod significat, est essentia, esse autem est significatum, tanquam id à quo nomen sibi est impositum; sicut lapis principaliter significat corpus durum offendens pedem, læsio tamen pedis importatur secundariò, tanquam id à quo sibi impositum est nomen. Ens verò participialiter idem sonat quod existens, quia est participium ipsius verbi sum, es, est, & hoc participium, quod est existens,

Ens dupliciter sumitur.

Ens participialiter quid significat.

importatur

importatur tanquam principale & formale significatum: illud autem quod habet esse, importatur secundario, tanquam susceptiuum ipsius esse: sicut album primo, & formaliter dicit albedinem, quod est eius abstractum, secundario autem dicit ipsum subiectum, quod significat albedinem per modum inhærentis.

Ens apud diuersos diuersa significat.

Et hoc ens siue nominaliter, siue participialiter sumatur, apud diuersos diuersa significat: Nam aliqui dicunt, quòd ens prima sua significatione dicit decem prima genera rerum immediatè. Aliqui verò dicunt, quòd primum significatum ipsius entis est quoddam disiunctum, scilicet substantia, vel accidens, ita quod quando dico, lapis est ens, significatur quod lapis habet hoc prędicatum disiunctum, scilicet substantia, vel accidens. Aliqui verò dicunt, quòd significatum ipsius entis est quidam gradus rei ab omni ratione actuali, vna vel pluribus, propria, vel communi vnitate confusionis, continens implicitè omnem rem, & omnem rationem, explicitè verò nullam. Sunt & aliqui dicentes, quòd significatum entis est vna ratio explicitè, dicens, omnes naturas actu, vel potentia. Sunt & alij Doctores qui tenent, quòd significatum entis est quædam entitas præcisa ab omnibus rebus; sicuti significatum animalis est natura ipsius animalis, quæ abstrahit ab omnibus inferioribus, & est prior illis, vnde datur quędā entitas præcisa & abstracta naturaliter prior substantia, & accidente, Deo, & creaturis, & ista prædicatur de omnibus. Sed hęc relinquamus: quia in præsenti libello nolumus latius quæstiones istas disputare, cùm plurima dixerimus in dilucidationibus nostris Metaphysicalibus, sed tantùm intendimus veritatem ipsam sequi. Et quia communiter per significatum entis duo intelligere possumus, quorum alterum dicitur formale, alterum verò materiale, seu obiectiuum significatum, seu conceptus formalis, qui est actus intelligendi secundùm aliquos, & secundùm Sanctum Thomam est verbum formatum de re intellecta per actum intelligendi; verbi gratia, quando intellectus intelligit naturam humanam, similitudo illius naturæ exprimens illam, dicitur conceptus formalis eius, significatum verò, seu conceptus materialis, & obiectiuus est ipsa natura intellecta, & repræsentata per illam similitudinem. Et quia hic conceptus, tam formalis, quàm obiectalis duplex esse potest, incomplexus, & complexus, Incomplexus, seu simplex, est ille, qui respondet rei simplici, puta homini, aut leoni; complexus verò correspondet pluribus rebus, puta animali rationali, vel animali diuiso in plures species, &c. si loquimur modo de significato formali ipsius entis, seu conceptu formali, sic absolutè, proferre sententiam possumus, quod est abstractus, secundùm rem, & secundùm rationem ab omnibus inferioribus, quia talis conceptus est in intellectu, res verò sunt extra intellectum: si verò loquamur de significato materiali, seu conceptu obiectiuo ipsius entis, non est vnus secundùm rem, nec est abstractus, & præcisus à suis inferioribus, quia tale significatum entis est natura communis omnibus entibus, & nulla natura communis pręsertim analoga est abstracta, secundùm rem à suis inferioribus, sed est bene vna secundùm quid. Vnde quando dico, substantia est ens, nomen entis dupliciter intelligitur; vno modo absolutè, pro eo cui competit esse, nullo particulari designato, propter omnimodam confusionem conceptus: alio modo pro singulis membris diuidentibus ipsum ens, scilicet pro substantia, quantitate, &c. primo modo est intelligendum significatum ipsius entis, & non secundo. Et si dicis, quòd cùm conceptus obiectiuus correspondeat conceptui formali, cùm nil aliud sit quàm res, quæ intelligitur per conceptum formalem, sed conceptus formalis entis est vnus secundùm rem, & præcisus ab inferioribus gradibus, ergo & conceptus obiectalis erit præcisus, aliter non esset correspondentia inter vtrumque. Dicas, quòd conceptus obiectalis correspondet formali non in omnibus, sed tantum in repræsentando, & hinc est, quòd non sequitur, aliquis conceptus formalis est vnus secundùm rem, & præcisus ab inferioribus, ergo & obiectalis; neganda venit consequentia, sed bene sequitur, ergo conceptus formalis repræsentat obiectalem, & conceptus obiectalis est repræsentatus proportionaliter, & analogicè per conceptum formalem, quia conceptus formalis entis est adæquatus ex parte rei repræsentatæ, licet sit inadæquatus ex parte repræsentationis: nam conceptus formalis est ad omnia, scilicet ad Deum, ad creaturas, & ad substantiam, & ad accidens; & sic etiam conceptus obiectiuus est communis omnibus istis. Ex hoc sequitur primo, quòd quando dico, Deus est ens, istud prædicatum, ens, non dicit naturam aliquam præcisam ab ipso Deo, & à creaturis, sed tantum dicit conceptum formalem repræsentantem naturam ipsius Dei obiectaliter, correspondentem huic conceptui formali. Nec est inconueniens, quòd tale prædicatum sit prius

Conceptus entis duplex.

Conceptus formalis entis est duplex.

Significatum entis est natura cōmunis.

Cōceptus obiectalis quomodo correspondet formali.

Deus est ens, quis est sensus eius.

H 2 Deo,

Deo, secundùm nostrum modum intelligendi, immò necessariò hoc asserere debemus, quandoquidem illi, qui negabant Deum, concipiebant ens distinguibile per finitum, & infinitum; sic etiam quando dicimus, substantia est ens, accidens est ens, istud prædicatum ens, est prius illis subiectis, secundùm nostrum modum intelligendi, vt docet Sanctus Thomas in prologo de ente & essentia, de mente Auicennæ, quod ens & essentia, sunt quæ primo intellectu concipiuntur. Sequitur etiam & tertio, quod ens nominaliter sumptum, & non participialiter, vt dixit Caietanus 4.cap.de ente, & essentia, est illud, quod diuiditur per decem genera rerum, vt docet Capreolus 1.sentent.dist.3. & Ferrariensis 1.contra gent.cap.26. Sequitur & quarto, transcendentia esse sex, vt docet Sanctus Thomas in opusculo 42. cap.2. contra nonnullos, dicentes, quatuor tantum esse transcendentia, ens, bonum, vnum, & verum: & contra Laurentium Vallam, lib.1. suæ Dialecticæ, ponentem tantum vnum esse transcendens, scilicet rem: & contra Philippum Mocenicum in sua vniuersali institutione, contemplatione 3.par.1.cap.2. scribentem esse decem transcendentia, scilicet ens, virtutem, veritatem, bonitatem, existentiam, durationem, vnitatem, perfectionem, plenitudinem, vim. Nec valet dicere, opusculum 42. non esse opus S.Thomæ, quia sic de facili possumus dicere, & dubitare de omnibus eius operibus. Patet ergo quid est ens, & quid est eius significatum, iuxta viscera doctrinæ Sancti Thomæ.

Numerus transcendentium quis est.

CAPITVLVM VIGESIMVMQVINTVM.

De Vno.

DIVERSI diuersimodè loquuti sunt de ipso Vno. Nam Boetius in libello de vnitate & vno, cap.1. inuestigans quid sit vnitas, & vnum? dixit, Vnitas est qua vnaquæque res dicitur esse vna, sicuti Aristoteles in prædicamentis definiens qualitatem, dixit, qualitas est secundùm quam quales esse dicimur. Alij verò considerantes naturam vnitatis, vt fuit Henricus quolibeto 2. dixit, quòd vnitas est priuatio diuisibilitatis in se, & communicabilitatis in alio, & sic etiam vnum est indiuisum in se, & alteri incommunicabile. Sanctus Thomas 10.Metaphysices, lect.4. & 1.sentent.dist.24. quæst.1. & 1.par.q.11.art.2. dixit, Vnum est illud, quod est in se est indiuisum, & diuisum à quolibet alio. Verùm quia vnum & vnitas poterit aliquando esse id quo aliquid dicitur esse vnum numeraliter in prædicamento quantitatis, & hoc vnum dicitur esse principium numeri, & de genere quantitatis, de hoc non loquimur in præsentiarum: sed aliud est vnum & vnitas, quod dicitur transcendens, quod conuertitur cum ente, & naturam huius intendimus inuestigare in præsenti. Sed attende, quòd transcendens tribus modis dici potest, Vno modo secundùm nobilitatem, & sic tantum Deus dicitur transcendens, quandoquidem sua entitate, & actualitate transcendit, & superat omne ens. Alio modo transcendens dicitur, secundùm transcendentiam prædicationis, quia prædicari potest de omni ente, primo intentionaliter, & secundo intentionaliter, secundùm quandam vniuersalitatem prædicabilitatis; & sic concipi, dicitur esse quoddam transcendens, quia omnia entia, tam primo intentionaliter, quàm secundo intentionaliter, possunt aliquo pacto ab intellectu concipi, licet diuersimodè, & ideo concipi, seu conceptio potest dici quoddam transcendens. Alio modo & tertio, aliquod dicitur transcendens, secundùm formalem prædicationem, primo intentionaliter, & sic vnum, ens, verum, bonum, res, aliquid, sunt transcendentia. Sed quæreret aliquis, cùm ens sit subiectum aliorum transcendentium, quem ordinem tenent inter se cetera transcendentia, quæ sunt passiones, & affectiones ipsius entis? Pro hac dubitatione est necessarium scire, quod passiones entis dupliciter considerari possunt, Vno modo quantum ad res significatas, alio modo quantum ad formales rationes eorum; primo modo vnum istorum non est prius altero, quia omnia dicunt vnam, & eandem naturam, & nulla natura est prior seipsa, propterea quantum ad istum modum vnum transcendens, non est prius altero: si autem secundo modo consideretur, cùm ratio formalis alicuius nil aliud sit, nisi conceptus sub quo res significatur, & quia vnus conceptus potest esse prior altero dupliciter, vno modo secundùm se, alio modo per comparationem ad intellectum, & quia

Vnum dicit indiuisionem, & diuisionem.

Transcendens dicitur tribus modis.

Vnum transcendens non est prius altero quomodo intelligitur.

& quia conceptus vnius, seu non formalis eius, non clauditur formaliter in conceptu boni, nec econtra, ideo intellectus potest indifferenter quemlibet istorum conceptuum formare, alio non formato, & quia illud quod primo cadit in intellectu est ens, secundum verò est non ens, quia concipitur quod ens non est non ens, tertium quod concipitur est diuisio, quia hoc ens est diuisum à non ente, & à quolibet alio, quartum est vnum, quia concipitur hoc ens non esse diuisum in se per plura, quorum hoc nõ sit aliud. Et si quis diceret, ergo ex hoc discursu sequitur, quòd conceptus non entis, & conceptus negationis erunt priores conceptu vnius, & sic non ens, & diuisio, erunt primæ passiones entis. Dicas tu, quòd non valet hæc consequentia, quandoquidem nihil non potest esse passio entis, quia non dicit aliquid positiuum, & quia non ens, & diuisio dicunt puram negationem, ideo non sequitur, quòd sint passiones entis. Sed cùm vnum dicat aliquid positiuum, & eandem naturam cum ipso ente materialiter, sequitur quod ipsum sit prima passio, & affectio entis, ratione rei, & naturæ significatę, non propter rationem formalem suam: ens autem cùm sit subiectum omnium suarum passionum, erit prius illis, vnum verò sequitur immediatè ipsum ens, & antecedit verum, & bonum, quia prius est aliquid in se, quàm referatur ad aliquid vlterius; sed vnum competit omnibus rebus, vt in seipsis, verum autem, & bonum competunt rebus, vt referuntur ad alterum; nam verum refertur ad intellectum, bonum autem ad appetitum, ergo ratio formalis vnius erit prior ratione formali ipsius veri, & boni, licet verum etiam sit prius ratione formali ipsius boni, quia intellectus est prior appetitu; & ratio formalis veri pertineat ad intellectum, ratio verò formalis boni, pertineat ad appetitum: & hinc est, quòd verum est prius ipso bono, bonum autem antecedit aliquid, & aliquid antecedit rem: & hic est ordo inter ipsa transcendentia.

Ens est subiectum suarum affectionum.

Ex quo patet primo, quod nunquam significatum vnius transcendentis, est aliquid reale positiuum, vt quidam arbitrati sunt, vnum addere ipsi enti aliquid reale positiuum, quia si adderet aliquid positiuum formaliter distinctum ab eo, non dixisset Arist. 4. Metaph. tex. 3. vnum, & ens dicere vnam, & eandem naturam, licet dicat quid distinctum formaliter, & secundùm rationem, quia vnum quatenus, vnum nil aliud est, nisi ens indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio, & sic formale significatum vnius, est negatio diuisionis, & entitas. Propterea non est nugatio dicendo, ens vnum, quia vnum addit supra ens negationem diuisionis, vt latius probat Sanctus Thomas p. p. quæst. 11. art. 1. & 1. sententiarum, dist. 24. quæst. 1. artic. 3. & Albertus 4. libro Metaphys. tract. 1. cap. 1. & Alexander Alensis p. p. quæst. 13 membro 1. & omnes ferè boni authores: nam omne ens, aut est simplex, aut compositum, si simplex, est indiuisum actu, & potentia; si est compositum, non habet esse quandiu partes eius sunt diuisæ, sed postquam constituunt, & componunt ipsum compositum, propterea esse cuiuslibet rei, siue simplicis, siue compositæ consistit in diuisione; & hinc est, quòd vnumquodque sicut custodit suum esse, ita custodit suam vnitatem.

Vnũ formaliter non dicit positiuum.

Sequitur secundo, quod rectè dicitur, Deus est vnus, & summe vnus, quia est indiuisus. Nec sequitur, ergo in Deo est aliqua priuatio; quia ista negatio diuisionis nullam imperfectionem ponit in ipso Deo, quandoquidem sicuti appellatur infinitus, immensus, inæstimabilis, inculpabilis, impeccabilis, quæ omnia prędicta dicunt negationem, tamen ista negatio intelligitur maxima perfectio, ita etiam dicitur indiuisus, & vnus, ob summam, & infinitam perfectionem, quæ in ipso reperitur.

Sequitur & tertio, vnum, & multitudinem formaliter sumpta, opponi priuatiuè, & non contrariè, vt docuimus 10. Metaph. dilucidatione 2. de mente S. Thomæ, Caietani, & omnium Thomistarum sequentium doctrinam germanam Angelici Doctoris, licet quidam eruditissimus Hispanus nomine Didacus Masius Valentinus Vilarealensis 3. libro suo de ente & eius proprietatibus, existimans iuxta sententiam Sancti Thomę loqui, & conuersus est ad doctrinam aduersariorum, asserens vnum, & multitudinem opponi oppositione aduersa & contraria, contra communem opinionem sui Magistri Sancti Thomę, & Aristotelis, ratione quadam friuola, Quia vnum & multitudo habent contrarias formas: igitur debent opponi contrariè, Quæ est nullius momenti, quia forma vnius non est, nisi eius ratio formalis, quæ est indiuisio, vt ipsemet docuit libro suo, & forma multitudinis est diuisio, at diuisio, & indiuisio, vt docet S. Tho. p. p. q. 11. ar. 2. & Caietanus ibi opponuntur sicut habitus, & priuatio, non ergo oppositione contraria, sed priuatiua opponuntur. Idcirco sequenda est rei veritas Sancti Thomæ, & relinquenda doctrina aduersariorum, quam

Vnũ & multitudo opponitur priuatiuè contra Didacum Valent.

Didacus Masius Valentinus reprobatur.

quam profitetur hic Reuer. Didacus Masius Valentinus 3. illo libro suo, de ente & proprietatibus eius. Nec iuuat sibi authoritas Sancti Thomæ 1. sententiarum, distinct. 24. art. 3. in responsione ad quartum, vbi dicit, quòd Vnum dupliciter dicitur, scilicet quod est principium numeri, & quod conuertitur cum ente: loquendo de vno quod est principium numeri, ponit aliquid additum supra ens, quod dicitur vnum, scilicet rationem mensuræ, & sic habebit disparatam oppositionem ad alios numeros, & talis oppositio reducitur ad contrarietatem; si autem loquimur de vno quod conuertitur cum ente, sic vnum habet rationem priuationis respectu diuisionis, quæ saluatur in multitudine, & ita opponitur multitudini, sicut priuatio habitui: vnde patet, quod Sanctus Thomas loquitur de vno, quod est principium numeri, quando dicit, quòd vnum & numerus opponuntur oppositione contraria, & conclusio nostra 10. Met. dilucidatione 2. loquitur de vno transcendenti, propterea sine ratione hic Doctor reprehendit nostrum dictum. Sed non est mirum, quia deceptus est ex dicto Iauelli 10. Metaph. q. 5. vbi & ipse Iauellus dixit conclusione sua quarta, vnum & multa non opponi purè priuatiuè, sed etiam contrariè, sequens & ipse doctrinam aduersariorum, impugnantium veram, sinceram, & germanam doctrinam Thomisticam.

Iauellus decipitur.

CAPITVLVM VIGESIMVMSEXTVM.

De Vero.

Variæ definitiones de veritate.

VARIE solent Doctores de ipso vero loqui: nam Diuus Augustinus in libro de vera religione, cap. 2. reprobat quandam definitionem de vero, quam solebant Antiqui exprimere, dicendo, Verum est id quod videtur, quia secundùm hoc lapides qui sunt in abditissimo terræ sinu, non essent veri lapides, quia non videntur. Sic etiam in libro soliloquiorum, amplectitur hanc definitionem ipsius veri, Verum est id quod est. Vel dicendum, quòd veritas est summa similitudo principij, quæ sine vlla dissimilitudine est. Diuus Hilarius 6. de Trinitate, dixit, Verum est declaratiuum, aut manifestatiuum ipsius rei. Diuus Anselmus libro Monologion, dixit, Veritas est rectitudo sola mente perceptibilis. Nicodemus referens verba, quæ habuit Pilatus cum Saluatore nostro Christo, quando dixit Pilatus, quid est veritas? vult Nicodemus quod Christus responderit, Veritas est in cœlo; licet Euangelium Nicodemi sit apocryphum, tamen cùm dicat Christus Saluator noster de seipso, Ego sum via, veritas, & vita, de hac poterit ipse Nicodemus intelligere. Philosophi etiam diuersimodè loquuti sunt de ipsa veritate: nam Aristoteles in postprædicamentis, dixit, quòd ab eo quod res est, vel non est, dicitur oratio vera vel falsa. Et in libro Perihermenias voluit, quòd circa compositionem, & diuisionem est veritas, & falsitas. Et 6. Metaph. tex. 8. ostendit, quòd verum & falsum sunt in intellectu, bonum & malum sunt in rebus. Et 3. de anima, tex. 53. dixit, intellectum semper esse verorum. Auicennas dixit, quòd Veritas est vniuscuiusque proprietas sui esse, quod stabilitum est ei. Secundum communem scribentium opinionem, Veritas est adæquatio rei & intellectus, res autem simpliciter abstractæ suis proprijs intellectibus adæquantur, non suis autem non adæquantur, sed inferiorem intellectum superant, & ideo ipsi intellectui humano comparatæ, diminutè intelliguntur ab eo, ob hoc respectu intellectus nostri, res illæ immateriales non habent suam propriam veritatem, res autem materiales à Deo glorioso maximè superantur, intellectui diuino vt verè sunt non comparantur vera comparatione. Adæquatio enim duplex esse potest, in actu, ob hoc scilicet vbi obiectum est actu intellectum, & in potentia, vbi obiectum non est actu intellectum, sed possibile est intelligi, vt entia intellectui humano comparata æquabilia dicuntur, quemadmodum intellectus noster possibilis intelligere dicitur, non a item actu intelligens. Est autem differentia inter esse relatiuum, quod habet intellectus noster ad rem, & esse relatiuum, quod habet res ad intellectum, quia intellectus pendet à rebus; res autem non pendent ab intellectu. Et quia res duobus modis perpendi possunt, primo vt habent esse extra intellectum in suis singularibus, alio modo, vt apprehenduntur ab ipso intellectu, seu quatenus obijciuntur intellectui per speciem intelligibilem, quando igitur intellectus per speciem intelligibilem

Adæquatio rei duplex esse potest.

Quomodo vim habeat apud intellectum.

repræsen-

repræsentantem prædicata naturę obiectæ, inuestigat aliquod eius prædicatum, formans conceptum de natura illa; & enunciat talem conceptum, vel prædicatum de re, dicendo, cœlum est corpus incorruptibile, homo est animal, inter rem ad extra, & ipsamet, vt sic apprehensam, vel conceptam ab intellectu, consurgit quædam conformitas, quæ pręsentatur per hanc copulam, est, opposito autem modo consurgit difformitas, si aliter apprehendatur, vel concipiatur, quàm sit conueniens rei. Hanc igitur conformitatem communiter scribentes, vocant veritatem formaliter, difformitatem verò falsitatem, quæ quidem sunt respectus, non reales, sed rationis consequentes operationem intellectus: nam remoto intellectu, res non concipietur conformiter, nec difformiter, ex consequenti tales respectus non consurgerent.

Adde, quod eiusdem ad seipsum est respectus rationis, cùm non sint extrema realiter distincta: cùm igitur hic respectus sit eiusdem rei, vt habet esse ad seipsam, & vt est apprehensa ab intellectu, erit respectus rationis; & quia duo includuntur in ratione formali veritatis, scilicet absolutum, & respectus, absolutum autem aliquando est natura rei intelligibilis, aliquando est species intelligibilis, aliquando est conceptus formatus, & respectus rei ad intellecta, aliquando est ipsius intellectus ad rem, aliquando est realis, aliquando est rationis. Absolutum inclusum in ratione veritatis, & veritas fundamentaliter, sed non formaliter, est ipsa veritas in entitate rei, respectus autem inclusus dicitur veritas formaliter. Et quia vnumquodque solet definiri per suum formale, hinc est, quod definitio communiter ab omnibus dari solet de veritate, Veritas est adæquatio rei & intellectus, & pro eodem sumitur adęquatio, conformitas, & similitudo. Vel dici solet, quod veritas est entitas rei, vt conformis intellectui, siue speculatiuo, siue practico; quandoquidem aliter conformatur entitas rei, intellectui practico, & aliter speculatiuo: nam intellectui practico conformatur, vt causę suę productiuę, & hinc dicitur vera domus, quando conformatur ideę ipsius domus existenti in mente artificis, quæ est causa producendi ipsam domum, & è contra falsa domus dicitur, quando disformatur eidem ideę existenti in mente artificis: & in rebus naturalibus dicitur verus lapis, verum aurum, quia conformantur ideis existentibus in mente primę causę agentis ad instar artificis; conformatur autem intellectui speculatiuo, quia ab eo cognoscitur, sicut est, difformatur quando aliter cognoscitur, quàm sit. Ex his deduco primo, quòd veritas formaliter, & secundùm essentiam est in solo intellectu, veritas autem rei in habitudine ad intellectum creatum est in rebus, tanquam in causa fundamentaliter, & materialiter, quando verò res referuntur ad intellectum, dum veritas ipsarum rerum dicitur reperiri in rebus ipsis formaliter, & secundùm essentiam, quia intellectus diuinus est efficiens res ipsas, & sic etiam veritas transcendens & formaliter, & secundùm essentiam reperitur in rebus ipsis. Correlarium hoc est Sancti Thomæ, prima parte, quæst. 16. art. 1. & de veritate, art. 1. Deduco & secundò, quòd Veritas in actu exercito, & materialiter, & tanquam in subiecto, etiam in sensibus reperiri potest. Docuit hoc Arist. 2. de anima, tex. 161. vbi dixit, sensus semper esse veros circa proprium obiectum, quę veritas non vniuersalis, sed particularis est, sicuti & sensus ipsi particulariter cognoscunt. Deduco & tertio, quòd Veritas reperitur in intellectu, in prima sua operatione, vt docuit Aristoteles 9. Metaphys. contextu vltimo, vbi posuit intellectum non decipi circa simplicia, sed in actu exercito, & tanquam in subiecto: reperitur etiam in apprehensione coniuncta rebus, vt diximus de mente Aristotelis, in prologo primi Perihermen. quod circa compositionem, & diuisionem est veritas, vel falsitas: in actu etiam signato reperitur ipsa veritas, tanquam in cognoscente in ipso intellectu, qui iudicat res apprehensas: in propositionibus quoq; reperitur veritas, tanquam in signo. Deduco & postremo, quòd propositiones ipsę in quibus prędicata sunt de essentia subiectorum, vt quando dicitur, homo est animal rationale, & leo est animal rugibile, & coruus crocitat, sunt sempiternę veritatis, siue res existant, siue non existant, semper enim & ab ęterno veritatem habent. Hoc quoque correlarium est S. Thomæ, p. p. q. 10. art. 3. & de veritate, q. 1. art. 5. quod etiam docet Caietanus 1. lib. Post. cap. 9. & multi alij grauissimi Doctores. Et sic apparet quid sit veritas, & in quibus reperitur, & quomodo est in intellectu, & in sensu, & in propositione.

In ratione formali veritatis duo clauduntur.

Quid est veritas.

Veritas in quo reperitur.

Quæ propositio est sempiternæ veritatis.

CAPI-

CAPITVLVM VIGESIMVMSEPTIMVM.

De Bono.

Divvs Dionysius Areopagita intuens naturam ipsius boni, 4. cap. de diuinis nominibus, inquit, Bonum est diffusiuum suiipsius. Beatus verò Augustinus, libro 8. de Trinitate, docuit, bonum nihil aliud esse, nisi Deum, his verbis, Bonum hoc, & bonum illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum si potes, & ita Deum videbis, iuxta illud, Nemo bonus, nisi Deus. Aristoteles libro 1. Ethicorum, cap. 1. dixit, Bonum est quod omnia appetunt. Cicero 5. libro Tusculanorum, voluit bonum esse illud, quod ab omnibus est expetendum: appetibilitas igitur est passio ipsius boni, sicuti visibilitas est passio ipsius coloris. Verùm quia appetibilitas dupliciter sumi potest, Vno modo pro fundamento ipsius appetibilitatis, & sic appetibile fundamentaliter est de natura, & essentia boni, quod quidem secundùm suam essentiam est aptum natum appeti ab ipso appetitu; & sic quando dicitur, bonum est, quod omnia appetunt, si fundamentaliter intelligatur hęc definitio, quam dedit Aristoteles, est vera, & essentialis definitio boni: si autem appetibilitas, seu appetibile capiatur pro relatione, & habitudine ad appetitum, sic potius est quędam descriptio ipsius boni, per proprietatem & passionem eius, quando dicitur, quòd bonum est appetibile ab omnibus: sic etiam dicimus de visibili, respectu coloris, & de mobili respectu corporis naturalis, quod potest capi fundamentaliter, & pro relatione, & habitudine ad motum.

Appetibilitas dupliciter sumitur.

Et quia appetitus est duplex, naturalis, & sequens cognitionem, licet in nobis appetitus naturalis origine pręcedat appetitum cognoscitiuum, intellectiuum, siue animalem, non tamen simpliciter præcedit, quia Deus est cognoscens, & amans, idcirco cùm ipse sit finis entium, eius appetitus est simpliciter primus: & quamuis secundùm nostrum modum intelligendi, natura in Deo pręcedat ratione intellectum, quia communior est natura, quàm intellectus, non tamen sic est in re, quia ordo noster concipiendi nullam dignitatem afferre, aut auferre potest omnipotenti Deo. Ordinando igitur appetentia, est inuenire primum appetens, & ordinando appetibilia, est inuenire primum appetibile, & ordinando appetitus, est inuenire primam appetitionem, non bene autem adscribitur prima appetitio secundo appetenti, aut appetibili, neque primo appetenti. Secunda appetitio, aut secundum appetibile, idem secundùm naturam ordinando in primo appetente erit primus appetitus, respectu primi appetibilis: ideo Deo existenti maximè bono, ipse erit maximè appetens, maximo appetitu, maximum appetibile proportionaliter: igitur appetitus intellectui: idcirco Deo existente maximè intellectiuo, etiam ipse erit maximè appetens, & appetitiuus, vt docuit Aristoteles 12. Metaph. tex. 36. necesse est, vt illud quod est magis bonum, sit magis desideratum, quod si motor corporum cœlestium est magis bonus omnibus, necesse est vt sit desideratus magis bonus omnibus. Vnde Auerroes considerans verba Aristotelis, dicebat, quòd corpora cœlestia sunt nobilissima, & corporibus sensibilibus meliora, necesse est, quod illud bonum, quod appetunt sit nobilissimum entium, & maxime, quod appetit totum cœlum in motu diurno, vnde illud quod diligitur propter se, & desideratur inter hæc principia abstracta, quorum vnumquodque est aliquod vnum simplex, & elementum corporis, quod mouet est id, quod ex eis in fine nobilitatis & simplicitatis & vnitatis, non decet ipsum Deum amare se, plusquam ipse sit amabilis, quia error esset in Deo, nec decet Deum se minus amare, quàm ipse sit amabilis, quia in eo esset defectus, cùm ergo natura sua sit simplicissima, & delectabilissima, sicuti in tanto gradu est intelligens, sicuti intelligibilis; patet ergo quod appetibilitas sequitur bonitatem, & bonitas est causa, quod res sit appetibilis. Verùm Sanctus Thomas p. p. quæst. 5. art. 6. diuidit bonum, in honestum, quod propter se appetitur, vt sunt virtutes; & delectabile, vt est quies existens in virtutibus; & in bonum vtile, quod ratione alterius expetitur, vt medicina quæ appetitur propter sanitatem. Diuus Augustinus diuisit bonum in bonum per essentiam, quale est Deus, & in bonum per participationem, quale est creatu-

Appetitus duplex.

Deus est maximè bonus.

Deus est intelligibilis vti intelligens.

ra: Ex his colligo primo, quòd bonum non est passio entis in illa significatione, vt ens dicitur de ente reali, & ente rationis, sed solum, prout ens dicitur de ente reali, vt docuit Arist. 6. Met. tex. 8. bonum, & malum sunt in rebus, & ideo erit passio entis, prout est ex parte rei, & sic conuertitur cum ipso ente, & non differt ab eo, secundùm rem, sed solummodo secundùm rationem significatam, vt scribit S. Thom. p. p. q. 5. ar. 3. & i. contra gen. c. 37. & de veritate, q. 21. art. 2. Colligo secundo, quòd de ratione boni sunt duo, alterum vt materiale, quod est esse rei, & alterum formale, quod est respectus, & ordo ad appetitum; vnde sicut verum respicit intellectum, sic bonum respicit appetitum, & per istum respectum distinguitur à quolibet alio transcendente. Colligo & tertio, quòd solus Deus est bonus per essentiam, idest non per participationem alterius, sicut solus est ens per essentiam, creaturæ verò sunt bonæ per participationem, quia dependent ab ipso Deo, licet possint creaturæ dici bonæ per essentiam, ea ratione qua hæc dictio, secundùm essentiam, denotat idem quod non per accidens, sed non prout ly secundùm essentiam, dicit independentiam. Colligo & postremo, Mathematica esse bona, ea ratione qua sunt entia, non autem esse bona, capiendo bonum pro existenti, & etiam ipsum ens prout existit: quia Mathematica formaliter loquendo per se non subsistunt, sed sunt abstracta à materia sensibili, non autem sunt, ita entia Metaphysicalia, quia existunt, vt docuit Caietanus p. p. q. 5. ar. 3. Materia quoque prima est simpliciter bona, non prout simpliciter dicit tale secundùm essentiam, sed quia sine addito est ordinata ad formam, & ratione illius ordinis, dicitur simpliciter bona, vt docet Ferrariensis 3. contra Gentiles, c. 20. Ex quibus patet quid sit bonum, & quid eius significata.

Bonum quomodo est passio entis.

Creatura sit bona per essentiam.

Materia est bona.

CAPITVLVM VIGESIMVMOCTAVVM.

De eo quod est dicitur Aliquid.

SVNT nonnulli docentes, Aliquid, & quid, esse synonima, & non differre ab inuicem, nisi vt ensis, & gladius, & vestis, & indumentum. Sed toto cœlo aberrare videntur, quandoquidem cùm forma sit illa quę dat esse rei, hinc, primum quod efficitur in rerum natura, est ipsum ens, quod imponitur ab esse datum à forma; & quia hoc esse sequitur indiuisio, hinc fit, vt secundum transcendens sit vnum; & quia hoc esse indiuisum est intelligibile, propterea tertium transcendens est verum; efficitur etiã hoc esse indiuisum, & intelligibile, vt sit appetibile, & sic nascitur quartum transcendens, quod est bonum: & quia Aliquid dicitur, quasi aliud quid, ex quo oritur quintum transcẽdens, quod dicitur Aliquid, de quo est præsens sermo. Vnde distinguuntur Aliquid, & quis, & quid, & aliud: nam hoc adiectiuum aliud, est neutri generis, & habet significationem in essentia, & diuersitatem in substantia. Hinc fit, quod Theologi non vtuntur hoc modo loquendi in diuinis, vt docet S. Thomas p. p. q. 31. art. 2. & 1. sent. dist. 24. q. 2. art. 2. videlicet, quod Filius est aliud à Patre, nec Spiritus sanctus est aliud à Patre, & Filio, per rationem dictam, quia neutrum genus, quod exprimitur per aliud est informe, & significatur essentia cõmunis, & quia Filius non est diuersus in essentia à Patre, propterea non est aliud à Patre, licet sit alius, & alia persona, & aliud suppositum. Aliquis verò est adiectiuum masculini generis, vnde dicitur aliquis, quasi alius quis, & hoc significat alietatẽ in supposito, propterea nec aliquis, nec aliud, est transcendens. Nec etiam ipsum quid potest esse transcendens, quia quid dicit quidditatem significatã per formam principaliter, adequatè verò per formam & materiam: quandoquidem tam forma, quàm materia sunt partes quidditatis, contra Auerroem, & hinc est, quòd per quid, intelligimus ipsum quidditatiuum, quod significatur per prædicatum essentiale, vel etiam quid dicit declaratiuũ, & indicatiuum alicuius rei: nam per quidditatem declaratur, & ostenditur quid sit res, puta animal rationale, quod est quid ipsius hominis, declarans, & ostendens ipsum hominem. Potest etiam ipsum quid sumi repræsentatiuè, & sic species intelligibilis, vel actus intelligendi, seu species expressa, quæ dicitur verbum sunt quid, quia repræsentant quidditatem, & substantiam rerum. Quid quoq; potest sumi specificatiuè, vt dixit Porphyrius c. de differentia, quod differentia specifica determinat genus, quod prędicatur in quid, vnde tam differentia specifica, vt determinans, dicit quid, quàm etiam ipsum genus determinatum,

Aliquid dicitur quasi aliud quid.

Aliquis quasi alius quis.

Quid, quomodo intelligitur.

terminatum, cùm sint idem in ipso homine. Potest adhuc, & ipsum quid, dici consequutiuè, vt passio quidditatis, nam ad ipsam quidditatem, puta animal rationale, sequitur passio, quod est ipsum risibile. Patet igitur quomodo quis, quid, & aliud, non possunt esse synonima, & nullum istorum est transcendens, sed aliquid, vt docuit S. Tho. in opusc. 42. cap. 2. Et est communis sententia Philosophorum, quòd aliquid est transcendens, quod conuertitur cum ipso ente, & significatum eius est esse diuisum ab alio: vnde quando aliqua duo sunt realiter idem, vnum per respectum ad alterum, non potest dici aliquid, propterea ista propositio, homo, vt distinctus ab animali rationali, est aliquid, est falsa, quia homo, & animal rationale non distinguuntur, sed sunt idem realiter; sic etiam potentia intellectiua comparata ipsi potentiç appetitiuç, secundùm illos qui dicunt intellectum, & voluntatem esse idem, non poterimus dicere, quod est aliquid, quia non distinguuntur realiter: secundùm verò ponẽtes intellectum, & voluntatem esse distincta entia, possumus dicere, quod est aliquid: & sicuti cętera transcendentia distinguuntur secundùm rationem conceptam ab ipso ente, sic etiam & ipsum aliquid, cùm ratio sua formalis distinguatur ab ipso ente, & à cęteris transcendentibus, propterea non est nugatio dicere, ens aliquid; sicuti neque est nugatio dicere, ens vnum, vel ens bonum, vel ens verum.

Passio quomodo dicit quid.

Ens est aliquid, non est nugatio.

Ex his colligo primo, quòd definitum non est Aliquid, respectu definitionis, quia definitum, & definitio sunt idem secundùm rem, & rationem: patet ex D. Tho. 7. Met. lect. 10. Sed ne decipiaris, attende, ꝙ definitio, & definitum possunt accipi dupliciter, Vno modo, quantum ad intentionem definitionis, & definiti, & sic definitio, & definitum distinguuntur ratione: Alio modo. quantum ad naturam ipsius quod quid erat esse, & sic ipsum quod quid est, distinguitur ratione ab eo cuius est. Potest etiam intelligi bifariam, vno modo accipiendo rationem ex parte ipsius ratiocinantis, siue concipientis, & sic ipsum quod quid est, & id cuius est, distinguuntur ratione: aliò modo accipiendo rationem pro definitione ex parte rei ratiocinabilis, quæ scilicet habet immediatum fundamentum in re, & hoc modo definitio & definitum, non distinguuntur ratione, idest definitione.

Deus & Deitas sunt idem.

Colligo ex his secundo, quòd Deitas non est aliquid respectu Dei, quia Deitas, & Deus sunt vnum, & idem realiter, & differunt solùm secundùm modum significandi ex parte intelligentis, & non ex parte rei intellectæ: vnde cùm modus significandi fundetur super modo intelligendi, Deus prædicatur de Deitate, & Deitas de Deo, vt vnanimiter omnes Theologi concedunt, quod Deus est sua Deitas.

Colligo ex his postremò, ꝙ humanitas potest dici aliquid respectu hominis, quia distinguuntur non solum secundùm modum significandi ex parte concipientis, sed etiam ex parte rei significatæ: quandoquidem humanitas excludit omnia accidentia *in sui significatione*, quæ possunt esse in ipso homine, & propterea etiam ipsa humanitas nõ prędicatur de homine, vt dicamus, quòd homo est humanitas; & sic etiam potuissemus concedere, quòd Gabriel comparatus suę Gabrielitati est aliquid, prout aliquid est transcendens: quia vt concedit S. Thom. in quolibetis, Gabriel, & Gabrielitas non sunt omnino idem, sed differunt secundùm rationem, & modum significandi, non solum ex parte concipientis, sed etiam ex parte rei significatę: propterea nõ est concedenda ista propositio, Gabriel est sua Gabrielitas, sicuti conceditur ista, Deus est sua Deitas. Ex quibus manifestè apparet quid sit aliquid, & quod eius significatum, vt est vnum ex transcendentibus.

Gabriel est Gabrielitas, est propositio falsa.

CAPITVLVM VIGESIMVMNONVM.

De vltimo transcendenti, quod dicitur res.

RES secundùm communem scribentium sententiam, potest dici dupliciter. Primo secundùm Grammaticos à ratus, rata, ratum; & quia ratum idem est quod firmum, & ideo res dicitur de entibus, quæ habent firmam entitatem, qualia sunt entia realia, vt lapis, lignum, & similia: Alio modo res dicitur & deriuari potest à reor, reris; & quia reor est verbum importans actum intellectus, & rationis, idcirco res dici potest etiam de entibus rationis, vt sunt secundę intentiones. Vt ergo res dicitur de entibus realibus, & de entibus rationis, diuersimodè est transcendens, & quia solus Deus benedictus habet esse firmum, & stabile, iuxta illud Boetij, Immobilisque

manens,

manens, dans cuncta moueri; idcirco ipse solus dicitur esse prima res, de qua dicitur hoc transcendens analogicè, sicuti & ens ipsum. Potest etiam & res ipsa considerari, secundùm proprietates, quas habet in propria natura, vt secundùm modum per quem fit apud animam, & tertio secundùm proprietatem communem, quæ inest ei, ab actibus animæ, qui sunt subijcere, prędicare, componere, & diuidere. Et secundùm hanc triplicem acceptionem contingit rem tripliciter nominari; Vno modo per nomen quod indicat existentiam congruentem naturæ suę, vt solemus dicere album, nigrum, quantum, & huiusmodi: Alio modo secundùm quod anima accipit eam per modum entis, & sic vocatur res: vnde illud propriè dicitur res, quod anima cogitat, vt existens in rerum natura. Tertio modo contingit nominari per intentiones secundas, sicut dicitur genus, species, subiectum, prædicatum: & quia sic hoc nomen res dicit medium inter nomen quod dicit purè formam naturæ, & nomen quod dicit formam intentionis, idcirco non tantùm essentiæ conuenit, sed etiam personis; quam ob causam in diuinis dicimus, tres res, esse tres personas, sed non tres essentias. Et huic significationi alludit ipsum nomen res, vt dicitur à reor, vt dictum est, quod dicit actum ex parte animę; Alio modo vt deriuatur ab hoc quod est ratus; dicit stabilitatem ex parte naturæ, & ex parte entitatis, & sic tres res dicuntur vna res summa, quæ est diuina essentia, vt docet Magister sent. dist. 25. 1. lib. sent. & ita tres res dicimus. Et easdem tres res, quę sunt tres personæ, dicimus esse vnam quandam summam rem, vt dicebat D. Aug. in lib. de doct. Christ. res quibus fruendum est, sunt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; & S. Tho. p. p. q. 39. art. 3. & 1. sent. dist. 42. q. 1. art. 2. & super Boetium de Trinitate, q. 1. ar. 4. dicit, quod hoc nomen res, est de transcendentibus: vnde secundùm quod pertinet ad relationem pluraliter prędicatur in diuinis, secundùm verò quod pertinet ad substantiam, singulariter prædicatur: & propterea dicitur, quod Trinitas diuinarum personarum, est quædam summa res vna, &c.

Solus Deus debet dici res prima.

Tres res sunt vna summa res.

Verum, quia Auicen. 2. Metaph. declarauit significationem rei per id de quo aliquid est enunciabile: vnde à posteriori docuit ipse, quia rebus accidit enunciabilitas quemadmodum respectus accidit nostro intellectui, siue sit respectus in actu, siue in aptitudine, & ideo hoc nomen res dicebat ipse esse multiplex, quandoquidem de chymera enunciatur quod est figmentum; & de vacuo, quod est locus non repletus corpore; & de Cęsare, qui fuit homo; & de Antichristo, quid potest esse; & de Deo glorioso, qui est summa res. Enunciabilitas quoque, dicitur de malis, & de falsis propositionibus: quando ergo dicitur, quòd vnaquęque res habet certitudinem propriam, quæ est eius quidditas, tunc esset quæstio de negationibus, & de priuationibus, & de modis rerum, & de entibus, quę sunt in anima, tum respectu intellectus, vt sunt intelligibilia, tum respectu voluntatis, quæ sunt voluntaria, & appetibilia, quomodo habent firmitatem & realitatem, an veluti res mobilis, vel vt res immobilis, sic etiam esset dubitatio de tempore, quod non habet esse, nisi anima existente; idcirco res potest considerari sicuti & ens, cum quo reciprocatur, & conuertitur, videlicet secundùm esse amplum, & latum, prout deriuatur vtroq; modo à reor, reris, & à ratus, rata, ratum, & secundùm quod propriè deriuatur ab vno istorum, & sic amplè, & minus amplè dici poterit.

Duplex est respectus, in actu, & in aptitudine.

Ex hoc colligo primo, quòd respectus derelictus in obiecto cognito per opus intellectus, aut volito per opus voluntatis, quod aliqui vocare solent relationem rationis, non potest dici res ab intrinseco, quia obiectum nominatur volitum, aut cognitum de nominatione extrinseca, accepta ab intentione in anima, aut volitione, non autem de nominatione intrinseca, à respectu existente in obiecto; non enim intellectus noster est vis emissiua, operando in eo, quod intellectus intelligit, cùm non operetur extra mittendo, sed intra; & sic etiam paries dicitur visus, respectu visibilitatis extrinsecè, non autem intrinsecè, vt docet Arist. 5. Metaph. cap. de relatiuis.

Denominatio duplex, intrinseca, & extrinseca.

Colligo & secundo, quòd quidditates in potentia obiectiua, non sunt res extra animam, sed potius sunt respectus derelicti per opus intellectus comparantis, quia potentia obiectiua non est in rerum natura, cùm non detur, nisi potentia actiua, & passiua, & ista entia existentia in potentia obiectiua, potius dicuntur esse in potentia actiua agentis, vel sunt possibilia logicè, quatenus possibile dicit non repugnantiam terminorum, sed non dicuntur res, & entia, quæ habent aliquam firmitatem, & existentiam.

Colligo & postremo, decem prędicamenta esse entia realia, loquendo primo intentionaliter, contra illos, qui asserunt prædicamenta pertinere ad ens rationis, nisi velint dicere, quòd prout dicunt ordinem terminorum subijcibilium, secundùm sub & supra

Prædicamenta sunt realia.

& secundo intentionaliter sint entia rationis, sed ipsi non habent hunc intellectum, quia dicunt prædicamenta non esse res ipsas, sed potius signa rerum: hinc non dantur prædicamenta naturalia, neque Metaphysicalia, sed tantum Logicalia, vt ipsi astruunt. Et tamen loquuntur hic contra Arist. 5. Met. vbi loquitur præcipuè de prædicamentis, & in antepredicamentis expressit ipsa singula per dictiones simplices, quæ sunt entia realia; licet differenter & Logicus, & Physicus, & Metaphysicus, consideret ista talia prædicamenta, quia Logicus sub modo prædicandi, & subijciendi, Physicus verò considerat sub modo sensibilitatis, siue mobilitatis, vel naturalitatis, secundum diuersam sententiam illorum, qui diuersimodè loquuntur de subiecto Philosophię naturalis, Metaphysicus verò considerat prout sunt entia abstracta ab omni materia. Ex his apparet quid sit res, vt est transcendens, & quod est eius significatum.

Prædicamenta considerantur à diuersis artificibus.

CAPITVLVM TRIGESIMVM.

Hic declaratur qualitas propositionum Theologicarum.

QVALITAS propositionum in Theologia est circa approbationem, & reprobationem ipsarum: nam propositio Theologica Catholica est illa, quę habetur mediatè, vel immediatè ex diuina reuelatione. Immediatè, sicuti scribitur Ioannis primo, Vnigenitus, qui est in sinu Patris enarrauit nobis, &c. Mediatè verò, vt est illa, quæ habetur 1. cap. ad Hebræos, Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè verò loquutus est in Filio. Propositio Catholica quoque dicitur illa, quæ non vni genti tantum, sed omnibus proponitur credenda, vt scribitur Matth. vltimo, Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. & ista propositio Catholica ex natura sui est immutabilis, & vera. Et per oppositum propositio hæretica est illa, quæ contrariatur propositioni Catholicæ desumptæ ex veteri, aut nouo testamento, vt si quis negaret istã, In principio creauit Deus cœlum & terram. Vel istam, quæ habetur 2. epist. Petri, cap. 1. Non enim voluntate humana allata est Prophetia. Aliqua dicitur propositio quoque, non hæretica, sed hæresim sapiens, & ista dicitur dogma peruersum, ex quo sequitur hæresis propriè dicta. Exempli gratia, si quis diceret, Omnis homo Cracouiæ existens, est in peccato mortali, ex hac sequitur, quòd infans nouiter baptizatus Cracouiæ sit in peccato mortali, quod est hæreticum dicere.

Propositio hæretica, quæ sit.

Propositio impertinens. Datur etiam aliqua propositio, quæ dicitur impertinens, & est illa, quæ licet non pertineat ad Fidem, tamen subijcitur authoritatibus Sanctorum; vt si quis diceret, quòd Ioseph sponsus B. Virginis fuit, vel non fuit mortuus tempore passionis Christi, hęc enim non pertinet ad Fidem: tamen est discrepantia inter Doctores Sanctos, quia B. Ambrosius super Lucam cap. 1. tenet, quòd non erat mortuus: sic etiam & Chrisostomus. Albertus tamen Magnus super Ioannem cap. 19. tenet ipsum fuisse mortuum, & ideo hæc propositio dicitur impertinens.

Propositio temeraria. Aliqua est propositio temeraria, & est illa, qua asseritur aliquid tanquam certum, quod nulla ratione, seu authoritate efficaciter probari possit, sicuti esset ista, Mundus finietur infra centum annos, quæ quidem licet vera esse possit, tamen asserere ipsam tanquam certam, est temerarium, quia de ipsa nec ratio efficax, neque authoritas alicuius Sancti Doctoris habetur.

Erronea. Datur etiam & propositio erronea, seu falsa, asserens errorem, & falsitatem, discedens à recta via, vt esset ista, Prima causa non est vigoris infiniti, quam si quis pertinaciter assereret, esset hereticus; si autem sine pertinacia, non incideret in heresim, vt dixit B. Augustinus lib. de Academicis, Errare potero, sed hæreticus non ero: quia licet omne hęreticum sit erroneum, & temerarium, non tamen è contrario, omnis propositio erronea, & temeraria est hæretica, vt docet B. Antoninus in 2. parte summæ, tit. 12. cap. 5.

Iniuriosa. Datur & propositio iniuriosa, seu contumeliosa, & est illa, quæ detrahit statui alicuius Fidelis, aut alicui notabili personę, seu Sancto; vt est ista, Lex Moysi, suis vmbris, & victimis, & terroribus fecit hypocritas: hæc enim aduersatur legi Mosaicæ, & ipsi Deo, qui huiusmodi vmbram, victimas, & ceremonias legis instituit, quæ ex sua institutione ad bonum inducebant, & veritatem figurabant.

Est pro-

Est propositio scandalosa, quæ male sonat, & est offensiua piarum aurium, cùm præbeat occasionem ruinæ auditoribus, & facilitatem cadendi in hæresim; vt si quis diceret absolutè, & simpliciter, Pater est maior Filio, non intelligendo secundùm naturam humanam, vt docet Fides Catholica, scandalizaret audientes, & incideret in hæresim Arrianam, quæ hanc propositionem docebat. *Scandalosa.*

Datur & propositio scismatica, siue seditiosa, quæ in ecclesia, vel in populo induceret diuisionem, & scisma: exempli gratia, si quis diceret, Malo Prælato, seu Regi non est obediendum; ista statim induceret scisma, & præsertim cùm contrarietur dictis Apostoli Petri 1. epist. canonica, cap. 2. Serui subditi estote in omni timore, dominis vestris, non tantum bonis, & modestis, sed etiam discolis, &c. *Scismatica.*

Datur & propositio impia, sicuti & propositio pia, pietas enim, vt scribit Apost. ad Titum cap. 3. est vtilis ad omnia, habet promissionem vitæ, quæ nunc est, & futuræ: vnde si quis negaret orandum esse pro animabus existentibus in Purgatorio, vel indulgentias Papę pro illis concessas non prodesse, diceretur propositio impia, & cum pertinacia esset hęretica. Nam hęresis est error in intellectu, cum pertinacia in voluntate, siue dogma falsum contrarium Fidei orthodoxæ, vel opinio, siue assertio contraria veritati in eo qui Christianam Fidem professus est. *Impia.*

Datur & propositio blasphema à blasphemia, quę est irrogatio iniurię Deo factæ, attribuendo ei, quod non conuenit, vel remouendo ab eo, quod ei conuenit, aut attribuendo creaturę, quod est proprium Dei; vt si quis diceret, hominem propria authoritate remittere peccata, vel Deum non esse misericordem, aut iustum; hę enim propositiones sunt blasphemę. *Blasphema.*

Datur propositio dubia, seu ambigua, vt si quis diceret, Relatio, & persona distinguuntur: hęc enim potest habere duplicem sensum: primum quod distinguantur distinctione formali, seu rationis ratiocinatæ, & sic est vera propositio: Alio modo quod distinguantur distinctione reali, quemadmodum distinguitur paternitas à filiatione, & sic habet sensum falsum: vnde interrogandus est ille, qui protulit propositionem istam, quia semper quando est aliqua ambiguitas, & obscuritas in propositione scripta in aliquo libro, recurrendum est ad scribentem, & docentem illum librum, sic etiam quando est prolata ab aliquo actu loquente inter aliquos, recurrendum est ad intentionem ipsius loquentis: nam etsi circa propositionem præpositam aliqui diuersimodè opinati sint, vt scribit S. Thomas p. p. q. 40. art. 1. Quidam enim dixerunt, relationes neque esse personas, neque in personis, & ideo distinguũtur persona & relatio distinctione reali. Tamen rei veritas, quam tenent omnes Catholici est, quod relationes personales sunt idem cum ipsis personis identitate reali, distinguuntur tantum distinctione formali, vt dictum est, ea ratione, qua abstractum est idem cum concreto: sunt enim ipsæ personæ relationes subsistentes: vnde dicitur, quòd Pater est paternitas, & è contra, paternitas est ipse Pater, & Filius est filiatio, & è contra, & similiter de Spiritu sancto, & processione. Ex quibus omnibus deducit Melchior Cano Episcopus Canariensis lib. 12. de locis Theologicis, c. 7. septem esse gradus propositionum Theologicarum, Catholicarum. Primus earum est, quæ expresse habentur in sacris libris Canonicis. Secundus verò earum, quæ ex istis per certam & necessariam consequentiam deducuntur, & fiunt. Tertius est earum, quæ verbotenus Christus Dominus noster Apostolis, & Apostoli Ecclesiæ tradiderũt. Quartus earum est, quæ in Concilijs vniuersalibus sunt definitæ. Quintus earum, quæ à Sede Apostolica sunt propositæ fidelibus ad credendum. Sextus illarum, quæ de Fide, & refutatione hæresum Sancti Doctores vna mente, vnaq; voce docuerunt. Postremus verò, & septimus est illarum, quæ ex 3. 4. 5. & 6. generibus, firma, & necessaria consequentia deriuantur. Et sic per oppositum septem sunt genera propositionum hæreticarum, quæ septem illis generibus propositionum Fidei repugnant. Et quia apud Philosophos, & authores Latinos communiter in vsu est, sua dogmata appellare sectas, vel hæreses, vt Stoicorum sectam, Peripateticorum hæresim, tamen dogma Christianorum non debet dici secta, vel hæresis, quia dogma Christianum non est inuentum humanum, nec iudicio humano electum est, quid credere debeatur, & quid non, sed determinatur ab Ecclesia, quę authoritate Dei proponit omni creaturæ quid sit credendum: & propterea ille, qui est baptizatus, & professus est Fidem Christianam, & ab hac vniuersali doctrina se separat, propriè Hęreticus dici debet, quia vult sequi cerebrum suum, & voluntatem, eligendo quid credendum sit sibi, & quid non, vt dixit Tertullianus in libro de pręscriptione Hęreticorum; iam verò est in

Dubia.

Relatio est idẽ cum persona.

Septẽ sunt gradus propositionum Cathol.

Propositionũ Hæreticarum genera quot sunt.

Quis dicẽdus est Hæreticus.

vsu

vsu Catholicorum vocare hæresim, siue Hæreticos, propter diuisionem factam à Fide Catholica Ecclesię: vnde Hæresis, vt dictum est supra, est vitium non in intellectu absolutè, sed in eo, vt moto à voluntate eligente: & ideo nulla propositio, aut sententia propriè loquendo potest dici secundùm se hæretica, sed solum vt denominatur à tali adhęsione ad ipsam; quandoquidem vna & eadem propositio, Verbi gratia, mortui non resurgent, potest pertinere ad omnes species infidelitatis, oportet quod nullam illarum secundùm se sibi vendicet; nam sententia dicta ab Hæretico hæretica denominatur, à Iudęo perfida, & à Pagano, Gentilis: vnde propositiones ipsæ secundùm se sunt contrarię Fidei, sic vocandę sunt, quando contrariantur articulis Fidei, vel sacrę Scripturę, aut determinationi Ecclesię de Fide. Et istæ distinguendę sunt, quia quędam sunt contrarię Fidei secundùm se, & quo ad nos, quarum scilicet contrarietas ad Fidem est manifesta nobis; quędam secundùm se tantum, quę scilicet contrarię sunt propositionibus veris pertinentibus ad Fidem, sed earum contrarietas non est nobis manifesta, quia Ecclesia non determinauit; sicut ista propositio, Spiritus sanctus non procedit à Filio, secundùm se est contra Fidei, quia contrariatur suę contradictorię pertinenti ad Fidem, sed quando vertebatur inter ipsos fideles in dubium, erat contraria secundùm se tantum; postquam autem patefacta est per determinationem Ecclesię, est contraria Fidei secundùm se, & quoad nos, & sibi assensum pertinacem præstantem, post ipsius Euangelicam professionem in specie hæresis reponit. Et ex his dissoluitur illa difficultas de hæretico mentali; an sit verè hæreticus, quia est hæreticus occultus: nam occultũ duplex esse potest, quoddam per se, & quoddam per accidẽs. Occultum per se est, quod ex sua ratione sibi vendicat non subesse cognitioni sensitiuæ, à qua incipit humana cognitio, secundùm quam Ecclesia iudicat: occultum verò per accidens est, quod licet sensui subiaceat, testem tamen, vel testes non habet. Actus quoque interior dupliciter exerceri potest. Primo solus, vt cùm quis vult facere malum aliquod, vel odio habet aliquem, vel discredit solum in corde suo; secundo potest exerceri vt causa commissionis, vel omissionis exterioris, vt cùm quis ex odio facit, vel omittit facere aliquid extra, siue illud extra sit loqutio, siue operatio quæcunque: vnde licet occultissima per accidens, vt actus interiores, prout sunt rationes exteriorum commissionum, vel omissionum, subiaceant Ecclesię iudicio, & censuris, occulta tamen per se, vt sunt actus interiores, solum ab Ecclesiæ iudicio, & censuris aliena sunt, quia homo videt, quæ patent, Deus autem intuetur cor. Hinc est, quòd Hæreticus perfectissimus in solo corde, non est excommunicatus, nec est reus aliarum pœnarum Iuris humani: si tamen peccatum hæresis non ratione censuræ annexæ, vt in processu annuali Romanæ Curiæ reseruatur, sed si absolutè esset reseruatum Papæ, vel Episcopo, non posset talis Hæreticus ab inferiori absolui, quoniam reseruatio non est pœna, sed negatio, vel ademptio iurisdictionis, qua superior potest vti in quantumcunque occultis. Hinc etiam est, quòd si Hæreticus in corde, exteriori aliquo opere, vel verbo peccatum suum exequatur, seu dicat, statim est excommunicatus, etiam si nullus audiat, videat, aut quomodolibet percipiat, nisi ipsemet, quia tunc peccatum hęresis non est occultum Ecclesiæ, nisi per accidens, per se enim habet, vnde possit ab Ecclesia sciri, quia est peccatum exterius, & propterea oportet Confessores inquirere, cùm pœnitentes tepidi in Fide, qui victi tentationibus consentiunt contra Fidem occurrunt, an etiam secum solus ore protulerit propositiones hæreticas, quando in illis erat, vel non. Patet quoque ex his, quæ sint propositiones Catholicæ, quæue Hęreticæ, & quis Hęreticus mentalis, & occultus, ac manifestus, &c. de quibus omnibus lege Concilium Trid. sess. 24. cap. 6. quod incipit, Liceat Episcopis, in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto peruenientibus, excepta ea quę oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicę reseruatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientię gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum Vicarijs sit permissum, &c. Et ex hoc habes, quòd, licet Papa coarctare possit aliorum iurisdictionem, reseruando sibi aliqua peccata absoluenda, nunquam tamen Papa, vel Prælatus prudens debet sibi reseruare peccata interiora subditorum, quia est inutilis talis reseruatio, cùm non possit Prælatus inde fieri cautior in gubernatione gregis sibi commissi, &c.

Vna met propositio varijs nominibus nominatur.

Hæreticus mentalis quis sit.

Actus interior dupliciter potest exerceri.

Reseruatio in reseruationis non est pœna.

Decretum Conc. Triden. de absolutione Hæret.

CAPI-

CAPITVLVM TRIGESIMVMPRIMVM.

Hic ponuntur modi, quibus Theologus vtitur ad probandas suas veritates.

PRIMVS & proprius, ac necessarius modus, seu via, qua Theologus vtitur ad probandas suas propositiones, est authoritas sacræ Scripturæ, quæ continetur in libris canonicis. Et hæc methodus arguendi ex authoritate est maximè propria Theologo, eò quod principia Theologiæ per reuelationem habentur, & sic oportet, quod credatur authoritati eorum quibus reuelatio facta est. Nec hoc derogat dignitati Theologi; nam etsi Boetius voluerit lib. definitionum, quod locus ab authoritate est infirmissimus, hoc quod iste grauissimus vir dicit, intelligi debet de loco ab authoritate, quæ fundatur super ratione humana, hic enim est infirmissimus; tamen locus ille, qui super diuina reuelatione fundatur, est efficacissimus, vt scribit Sanctus Thomas prima parte, quæst. 1. artic. 8. ad secundum argumentum, afferens, Theologum vti authoritatibus Canonicæ Scripturæ, propriè ex necessitate argumentando, quia Fides nostra innititur reuelationi Apostolis, & Prophetis factæ, qui canonicos libros scripserunt: vnde Augustinus in epistola ad Hieronymum, dicit, Solis autem scripturarum libris, qui Canonici appellantur, didici hunc honorem deferre, vt nullum authorem eorum in scribendo errasse aliquid, firmissimè credam, alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quod ipsi ita senserunt, vel scripserunt. Et si quæris, qui sunt libri Canonici? Dicas eos esse, quos Spiritu sancto dictante sacri Authores exceperunt, & numerantur sess. 4. Concilij Tridentini; videlicet quinque libri Moysis veteris testamenti, idest Genesis, Exodus, Leuiticus, Numeri, Deuteronomium, Iosue, Iudicum, Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Neemias, Thobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Dauidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel; duodecim Prophetæ minores, idest, Osea, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Ægeus, Zacharias, Malachias; duo Machabeorum, primus & secundus; Testamenti noui quatuor Euangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Ioannem; Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli, ad Roman. duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippen. ad Colossen. duæ ad Thessalonicen. duæ ad Timothæum, ad Titum, ad Philemon. ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli vna, Iudæ Apostoli vna, & Apocalypsis Ioannis Apostoli. Argumentum ergo desumptum ab authoritate horum librorum, est necessarium in sacra Theologia, Author enim horum librorum non homo, sed Deus est, Dominus enim narrabit in scripturis populorum, & Principum horum, qui fuerunt in ea, testatur Propheta, &c.

Modus arguendi in Theologia.

Locus ab authoritate diuina est efficacissimus.

Libri canonici qui sunt.

Argumentum necessarium in Theologia quod est.

Secundus modus, qui etiam dicitur locus. i. sedes argumenti, vel id, vnde ad quæstionem propositum conueniens trahitur argumentum, est authoritas traditionum Christi, & Apostolorum, quę quoniam scriptæ non sunt, sed de aure ad aurem ad nos peruenerunt, viuę vocis oracula rectissimè nuncupantur. Et hic etiam modus est maximè necessarius in Theologia; multa enim pertinent ad Christianorum doctrinam, & Fidem, quæ nec apertè, nec obscurè in sacris literis continentur. Inter alia adsunt verba quibus in Calicis consecratione vtimur, quibusque Christum Dominum vsum esse profitemur; scilicet mysterium Fidei, & æterni testamenti, & eleuatis oculis ad Deum Patrem suum; & illa sententia, beatius est dare, quàm accipere; & quod Imagines sunt venerandæ; & quod sacerdotes debent simul cum corpore assumere sanguinem, & quod Sacramentum Confirmationis, & Ordinis non sunt iteranda, & nonnulla alia, quæ non sunt scripta in canonicis libris, sed hęc omnia per traditionem habita sunt, quod patet ex verbis Apost. 1. Corinth. 11. Cętera cùm venero disponam. De eis etiam intelligitur illud, Deus auribus nostris audiuimus, & Patres nostri annunciauerunt nobis, & cętera quę sequuntur.

Traditiones Christi.

Tertius

Ecclesia est sponsa Christi.

Tertius modus, seu locus quo vtitur Theologus, est authoritas Ecclesiæ, quę est sponsa Christi per fidem, iuxta illud; Desponsabo te mihi in fidem, scilicet in sempiternum, vt Christus Dominus verbis suis promisit Apostolis, eorumq; successoribus, vt scriptum est Matth. vltimo: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsq; in sempiternum: propterea quicquid Ecclesia, tanquam Fidei dogma tenet, verum est, nec quicquam falsum, quod illa, aut credit, aut docet esse credendum: quia cùm sit corpus Christi, vt scribit Apost. ad Ephes. 5. ab ipso Christo, veluti à suo legitimo capite mouetur & regitur, & sic error eius in ipsum, tanquam in authorem referretur, regitur quoque à Spiritu sancto, qui est Spiritus veritatis, iuxta illud Ioan. 16. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, & ideo errare non potest: ob id B. August. in epist. contra fundamentum, dicebat, Euangelio non crederem, nisi Ecclesia me admoneret.

Concilia debent confirmari à Romano Pont.

Quartus locus quo Theologus vtitur, est authoritas Conciliorum generalium, in quibus residet authoritas Catholicæ Ecclesiæ: hæc enim Concilia confirmata authoritate Romani Pontificis, faciunt certam fidem dogmatum Catholicorum, propterea dixit Christus Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Et Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisęi, quæcunque dixerint vobis seruate & facite: propterea Ecclesia Catholica decreta talium Conciliorum semper accipit, & hæreticos habitos ab ipsis, tales etiam sine dubio existimauit. Concilia verò prouincialia non confirmata à Romano Pontifice, possunt errare in Fide, idcirco ex eis non sumitur argumentum necessarium, sed tantum ab illis Conciliis (etiam prouincialibus) quæ authoritate Summi Pontificis confirmata sunt. Probabile tamen argumentum sumi potest, ad suadenda dogmata Fidei, quod patet ex cap. ad abolendam de hęreticis, vbi à Lucio tertio, vinculo perpetui anathematis innodantur hi, quos vel Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diocœses suas cum Concilio Clericorum, vel etiam si oportuerit vicinorum Episcoporum, hæreticos iudicauerint, &c.

Summi Pontifices habent eandem potestatem.

Quintus modus probandi veritates Theologicas, est authoritas Ecclesię Romanę, quę diuino priuilegio, & est, & vocatur Apostolica, in ea enim soliditas & authoritas Petri collocata est: de ipso enim Petro, eiusq; successoribus intelligenda sunt verba Saluatoris nostri, Luc. 22. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos: vnde defuncto Petro, diuino iure omnes illi qui ei succedunt, habent eandem authoritatem, & potestatem, cùm sint Pastores vniuersalis Ecclesiæ, & ad ipsos referri debent omnes causæ maiores, ac difficiliores quæstiones, vt Anacletus epist. prima de oppressione Episcoporum, asserit: vnde in Nicena Synodo definitum est, non debere præter sententiam Romani Pontificis vllo modo aut Concilia celebrari, aut Episcopos damnari; cui maiora Ecclesiarum negotia ab ipso Domino speciali priuilegio tradita sunt; & Concil. Trid. sess. 25. cap. de delectu ciborum, vocat Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Matrem & Magistram, &c.

Argumentum probabile in Theologia quod est.

Sextus est, authoritas Sanctorum Patrum, hic enim modus est proprius Theologo ad probandas suas veritates, licet sit probabilis, vt notat S. Thomas p. p. q. 1. art. 8. in resp. ad secundum, dicens, quòd vti authoritatibus Sanctorum Ecclesiæ licet nobis, & tunc ex propriis procedimus, sed probabiliter. In expositione verò sacrarum literarum communis omnium Sanctorum veterum opinio, & Dionysii, & Origenis, & Athanasii, Clementis Alexandrini, Gregorii Nazianzeni, & cæterorum Grecorum, & Latinorum, puta Augustini, Ambrosii, Gregorii, & Hieronymi, &c. facit certissimum argumentum ad Theologicas assertiones corroborandas, quia consensus vniformis istorum, existimandus est sensus Spiritus sancti; in quæstionibus autem ad Fidem non pertinentibus, intelligendum est, quod probabile argumentum inducit, &c.

Musica, & Aritmetica quomodo se habent.

Septimus est, authoritas Theologorum Scholasticorũ, quibus adiunguntur iuris Pontificii periti: nam doctrina istorum, quasi ex altera parte correspondet Theologiæ Scholasticę. Munus proprium huius loci est, quę in sacris literis & Apostolorum traditionibus addita continentur ea in lucem ponere; colligunt enim Theologi ex principiis Fidei à Deo reuelatis, conclusiones suas, atque in principiis ipsis implicitas per argumentationes rationibus naturalibus consentaneas explicant: quemadmodum Musica facultas, ex his quę sunt in Arithmetica posita, ea ratiocinando connectit, quæ sunt in numeris sonantibus, aut consona, aut dissona: ita Theologi ex his quę Fides posuit, ea quę sunt consonantia rationibus naturalibus conficiunt de Deo, rebusq; diuinis. Scholastici quoque Christi, Ecclesięq; doctrinam, quantum fieri potest ex disciplinis humanis, aut illustrare,

aut

aut conformare nituntur, vt docuit Aug.lib.2.de doct.Christ.cap.4. argentea & aurea, cęteramque Ægyptiorum suppellectilem, etiam si accommodatam acceperimus, iure quasi nostram facere possumus, & Infidelium vsus vendicare,&c.

Octauus modus est,ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inuentas manifestatur: hac enim naturali ratione vtuntur Theologi ad destruendas positiones oppositas conclusionibus, aut principijs Theologalibus, aut ad soluendas rationes contra Theologalia factas, aut ad stabilienda ea de quibus Theologia secundario est, vt Deum esse vnum,& immortalem, primam causam, actum purum,&c. Propterea Sancti Doctores, qui speculatino ingenio præditi fuerunt, vt S.Thomas, & D.Bonauentura, & consimiles,cupientes subuenire defectui humani intellectus, conati sunt adinuenire plurimas rationes naturales, vt cognoscant homines, quod ea quæ sunt Fidei non contrariantur naturalibus rationibus, & vt Fideles quoque iudicent, Theologiam nostram procedere ex his rationibus veluti ex proprijs,& quandoque necessarijs,ministerialiter tamen,non ratione sui, sed propter intellectus nostri infirmitatem, vt docet S.Tho.p.p. q.1.art.5. quod Theologia accipit à Physicis disciplinis, non quod ex necessitate eis indigeat, sed ad maiorem manifestationem eorum, quæ in ea traduntur: vnde vtitur eis, tanquam inferioribus,& ancillis, sicut Architectonicæ vtuntur subministrantibus,vt ciuilis militari, & hoc ipsum, quod sic vtitur eis, non est propter defectum, vel insufficientiam eius, sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his, quę per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, facilius manuducitur in ea, quę supra rationem sunt, & in Theologia traduntur.

Quæ sunt illa de quibus Theologia est secundario.

Nonus,est authoritas Philosophorum,qui naturam ducem sequuntur,in quibus connumerantur Iurisconsulti,qui & ipsi profitentur verā Philosophiam, istorum enim omnium vnus idemq; consensus certā fidem facit,eorum quę naturali lumine cognoscuntur: vnde Arist.lib.2.de cœlo,dicebat,veteres,& maiorum maximè nostrorū sententias veras esse: si ergo in omni disciplina & arte, oportet addiscentem credere,necessarium est habere fidem professoribus concurrentibus in eandem sententiam. Vtuntur ergo sacri Theologi authoritatibus Philosophorum, vbi per rationem naturalem veritatem cognoscere potuerunt,vt habemus exemplum de Paulo Apostolo,qui vt scribitur in Actis Apost.c.17. qui contra Athenien.vsus est testimonio Arati Poetæ, Genus Dei sumus, vt quidam vestrorum Poetarum dixerunt, si ergo genus Dei sumus, non debemus æstimare auro, aut argento, aut lapidi sculpturæ artis, & cogitationis hominis, diuinum esse simile, &c.

Iurisconsulti profitentur veram Philosophiam.

Decimus & vltimus modus, est authoritas humanæ Historiæ, siue per authores fide dignos scriptę, siue de gente in gentem traditæ, non superstitiosè, atque in aliorum gratiam,sed graui constantiq; ratione.Nam & si nullus Historicus præter Authores Sacros, certus esse possit, idest idoneus ad faciendam certam fidem in Theologia, Historici tamen graues,ac fide digni, quales nonnulli fuerunt,& in Ecclesiasticis, & in secularibus, probabile argumentum faciunt in Theologia, tum ad ea quæ sunt corroboranda, tum ad falsas aduersariorum opiniones repellendas.Et quando omnes probati,& graues Historici in eandem rem gestam concurrunt, certum argumentum adducunt ad corroborandas Theologicas veritates.

Historia fide digna, facit probabile argumentum in Theologia.

Patet ergo decem esse modos, seu locos, ac sedes quibus Theologi vtuntur ad probandas suas veritates: quorum septem propriè spectant ad Theologiam, tres verò postremi,tanquam extranei,& probabiles, vt idem S.Tho.scripsit p.p.q.1.art.8. Et omnes ferè Patres vsi sunt his modis, probandi veritates Theologicas, præsertim August. de doctrina Christ.lib.2.cap.3.loquens nominatim de Philosophia dicit, Philosophi autem qui vocantur,si qua fortè vera,& Fidei nostræ accommoda dixerunt, maximè Platonici non solum formidanda non sunt, sed ab eis etiam, tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda. Et Hieronymus in Epist.ad magnum Oratorem scribens,ait, Si quis artem nouerit Grammaticam, vel Dialecticam, vt rectè loquendi rationem habeat, & inter falsa & vera diiudicet,non improbamus. Et Theodoretus libro 2.de Fide, cap.3. proclamat, Credite vestris saltem Philosophis, (ò amici,) qui vos præuia quadam traditione disponunt, atque ad nostra percipienda erudiunt. Sic & Beda in expositione primi Reg.Boetius lib.de Trin.Clemens Alex.lib.strom. Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Dionysius Areopagita, vt cęteros relinquam, pręsertim Scholasticos, qui nedum his locis vsi sunt ad probandas veritates Theologicas,sed etiam aduersarios varijs vulneribus confoderunt, &c.

Grammatica & Rethorica non improbatur à Theologo.

K CAPI-

CAPITVLVM TRIGESIMVMSECVNDVM.

Hic exprimuntur modi, quibus Theologus vti potest ad soluenda argumenta contra ipsum proposita.

QVIA Theologus contra tria genera personarum disputationem habere potest, quorum primum, est natio Iudæorum, qui acceptant Vetus Testamentum, & aduersus istos necessarijs argumentis vti poterit: Secundum genus personarum est Hereticorum, qui recipiunt Nouum, & Vetus Testamentum, & aduersus istos etiam potest vti necessarijs argumentationibus, quia ex vno articulo ab eis cõcesso poterit alium probare, vt fecit Apostolus 1. ad Cor. cap. 15. ex resurrectione Christi ab eis concessa, probauit communem resurrectionem, arguendo sic; Si Christus resurrexit, ergo & nos resurgemus: nunquam tamen Theologus probat sua principia, quę sunt articuli Fidei, sed ipsa supponit, tanquam verissima accepta ab ipso Deo mediatè, vel immediatè, quemadmodum etiam cęteræ scientiæ faciunt, præsertim subalternatæ, quę non probant sua principia esse, sed supponunt ea esse vera, licet Theologia cùm sit maximè sapientia, inter omnes sapientias humanas, non quidem in aliquo genere tantum, sed simpliciter, vt scribitur Deuteronom. 4. Hęc est nostra sapientia, & intellectus coram populis, non arguat ad sua principia, sed ad conclusiones ex principijs, disputat tamen contra negantes ipsa', si aliquid ex eis illi concedunt. Contra verò totaliter negantes, soluit eorum rationes, quemadmodum Metaphysicus agere solet 4. Metaphysic. contra Prothagoram, Eraclitum, & cæteros antiquos negantes principia Metaphysicæ. Tertium genus personarum sunt Gentiles, & Pagani, qui non acceptant neque Vetus, neque Nouum Testamentum, & aduersus istos non potest Theologus vti argumentis necessarijs, sed tantum rationibus naturalibus, quibus & ipsi coguntur assentire: & hinc est quòd Theologus de necessitate debet habere cognitionem rerum naturalium, si aduersus istos disputare præsumat, & eò magis, quia ex meditatione creaturarum admiramur diuinam sapientiam, quia ea quæ fiunt per artem, sunt manifestatiua ipsius artis, quia iam facta sunt ad similitudinem artis: & quia Deus benedictus sua sapientia produxit res naturales, & creaturas omnes, vt dixit Propheta: Omnia in sapientia fecisti Domine: idcirco ex consideratione istarum colligere possumus diuinam sapientiam, vt ipsemet Propheta alibi dicebat, Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis: namq; consideratio creaturarum, ducit ipsos considerantes, in admirationem altissimę Dei virtutis, & propterea parit reuerentiam Dei in cordibus hominum: semper enim virtus facientis eminentior intelligitur in rebus factis. Et ex hac reuerentia, & admiratione Dei procedit quidam timor reuerentialis, vt scripsit Hieremias 10. Magnum est nomen tuũ in fortitudine, & quis non timebit te ò Rex gentium? Consideratio etiam creaturarum ducit in amorem diuinæ bonitatis, vt scripsit etiam Propheta, Delectasti me Domine in factura tua: & est necessaria ad excludendos errores, qui oriuntur circa creaturas ipsas, & ipsum Deum. Sed diuersimodè Theologus, & Philosophi considerant creaturas: nam Theologus considerat ipsas, quatenus in eis resultat quædam similitudo Dei, & ducunt in cognitionem eius, vt est quædam causa efficiens, finalis, & exemplaris: Philosophi verò considerant ipsas secundùm earum proprietates, & propterea secundùm diuersa genera ipsarum constituuntur diuersæ partes Philosophiæ; vnde Philosophus considerat ignem, prout ei conuenit ferri sursum, & sic graue, vt conuenit ei ferri deorsum, sed Theologus considerat tam ignem, quàm graue, cæterasq; creaturas, prout in eis apparet vestigium, similitudo, & imago Dei, & prout sunt ipsius Dei, & creantur, & conseruantur à Deo, necnon & ad ipsum referuntur. Et ex ipsis cognitis soluit aliquas rationes, quas Philosophi adducunt contra Fidem. Nec est imputandum insufficiētię ipsius Theologi, si prætermittit aliquas proprietates creaturarum, vt puta figuram cœli, qualitatem motus, passiones linearum, & magnitudinum, quas considerat Geometra, quia non habet ipse Theologus considerare, nisi ea quæ spectant ad suum propositũ, & propterea diuerso ordine procedit Philosophus, & Theologus in consideratione sua. Philosophus enim primo considerat de creaturis: secundo de Deo: Theologus verò opposito modo, quia

Theologus nõ probat sua principia, sed supponit.

Theologus quare tenetur scire res naturales.

Timor reuerentialis ex quo causatur.

Philosophus, & Theologus diuersimodè considerãt res naturales.

quia sic facilius potest dissoluere argumenta, quæ ipse Philosophus poterit adducere contra Fidem, quæ innititur veritati infallibili. Et licet non sciat soluere omnes rationes, quas adducere solent Philosophi contra Fidem, scit tamen omnes esse solubiles: in actu enim exercito non quilibet Theologus hoc agere potest, sed aliqui tantum, vt fuit S. Thomas, qui in libris contra Gentiles, in actu exercito dissoluit rationes Philosophorum, quæ contra Fidem fieri solent, sic etiam D. Bonauentura, Magnus Albertus, Alexander Alensis, & cæteri Theologi, qui speculatiuo ingenio præditi fuerunt, fecerunt in libris sententiarum, qui duplici via dissoluerunt argumenta Philosophorum.

Theologus scit omnes rationes sibi aduersas, esse solubiles.

Docet Theologus Deum esse trinum, & vnum. Arguunt contra hoc Philosophi, Omnis vna res numero, est vna personaliter, & hypostaticè, sed Deus per vos Theologos est vna res numero, ergo Deus erit etiam vna res personaliter, & hypostaticè. Respondent Theologi, negando maiorem, afferendo instantiã, quia Deus est trinus, & vnus. Et hęc solutio est ex creditis, non enim sciunt Deum esse trinum, & vnum, nisi per reuelationem, & per Fidem, tamen istud argumentum est solubile à Theologo. Potest etiam & secunda via vti ipse Theologus, dissoluendo hoc argumentum ex propositionibus scitis, quo ad hoc, puta glosando maiorem, dicendo, ꝙ omnis res vna numero est vna personaliter in rebus finitis, & dependentibus à Deo, non autem in re infinita, quæ est ipsemet Deus; non quod Theologus sciat demonstratiuè eius contradictoriam, scilicet quod res Infinita sit plures hypostaticè, sed bene scit negatiuè, quia ipsi Philosophi nullum medium demonstratiuũ, & efficax habent ad probandam illam: & hoc scire dicitur negatiuè, quia nullo medio demonstratiuo cogitur intellectus. Et hic est vnus modus soluendi argumenta Philosophorum ex scitis quo ad hoc, præter illum, qui erat ex creditis, & reuelatis in Theologia.

Theologus scit negatiuè; aliqua.

Est & alius modus dissoluendi argumenta Philosophorum; scilicet ex scitis simpliciter, vt si aliquis Philosophorum dubitet circa Sacramentum Altaris, arguendo sic, Accidentis esse, est inesse subiecto suo, sed in Sacramento Altaris videmus accidentia inhęrere, puta albedinem, & saporem, & cætera accidentia, quæ dicuntur esse ipsius substantiæ panis, igitur in illo Sacramento adest substantia panis, & vini, quę sunt propria subiecta illorum accidentium, ex consequenti non est ibi corpus Christi, vt dicit Theologus: hoc enim dissoluere potest Theologus ex scitis simpliciter, distinguendo primam propositionem de inhærentia accidentis, quæ est duplex, altera actualis, altera verò aptitudinalis, vt disputant etiam Metaphysici 7. Metaphys. & quod non est necessarium, vt accidens actualiter inhæreat subiecto, sufficit autem vt inhæreat aptitudinaliter: & sic dissoluit S. Thomas hoc argumentum 3. p. q. 77. art. 1. & hoc est necessarium, quia effectus magis dependet à causa prima, quàm à causa secunda, Deus autem, qui est prima causa substantiæ, & accidentis, propter suam infinitam virtutem, potest conseruare accidens in esse, sicut per propriam causam, subtracta substantia, per quam conseruabatur in esse per causam secundam, sicut etiam alios effectus naturalium causarum potest producere, sine naturalibus causis, sicut humanum corpus formauit in vtero Virginis, sine virili semine: & propterea definitio accidentis nõ corrumpitur, quia sufficit vt aptitudinaliter inhęreat. Et sic Theologus dissoluit etiam argumenta Philosophorum, non tanquam ex extraneis à sua scientia, sed tanquam ex proprijs ministerialiter tamen, quia vtitur omnibus Physicis disciplinis, tanquam suis seruis, & ancillis, & inferioribus.

Inhærentia accidentis est duplex.

Omnes scientiæ seruiunt Theologiæ.

Si quis etiam Philosophus argueret contra mysterium diuinæ generationis, dicendo, Vos Theologi ponitis Patrem generare sibi Filium æqualem, cur ergo Filius cùm sit perfectus sicuti & Pater, non generat? cùm perfectum sit vnumquodque, quando generat tale, quale ipsum est: & hoc argumentum quoque fieri poterit de Spiritu sancto. Sed respondent Theólogi, vt docet D. Thomas p. p. q. 42. art. 6. quòd Filius non generat, non quia non potest, sed quia non oportet, quia generatio significat relationem in diuinis, in quibus est eadem essentia, quæ in Patre est paternitas, & in Filio est filiatio, & sic etiam est eadem potentia, quà Pater generat, & qua Filius generatur, quia multiplicatio genitorũ est ex materia, cùm igitur Filius sit immaterialis, sicuti & Spiritus sanctus, non est necesse vt multiplicentur Filij, aut Spiritus sancti in diuinis. Hoc etiam modo dissoluunt Theologi argumẽta, quę fiunt circa mysterium Incarnationis Dominicæ, quia Illa, quę distant in infinitum, dicunt Philosophi, coniungi non possunt, sed diuina natura, & humana distant in infinitũ, quomodo ergo sunt coniuncta in hoc mysterio? Et respondent Theologi, vt docet S. Thom. 3. p. q. 1. art. 1. quòd hoc non conuenit humanę naturę, secundùm conditionem suæ naturæ, sed conuenit Deo, secundùm infinitam excellentiam

In Deo cur non sunt plures filij.

Finitũ & infinitum quomodo iunguntur. suæ bonitatis; vnde licet finitum, & infinitum coniungi non possint per potentiam finitam, coniunguntur tamen per potentiam infinitam ipsius Dei Opt.Max.

CAPITVLVM TRIGESIMVMTERTIVM.

Hic aperitur via dissoluendi omne dubitabile, per formalitates prædictas.

DVBITARET aliquis,qua distinctione distinguitur essentia ab existentia rerum creatarum. Respõdetur per doctrinam habitam cap.4.quòd distinguitur distinctione reali: & fundatur hæc veritas in 3.de anima, tex.9. vbi ait Arist. ꝙ aliud est magnitudo,& aliud magnitudinis esse, & aliud aqua,& aquę esse;vbi Themistius apertis verbis docet,ꝙ aliud est existentia aquę, & aliud essentia, & aliud existentia magnitudinis, & aliud essentia,quia per magnitudinem, & aquã intelligit supposita, quę existunt;per esse magnitudinis,& esse aquę, intelligit Arist.essentiam,& naturã aquę. Boetius quoq; in lib.de Hebdomadibus dicit.Hebdomada 3.ꝙ esse rei est diuersum ab eo quod est,hoc est suppositum,quod existit est distinctum realiter ab ipsa essentia,Quia illa reali distinctione distinguuntur, quorum vnum intelligimus sub opposito alterius, sed possumus de facto intelligere essentiam sub opposito existentiæ, intelligimus enim aliquando essentiam non existere, puta essentiam rosæ præteritę, quę neque est actu,neque potentia,cùm non possit iterum existere per naturam,sed non existentia opponitur existentiæ,ergo possumus intelligere essentiam sub opposito existẽtiæ,& sic reali distinctione distinguuntur.Quod etiam D.Albertus Magnus dixit in lib.predicamentorum,cap.9. vbi ait, manifestè essentiam realiter distingui ab existentia. Quam doctrinam posuit S.Thomas fidus discipulus Alberti in libello de ente & essentia, c.5. vt latius etiam nos comprobauimus 4.Metaph.disp.4.Et est doctrina Catholica sumpta ex sacris Concilijs, præsertim ex Concilio Generali Constantinopolit. 6. actione 2. vbi his verbis loquitur de existentia Christi, Simul quippe caro,& anima rationalis,& diuinũ Verbum existunt; vbi apparet in Christo Domino esse tantum vnicam existentiam diuinam, cùm sit tantum vnica persona diuina,& nullæ est existentia humana, igitur in eo existentia,& essentia reali distinctione distinguũtur. Quod manifestius docuit Hilarius 6.lib.de Trinitate, inquiens in solo Deo existentiam non esse accidens, in creaturis autem omnibus est accidens. Quod antiquissimi Philosophi inter Arabes docuerunt,vt Auicennas 5.Met.c.1. & Algazel; quandoquidem illa dicuntur distinctione reali distingui, quorum vnum remanet, alterum verò perit,sed ita est de his rebus, nempe essentia,& existentia, vt patet in mysterio Incarnationis,in quo pereunte essentia humanitatis Christi, quę erat tertia entitas, remansit tamen existentia personæ humanitatis. Et sic omnes fatentur dicere, qui rectè philosophantur, essentiam & existentiam distinctione reali distingui. Et hæc bene considerare oportet, quia multos vidi cristato capite in Philosophia se iactantes doctrinam istam ignorare.

Suppositũ est realiter distinctum ab essentia.

In Christo Domino nostro, est tamẽ vna existentia.

Durandus & Aureolus reprobantur. Ex quibus excludenda venit opinio Aureoli, & Durandi, apud Capreolum 1. sententiarum, distinctione 8. existimantes existentiam, & essentiam sola ratione distingui, & habere se veluti currere, & cursus, quæ significant vnam & eandem numero formam,diuersa tamen ratione;nam cursus significat absolutè formam currendi,currere autem absolutè non significat illam,sed vt ab aliquo progreditur vel possidetur,sic essentia & existentia significant eandem formam essendi,diuersa tamen ratione,quia essentia significat illã absolutè, existentia verò,vt ab aliquo possidetur; existere enim nihil aliud est, quàm habere essentiam. Excluditur secundo opinio Henrici Gandauensis in quolibetis, quolib.8.q.3. docentis, essentiam & existentiam inter se distingui respectibus, & habitudinibus ad Deum, qui quidem cùm sit exemplar rerum omnium, & etiam causa efficiens per creationem, quando res ipsę creatæ referuntur ad Deum,tanquam ad causam exemplarem,dicuntur obtinere essentiam;quando verò referuntur ad illum,tãquam ad causam efficientem, obtinere dicuntur existentiam, quia quod repræsentantur per exemplaria diuina, essentia est,quod verò confertur à Deo,est ipsa existentia efficiẽter. Excluditur & tertio opinio Scoti 3. sentent. dist. 6. q. 1. volentis existentiam distingui ab essen-

Existere quid est.

Varia opin. Scotistarum.

ab essentia, ea ratione, qua aliquid differt à suo modo, quemadmodum albedo differt à suis gradibus, qui sunt modi illius, quia essentia est ipsa res; existentia verò est modus illius, quam distinctionem aliqui ex Scotistis vocant ex natura rei, aliqui verò formalẽ, & aliqui realem formalem. Nos autẽ ex determinatis, dicimus essentiam & existentiam reali distinctione distingui, vt latius habes 4. dilucidatione nostra, in 4. Metaphysices.

POterit etiam & secundo aliquis dubitare de subiecto & passione, qua distinctione distinguuntur. Ad quam dubitationem dicere poteris, quod distinguuntur distinctione reali, iuxta doctrinam S. Tho. p. p. q. 77. art. 1. & de spiritual. creat. art. vlt. quibus in locis affirmat potentias ipsius animæ se habere ad animam, sicuti accidentia propria subiecti, quæ pertinent ad quartum Prædicabile: & hæc accidentia propria vocantur passiones, & ponuntur in secunda specie qualitatis. Et Arist. 2. de anima, appellauit potentias ipsas partes animæ. Et Dionysius de cœlesti hierarchia, c. 2. dixit, cœlestes spiritus diuidi in essentiam, virtutem, & operationem. Et August. 15. de Trinitate, c. 7. vbi tractat de imagine, affirmat intellectum, voluntatem, memoriam, quæ sunt in homine, non esse idem quod homo, vt in Deo. Et adest ratio efficacissima, quam adducit S. Thom. in locis supra citatis, quæ sumitur ex Arist. 9. Met. tex. 13. & lib. 12. tex. 26. & 28. quod actus & potentia sunt in eodem genere; vnde vbi actus est accidens, ibi potentia; & virtus ad talem actum est accidens; cuius ratio est, quia dare esse substantiale, & operari sunt duo distincti effectus, quorum primus est effectus substãtialis, & formalis, proueniens à forma in genere causæ formalis, alter verò est accidentalis proueniens à forma in genere causæ efficientis, sed potentia debet proportionari effectui, ergo substantialis per seipsam dat esse substantiale, & per virtutes sibi additas operatur. Vnde manifestè apparet, potentias animæ esse realiter distinctas ab anima, ex consequenti passiones sunt distinctę à subiectis, licet apud S. Thomam nusquam inueniatur sub istis terminis formaliter, passio, vel propriũ distinguitur à suo subiecto, sed quia (vt latius supra ostendimus) vnitas, & distinctio, est passio entis, sed nullum est ens, nisi ens rationis, & ens reale, iuxta decreta Arist. 5. Met. tex. 13. ergo nulla est distinctio, nisi rationis, aut realis. Hinc manifestè sequitur passiones distingui à subiectis, vel secundùm rationem, vel secundùm rem, sed non possumus affirmare subiectum, & passiones distingui distinctione rationis, quia nec subiectũ est de essentia passionis, nec passio de essentia subiecti, quinimmo passio est quasi effectus ipsius essentiæ, igitur non solum in sensu formali est falsum, homo est risibilitas, aut homo est intellectus, vel voluntas, sed etiam in sensu identico hęc est falsa, homo est res, quę est voluntas, vel homo est res, quę est intellectus, ideo passiones non distinguuntur distinctione formali, aut rationis, vel ex natura rei, sed distinctione reali, vt docet Arist. 2. de anima, tex. 36. vbi dicit, animam esse causam corporis animati in triplici genere causæ, formalis, finalis, & efficientis. Quæ verba sano modo sunt intelligenda, quia subiectum non est causa suarum passionum per actionem mediam, sicut ignis producit calorem, sed est causa pullulatiua, & similitudinaria, seu per naturalem resultantiam. Et propterea optimè sequitur passionem & subiectum distingui distinctione reali.

Potentia animæ quare dicantur partes eius.

Distinctio est passio entis.

Anima tripliciter est causa corporis.

Hine arguendi sunt Nominales, quorum princeps fuit Occham, quem cęteri Nominales venerantur: hi enim affirmant subiectum & passionem, nullo modo distingui etiam ex natura rei, sed dicunt propriam passionem vno modo accipi posse dialecticè, pro illis nominibus risibile, hinnibile, quæ conuertibiliter predicantur de nominibus specificis, & hoc modo manifestum est proprium distingui à subiecto; alio modo dicunt propriam passionem posse accipi physicè pro accidente, quod consequitur essentiã rei, & sic subiectum, & propria passio nullo pacto distinguuntur, quia idem est homo, quod risibilitas; nam sicut homo immediatè viuit per animam, ita etiam immediatè per eam ridet, intelligit, sentit, & vult. Et decipiuntur isti, quandoquidem licet verum sit, quòd homo per animam rideat, intelligat, nutriatur, &c. tanquam per principium primum efficiens, tamen intelligit per intellectum, tanquam per potentiam propriam illius actus: itaque quãdo dicimus, quod homo per se intelligit, per se ridet, intelligitur, quòd ex sua essentia fluunt illæ virtutes, nec recipit illas aliunde, sicut aqua recipit calorem ex igne. Ex hoc etiam arguendi sunt quidam reales, qui affirmant passiones distingui à suis subiectis ex natura rei, seu distinctione formali, vt astruere videtur Scotus 2. sent. dist. 17. q. vnica, vbi affirmat, quòd seclusa operatione intellectus, homo & risibile habent distinctas definitiones,

Homo ridet, quomodo intelligitur.

Opinio dicentium passionem distingui à subiecto ex natura rei.

nitiones, nam homo est animal rationale, & risibilitas est aptitudo ad ridendum: & sic vult non distingui passionem à subiecto distinctione reali, sed tantum ex natura rei, cuius oppositum supra ostendimus, præsertim quia Deus supernaturaliter potest accidens, quod est risibilitas, separare à subiecto, & alterum sine altero conseruare, quia cùm sint distinctę res, & neutra est de intrinseca quidditate alterius, absque dubio potest Deus vnam sine alia conseruare, & sic realiter distinguuntur: & quamuis intellectus, & risibilitas separaretur ab homine, nihilominus ipse homo adhuc esset intellectiuus, & risibilis, quia essentialiter, & radicaliter inesset ei intellectus, & risibilitas, licet Caietanus p.p.q.17.&q.3.ar.3.& Capreolus 1.sentent.dist.3.q.3.asserere videntur, quòd risibilitas non possit separari ab homine, quod etiam S.Thomas innuere videtur de spiritualibus creaturis artic.vltimo, ad septimum argumentum, & Porphyrius cap.5.libri prædicabilium, dicit, nigredinem non esse propriam passionem corui, quia potest intelligi coruum esse, & non esse nigrum, vbi insinuat per contrarium, quod non potest intelligi hominem esse, & non esse risibilem, tamen hæc intelligenda sunt naturaliter, & in cognitione discursiua, non autem in conceptiua, & definitiua cognitione rei. Veritas ergo est, passionem & subiectum distinctione reali distingui.

Coruus potest intelligi absque nigredine.

DVbitatur qua distinctione, materia, & forma distinguuntur ab inuicem, Respondet S.Thom.p.p.q.66.ar.1.& in disputatis de potentia Dei, q.4.ar.1.& de ente & essentia, cap.5. quod distinguuntur distinctione essentiæ, non autem distinctione existentiæ: quia licet possint existere aliquæ formæ sine materia, veluti illæ formæ, quæ sunt propinquissimę primo principio, quæ non indigent materia ad hoc, vt sint, & existant; aliquæ verò formæ sunt, quæ non possunt esse, nisi in materia, quod quidem accidit eis propter distantiam, quam habent à primo principio, quod est actus primus & purus, materia verò nō potest existere sine forma, quia tunc simul esset, & non esset, quod implicat contradictionem, Consequentia patet, quia impossibile est effectum formalem separari à forma, sed existere est effectus formalis formæ, hæc enim est definitio ipsius formę, Forma est quæ dat esse rei, ergo impossibile est ponere existentiam absque forma. Sicut est impossibile esse album absque albedine, ita esse in actu absq; actu, actus autem primus cuius est dare esse idem est, quod forma. Patet ergo quod si materia existeret absque omni forma, tunc sequerentur duo contradictoria simul vera; ex hoc enim quod materia existit, sequitur, quod sit in actu, ex hoc autem quod sit absque omni forma, sequitur quod non sit in actu: & hoc est quod voluit Auerr.2.Physic.commen.12. dicens, materia differt à forma, sed nunquam denudatur à forma, immo cùm separatur ab vna forma, induit aliam, quoniam si denudaretur ab omnibus formis, scilicet prima materia, tunc quod non est in actu, esset in actu.

Existere est effectus formalis formæ.

Ex hac veritate excluditur opinio Scoti volentis 2.sent.dist.12.q.2.materiam & formam distingui distinctione reali, realitate existentię, quia materia potest esse sine forma. Et inter alias rationes, quæ adduci solent à Scoto, hæc est vna pręcipua, Cuicunque conuenit actu causare pro aliquo signo, conuenit & existere pro eodem signo, sed materiæ primæ, in primo signo, quo recipit formam, conuenit causare, ergo pro tunc sibi conuenit existere, sed pro illo non habet existentiam formæ, ergo propriam. Addunt, quia materia aut causat compositum & recipit formam, quando existit, aut quando non existit; non quando non existit, ergo quando existit, ergo tunc conuenit sibi propria existentia. Addunt etiam, quia causa non mendicat à suo effectu, sed materia causat existentiam compositi & formæ, ergo non mendicat existentiam ab eis.

Materia non potest esse sine forma.

Sed hęc facilè soluuntur, præsertim prima, quia sufficit causę pro quolibet instanti temporis, quo actu causat, habere existentiam, nec apparet necessarium, quod pro quolibet signo naturę insit existentia sibi, quo inest causalitas: ordo enim naturæ talis est, in eodem instanti temporis, quo scilicet materia recipit formam, ex quibus resultat compositum, cui iam esse actualis existentię aduenit, quo ipsum compositum primò, forma secundo, materia tertio existunt: vnde patet, quòd maior huius rationis est falsa, &c. Ad id quod primo addunt, dicitur, ꝙ materia causat quando existit, quia pro omni instanti, quo causat, existit, sed dictum est, quod non existit, nisi post ipsum compositum & formam. Ad id quod secundo etiam addunt, dicitur, quòd licet causa vt causa, non mendicet à suo effectu, tamen causa materialis mendicat à suo effectu, qui est eius causa, in altero genere causæ, eò quod causę sunt sibiinuicem causę, ex 2.Physic.tex.27.& 5.Metaph.tex.2.

Materia quo modo existit.

Ex hac

Ex hac etiam veritate excluditur opinio Greg. Arimin. 2. sent. q. 1. art. 1. existimantis materiam distingui à forma distinctione etiam reali, realitate existentiæ, quia materia habet propriam realitatem existentiæ, per quam distinguitur ab ipsa forma: & ratio sua est ista; Illud propriè existit, de quo verificatur propositio de secundo adiacente, sed de materia verificatur propositio de secundo adiacente, quia de materia dicitur, materia est, ergo materia habet propriam existentiam. Sed falsa est maior huius rationis, quia multa sunt, de quibus verificatur propositio de secundo adiacente, & tamen non existunt propria existentia, dicimus enim, oculus est, auris est, qualitas est, & tamen hęc, & alià similia non existunt propria existentia: sic etiam dicitur, quòd materia existit, vel per se, vel per formam, & quod materia non existit propria existentia, sed existentia compositi & formæ, vt dictum est. Patet ergo materiam distingui realiter à forma, non distinctione reali realitate existentiæ, sed essentiæ, nam essentia materiæ, quæ est potentia distinguitur ab essentia formæ, quæ est actus ipsius materiæ.

Opinio Greg. Arim. de materia.

Essentia materiæ, quæ est.

Dubium est de Angelis qua distinctione distinguuntur. Ad quod respōdet S. Tho. p. p. q. 50. ar. 4. & 2. sent. d. 3. q. 1. ar. 4. & 2. contra Gent. cap. 91. & de spiritual. creat. ar. 9. quod distinguuntur distinctione formali specifica, sicuti homo & leo. Et est doctrina ipsius Dionysij Areopagitæ 10. cap. Angelicę hierarchiæ, ponentis in Angelis etiam vnius ordinis, primos, medios, & vltimos: vnde non possunt conuenire sub eadem specie, quia in illis, quæ conueniunt sub eadem specie, est inuenire prius & posterius, vt ait Arist. 3. Met. tex. 15. propterea Angeli non possunt distingui ab inuicē, nisi distinctione formali specifica. Ex hac veritate excluditur opinio Scoti 2. sent. dist. 3. q. 7. arbitrantis Angelos distingui distinctione materiali, seu numerali, siue numerica, quæ opinio est expresè contra Arist. 12. Metaph. tex. 48. vbi probat, non esse plures primos motores, sed tantum vnum, quia si darentur plures primi motores, tunc haberēt materiam, quandoquidem omnis distinctio numeralis, ex materia sumitur, Angeli ergo cùm nullam habeant materiam, non possunt distingui distinctione numerali, sed tantum distinctione formali specifica. Omnis distinctio sumenda est vel à forma, vel à materia, sed in Angelis non est principium distinctionis indiuidualis, quia in eis non est materia, forma autem non potest esse principium distinctionis indiuidualis, sed formalis specificę, & essentialis (omnis enim distinctio, quæ radicaliter prouenit à forma, essentialis, formalis, & specifica est, quia forma est principium constitutiuum essentiæ) ergo omnis distinctio in Angelis est formalis, & specifica. Nec valet responsio quam solent afferre Scotistæ, quod in Angelis est materia, quę dicitur heccheitas, quia tunc ratio Arist. nulla esset, nam diceret aduersarius, quòd dantur plures motores primi, quia etsi in eis non sit materia, quæ est altera pars compositi, est tamen in eis materia indiuidualis, quæ est heccheitas, vltra quod hæc responsio est contra intentionem Arist. loquentis ibi de materia, quæ est altera pars compositi, vt patet legenti tex. 49. licet de potentia Dei absoluta possint esse plures Angeli sub eadem specie, vt Ferrariensis 2. contra Gent. cap. 93. exponendo literam S. Tho. affirmat, ex verbis eiusdem S. Tho. in opusc. 16. vbi dicit, quòd licet secundùm naturæ ordinem, intellectus agens non multiplicetur in pluribus hominibus, vt putauit Auerr. non inde colligitur, quòd per Dei potentiam non posset multiplicari secundùm numerum, sed eadem est omnino ratio in Angelis, quia potest Deus per absolutam potentiam facere, quod natura Gabrielis, quamuis de facto habeat omnem perfectionem sibi debitam, quod habeat aliam maiorem perfectionem etiam substantialem, sicut posset Deus augere, & perficere lumen Solis, quamuis habeat de facto omnem perfectionem sibi debitam in ratione luminis, quoniam in hoc nulla apparet contradictio, ergo posset similiter naturam specificam Gabrielis constituere in alio indiuiduo: patet hoc, quia supposito, quòd eadem natura specifica potest esse magis, aut minus perfecta substātialiter, nihil vetat, quod sit in pluribus indiuiduis, ita quod in vno sit minus perfecta, & in alio magis perfecta. Et sic intellexerunt Alex. Alensis 2. p. q. 20. memb. 2. & Bonauentura 2. sent. dist. 3. q. 1. & Durand. dist. 3. q. 3. & Gabriel q. 1. & Marsilius in 2. q. 3. ar. 3. & Thomas de Argentina, dist. 3. q. 2. ita quod sententia istorum sit intelligenda de potentia Dei absoluta, vt forte Scotus intellexit in illa sua ratione, Omnis quidditas est multiplicabilis, quia non repugnat ei neque ratione perfectionis, neque ratione imperfectionis; sententia autem S. Thomę est intelligenda de facto, & secundùm doctrinam Philosophorum, vt etiam Illustris. Cardinalis Sarnanus in 10. controuersia;

In Angelis nō est distinctio numerica.

Plures Angeli possunt esse eiusdē speciei.

Omnis quidditas est multiplicabilis, quo modo intelligitur.

2. sen.

2.sen. Dicit enim, quòd Scotus ponens pluralitatem Angelorum sub eadem specie esse possibilem, loquitur Theologicè, & S. Thom. illam negando, loquitur Philosophicè, &c.

Omnis distinctio formalis non per materiam, est specifica.

Dubium est de animabus separatis quæ distinctione distinguuntur. Ad quod respondentes aliqui, dicunt distingui distinctione formali specifica, quia omnis distinctio formalis non per materiam, est specifica, sed animæ separatæ distinguuntur distinctione formali non per materiam, ergo distinguuntur specificè. Oppositum tamen est rei veritas, vt scribit S. Th. p. p. q. 76. ar. 2. ad secundũ argumentum, asserens, eadem distinctione distingui animas separatas qua distinctione distinguuntur animæ coniunctę corporibus, sed tales distinguuntur distinctione numerali, ergo & animæ separatæ, etiam distinctione numerali distingui debent. Et sic etiam affirmat Scotus 2. sent. dist. 3. q. vltima, & in quolib. q. 2. sed discrepat in modo distinctionis, quia sequens opinionem suam de hecceitatibus, vult animas indiuiduari sua propria hecceitate: quandoquidem eo primo, quo aliquid est in actu extra suam causam, & intellectum, eo primo est hoc, sed anima, sicut & quælibet entitas præcipuè absoluta, seipsa, primo est in actu extra causam, & intellectũ, ergo anima seipsa primo, est hęc. Maior patet, quia vniuersalitas, siue esse non hoc, non conuenit rei, nisi in intellectu. Minor etiã patet, quia res seipsa primo, recedit à non esse. Modus verò quo animę distinguuntur in via S. Thom. est commensuratio substantialis ad hoc corpus, & non hecceitas, vt ait Scotus; animam ergo separatam ipsius Petri, & animam separatam ipsius Pauli distingui dicuntur commensurationibus suis ad propria corpora. Sed attende, ꝙ commensuratio dupliciter sumitur, vno modo pro relatione commensurationis, alio modo pro ipsa substantiali coaptatione rei: primo modo commensuratio est res respectiua, essentialiter in genere relationis, secundo modo est res absoluta, & de prædicamento rei commensuratæ, & est idẽ essentialiter quod ipsa, sed differens ab ipsa sola ratione: & similiter dicendum est de inclinatione, aptitudine, coaptatione, sigillatione, &c. Et sic soluitur ratio Scoti, quia maior propositio est falsissima: quia licet quælibet res posita extra intellectum & causam sit hæc, non tamen eodem primo est, & est hæc, est enim ipso esse primo, hæc autem, ipsa hecceitate; quia multa inseparabiliter sese comitantur, quæ non eodem principio habentur primo, sicut quodlibet ens aliud à Deo extra intellectum & causam est, & est dependens, non tamen eodem est, & dependet: minor quoque non valet, quia res non seipsa primo, sed per existentiam actualem distinctam realiter à se, ponitur extra nihil &c. Ex hoc etiam soluitur prima ratio adducta in principio, quia minor eius venit neganda, quandoquidem duæ animę separatę non distinguuntur formaliter specificè, neq; per materiam, licet sint purę formę abstractę à materia. Distinctio enim formalis specifica constituitur ex principijs definitiuis, quia illa quę habent diuersas definitiones distinguũtur specie, cùm saltem differentias vltimas habeant non easdem, quarũ diuersitas sufficit ad diuersitatem specificam, sed talis non est inter animam Petri, & Pauli, quia habent eandem definitionem, distinctio autem formarum cùm sit diuisio inter formas, vndecunque proueniens in duabus animabus separatis: vnde inuenitur in eis ex hoc, quod sunt coaptatæ, & sigillatę diuersis corporibus, propterea non est similis ratio de eis, & de alijs substantijs separatis, quæ non sunt vnibiles corporibus, veluti Angeli, qui sunt substantiæ completę in specie, & tales distinguuntur distinctione formali specifica, qua distinctione non distinguuntur animę ipsæ separatæ, sed bene distinctione formarum, vt dictum est.

Commensuratio dupliciter sumitur.

Duæ animæ separatæ, quo distinguntur.

Accidentia in Angelis quomodo discriminantur.

Et si dubitaret aliquis de duobus accidentibus eiusdem speciei in Angelis, & de duabus lineis mathematicè sumptis qua distinctione distinguantur. Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali realitate essentiæ, non autem realitate existentiæ, & hoc materialiter, non formaliter: & dico etiam materialiter, non vt venit à materia propriè dicta, quæ est altera pars rei, sed vt venit à materia communiter sumpta, quæ potest dici subiectum quoddam, seu materiale, & sic etiam distinguuntur duæ species intelligibiles, & habitus scientifici, prout reperiuntur in intellectibus diuersis, &c.

Dubium est de potentijs animæ, qua distinctione distinguuntur. Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali, realitate essentię, tam ab anima, vt supra dictum est, quàm inter se. Modus autem quo inter se distinguuntur, aliqui dixerunt, quòd distinguuntur per actus, quo ad nos, & cognitionem nostram, quia vniuersaliter illud est principium notificandi aliquid, ex quo necessariò sequitur illud

illud alterum, & est notius quo ad nos, sed actus potentiarum animæ sunt notiores nobis, quàm ipsę potentiæ, & distinctio actuum arguit distinctionem potentiarum, & ex diuersitate eorum necessariò concluditur distinctio potentiarum aliquo modo, aliter quilibet actus concederetur procedere à qualibet potentia, quod est falsum: non enim viderè est ab auditu, nec audire à visu, ergo sequitur necessariò potentias distingui per actus quo ad nos & cognitionem nostram. Propterea aliqui dicunt, declarando melius istam propositionem, Potentias distingui per actus, potest multipliciter intelligi, Primo vt hęc præpositio, per, denotet differentiam distinctiuam absolutè; & hoc non, quia differentia absolutè est intrinseca rei, vt rationale est quid intrinsecum homini, non sic actus dicuntur esse respectu potentiarum; Secundo, hæc propositio, per, denotat principium declaratiuum, ita vt potentiæ distinguantur per actus, idest manifestantur distinctè per actus, & per obiecta à posteriori; & hæc videtur opinio superius recitata; Tertio poterit denotare principium omnino extrinsecum finale, vel efficiens; Quarto poterit denotare principium definitiuum extrinsecum quidem à re, sed intrinsecum definitioni rei, ita quod potentiæ distinguuntur per actus à priori, non tanquam per differentias proprias intrinsecas, nec tanquam per effectus quo ad nos, aut per causas omnino extrinsecas, sed tanquam per causas inclusas necessariò in definitionibus primis earum, eo modo, quo vnum relatiuorũ cadit in definitione alterius, quia potentia secundùm id quod est, ad actum dicitur, vnde secundùm suam entitatem non est res absoluta ab actu, & ab obiecto, quamuis sit res absoluta à termino, ob hoc non est in genere relationis, quandoquidem potentiæ, & habitus, & alia huiusmodi sunt entitates quædam mediæ inter absoluta omnino, & respectiua totaliter, ita quod non per aliquid superadditum, sed per sua's essentias essentialiter ordinem habent ad actus, ita quod absque eis intelligi etiam in prima operatione intellectus non possint, non quod sint earum differentia, sed quia earum differentiæ sumuntur ab ordine ad illos, ordine scilicet non relationis prædicamentalis, sed transcendentalis. Et sic patet, quomodo, & qua distinctione potentiæ animæ inter se distinguuntur, &c.

Actus est notior potentia.

Hæc præpositio per, multa dicit.

Potētiæ essentialiter respiciunt actus.

Dubium est de passionibus, qua distinctione distinguuntur. Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali realitate essentiæ: vnde passiones, quæ sunt in irascibili, & concupiscibili distinguuntur distinctione formali specifica. Cùm enim diuersę potentię habeant diuersa obiecta, necesse est passiones diuersarum potentiarum ad diuersa obiecta referri, ob hoc multo magis passiones diuersarum potentiarum distinctione formali specifica distingui oportet: maior enim distinctio obiectorum requiritur ad diuersificandam speciem potentiarum, quàm ad diuersificandam speciem passionum, vel actuum: sicut enim in naturalibus diuersitas generis consequitur diuersitatem potentiæ materiæ, diuersitas autem speciei diuersitatem formæ in eadem materia, ita in actibus animę, actus ad diuersas potentias pertinentes sunt non solum specie, sed etiam genere diuersi; actus autem, vel passiones respicientes diuersa obiecta specialia comprehensa sub vno communi obiecto vnius potentiæ, distinguuntur sicut species illius generis. Ad cognoscendum ergo, quæ passiones sunt in irascibili, & quæ in concupiscibili, oportet assumere obiectum vtriusq; potentiæ, obiectum potentiæ concupiscibilis est bonum, vel malum sensibile, simpliciter acceptum, quod est delectabile, vel dolorosum, & sic passiones illæ, quæ respiciunt absolutè bonum, vel malum, pertinent ad concupiscibilem, vt gaudium, tristitia, amor, odium, & similia: passiones verò illæ, quę respiciunt bonum, vel malum sub ratione ardui, prout est aliquid adipiscibile, vel fugibile cum aliqua difficultate, pertinent ad irascibilem, vt audacia, timor, spes, & similia. Patet ergo passiones has distingui distinctione reali, realitate essentiæ, formaliter, specificè, &c.

Duplex est diuersitas s. generis, & speciei.

Passio multiplex esse potest.

Dubium est de virtutibus infusis, qua distinctione distinguuntur. Respondetur, quòd distinctione reali realitate essentiæ in ordine ad earum obiecta. Et si dicis, quòd idem est obiectum omnium virtutum Theologicarum, puta Fidei, Spei, & Charitatis, immo & ipsius Theologię, Dicitur, quòd non eodem modo, quia vnumquodque diuersificatur secundùm id, quod est formale in ipso, formale autem in vnoquoque est id, quod est completiuum definitionis eius, vltima autem differentia constituit speciem, vnde per eam differt definitum sed specie ab alijs: licet ergo virtutes

Fides, Spes, Charitas, diuersimodè considerantur.

L Theolo-

Theologicę conueniant in obiecto materiali, non tamen conueniunt in obiecto formali; Deus enim, vt reuelans est obiectum formale ipsius Fidei, cuius assensus terminatur immediatè ad Deum: Theologia, & sapiētia habet Deum pro obiecto, sed mediatè, quia per effectus & creaturas loquitur de Deo. Spes habet Deum pro obiecto, tanquā causam efficientem, inquantum eius auxilio innititur, & sicut vltimam causam finalem, inquantum in eius fruitione beatitudinem expectat. Charitas habet Deum pro obiecto, vt est bonum amabile, & mouet omnes alias virtutes ad suum finem. Religio habet Deum pro fine, nō autē pro obiecto, sed ea quę offert colendo ipsum, propterea religio non est virtus Theologica. Timor etiam respicit pro obiecto aliquid aliud quàm Deum, vel pœnas, vel propriam prauitatem, ex cuius consideratione homo Deo reuerenter se subijcit, vt ait S.Th. in disputatis, de virtutibus, q.vnica, ar.12. Ex his apparet quomodo distinguuntur, &c.

Obiectum formale Fidei est Deus.

Dubium est de peccatis, qua distinctione distinguuntur. Respōdetur, q distinguuntur eadem distinctione, qua supra, apud omnes, licet non idem modus distinguendi affirmetur ab omnibus. Nam Scot. in 2.sent.d.35.q.2. existimat rationē formalem peccati esse auersionem, ideo enim est peccatū, quia est contra legem Dei, species autem ex formali ratione, & non ex materiali desumi debet: vnde peccatum habet speciem naturalem ex parte conuersionis, ergo moralem, & culpabilem ex parte auersionis habere debet. Aliqui dicunt peccata distingui penes diuersa precepta quibus aduersantur, itaq; furtum, & homicidium distinguuntur specie, qm diuersis preceptis aduersantur. Rei tamen veritas est, peccata distingui penes obiecta; nam licet auersio à regula, & conuersio ad bonum commutabile sit de ratione peccati, conuersio tamen ad obiectum contrariū bono rationis, est magis essentiale peccato, quàm auersio & deuiatio à regula. Peccatum ergo, est actus malus contrariè ad virtutem, & priuatiuè ad regulā: primo modo est quid positiuum, & sic distinguitur, sicut & virtutes per obiecta: secundo modo est priuatio, & est nihil, & non est à Deo, vt latius ostendit Caiet. in 1.2. S.Thom. q.81.ar.6. Patet ergo quomodo distinguuntur peccata, vt entia positiua, & negatiua.

Ratio formalis peccati, quæ est.

Dubium est apud S.Tho. & Scot. de intelligere, & dicere, quomodo distinguuntur. Et dicimus, quòd distinguuntur distinctione formali rationis: quia distinctio formalis duplex est, quædam formalis realis, sicut distinguuntur quantitas & figura; quædam verò est formalis solum secundùm rationem nostram, qua distinguuntur diuina attributa, s. iustitia, & misericordia; & hac distinctione formali distinguuntur intelligere, & dicere in Patre, quia dicere, addit supra intelligere productionem Verbi, mediante ipsa intellectione: vnde cùm in Patre nulla sit oppositio relationis, inter ipsum intelligere essentiale, & inter dicere paternum, quod est intelligere exprimendo, vel exprimere intelligendo ex fœcunditate naturæ, propterea formaliter distinguuntur: & licet Filius intelligat, Verbum tamen non dicit, quia est oppositio relationis inter Verbum dictum, & inter dicentem, à quo procedit: sic etiam est de Spiritu sancto, intelligit enim naturam fœcundatam, & Verbum expressum, sed non producit.

Distinctio formalis est duplex.

Scotus verò 1.sent.d.2.q.vlt. & d.27. & in quol.q.1. cogitur fateri, dicere, & intelligere esse res distinctas, & distinctione formali reali distingui, quia distinguit in intellectu duplicem actum secundum, Alterum, qui est operatio, alterum verò, qui est productio; & vult, quòd intelligere sit actus secundus, qui est operatio, dicere autem est actus secundus, qui est productio, & ordinat istos duos actus inter se respectu eiusdem principij, scilicet intellectus in actu primo sic, quod intellectus prius naturaliter est operans, quàm producens, seu dicens, & sic apud ipsum dicere, seu producere Verbum non est actus intelligendi, quamuis sit actus intellectus. Quod quidem stare non potest, quia sequeretur, quòd intellectus diceret, & nihil intelligeret, quod implicat contradictionem.

Duplex actus intellectus apud Scotum.

Et probatur ex dictis ipsiusmet Scoti, qui habet 2.sent.dist.1.q.1.art.3. hanc propositionem; Causa habēs duos effectus inter se ordinatos, ita quod neuter est causa alterius, sic se habet, quod tā essentialiter est cōparatio vtriusq; ad causam, quàm inter se, ita quod si per impossibile adimeretur primus, non propter hoc neganda est habitudo secundi ad causam. Aliam propositionem habet ibidem, quam accipio pro minori, scilicet quod intellectus in actu primo est causa habēs hos duos effectus, scilicet intelligere, & dicere, ordinatos inter se, ita quod neuter est causa alterius, ergo si per impossibile subtraheretur intelligere, non propter hoc sequitur, quòd subtrahatur dicere, & sic ista conditionalis

Argumētum ex concessis à Scoto.

esset

esset possibilis, apud Scotum, si intellectus non intelligeret, diceret: sed quid diceret, si nihil intelligeret? Nec valet responsio Lieheti, vt alias fusius ostendimus de mente Caietani, prima parte, quæst. 27. art. 1. &c.

Dubium est apud Theologos de diuinis processionibus, puta processione Verbi, quæ est generatio, seu origo viuentis a viuente coniuncto, secundùm similitudinem eiusdem naturæ, & de processione Spiritus sancti, quę est spiratio passiua, qua distinctione distinguuntur. Et respondetur primo, quòd distinguuntur distinctione formali, quia generatio est per intellectum, & per modum similis & naturę; processio Spiritus sancti, est per modum voluntatis, & impulsus, affectionis, inclinationis, propensionis, & tendentię. Distinguuntur etiam distinctione reali, ratione ordinis inclusi in eis, non quod processio Filij producat processionem Spiritus sancti, sed quod Filius, vt sic procedens, producat Spiritum sanctum: vnde processio non habet ordinem originis, vt altera alteram producat, vel producatur, sed vt radix, vnde persona taliter procedens aliam producat, sed non est processio amoris, nisi in ordine ad processionem Verbi, nihil enim potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum: attenditur ergo ordo inter eas absque prioritate, & posterioritate. Distinguuntur etiam seipsis, sed non primo: quia illa dicuntur seipsis per se primo distingui, quę in nullo vniuoco conueniunt, vt Deus, & materia prima, quę se totis sunt prima, diuersa secundùm quamlibet rationem formalem sibi conuenientem, sed diuinæ istæ processiones in multis conueniunt, siquidem ambæ sunt substantiales, diuinæ, & infinitę, perfectę, & immateriales, vocantur etiam origines, & processiones, igitur non seipsis per se primo distinguuntur, præsertim cùm claudant rationem ordinis transcendentis, quia vna supponit aliam, & per principia, scilicet intellectum, & voluntatem, & terminos, scilicet personas procedentes, quoque distinguuntur.

Generatio, & processio quomodo distinguuntur.

Quæ distinguuntur seipsis primò.

Ex his patet, omnes diminutè loquutos fuisse, tam illos, qui voluerunt diuinas processiones seipsis formaliter distingui, quia formaliter seipsa est generatio, & spiratio seipsa formaliter est spiratio: & ex rationibus formalibus eorum impossibile est generationem esse spirationem, circumscripto per impossibile quocunque alio, ita quod non oportet quærere, quibus distinguantur, quia tota ratio formalis vnius non est eadem toti rationi formali alterius. Hi ergo patet, quòd diminutè loquuti sunt, cùm tali sermone non consueuimus vti, nisi in vltimis, & vltimatè distinctiuis, & distinctis, qualia non sunt diuinæ processiones.

Diminutè quoque loquuti sunt, dicentes, has processiones distingui penes terminos, qui sunt personæ productę, quia motus distinguuntur per terminos, 5. Phys. tex. 4. sed istę productiones, licet non sint motus, nec mutationes, sunt tamen quasi viæ quędam ad personas, igitur per istas distinguuntur: quandoquidem emanationes istæ non habent esse per terminos, igitur nec distinctionem. Antecedens patet, quia habent ex se esse formaliter, Consequentiam probo, quia ab eodem habetur esse, & distinctio. Et ratio adducta de motibus non concludit, nisi quando formę fluentes sunt eiusdem rationis cum formis terminantibus, hic autem non est effluxus eiusdem rationis cum termino, nec etiam via, quasi fluxus eiusdem rationis cum terminis formalibus, quia terminus formalis est essentia, illa autem productio, quę est quasi via, est relatio.

Diuinæ processiones non sunt motus.

Diminutè etiam loquuti sunt illi, qui dixerũt has productiones pręcisè distingui, quia vna est ab vna persona, alia verò à duabus personis: sic & illi qui voluerunt has emanationes distingui per relationes oppositas, s. prioris, & posterioris, quia vna est prior alia.

Malè quoque scripsit Henricus in summa, q. 7. ar. 37. qui voluit has emanationes distingui penes principia formalia elicitiua, quę ponuntur esse relationes personarum agentium, puta vis generatiua, & spiratiua.

Henricus reprobatur.

Deceptus quoque fuit in hoc Adam 1. sent. dist. 6. q. 1. ar. 2. qui voluit, quòd essentia sub ratione vna, omnino indistincta, sit principium istarum productionum: quia sicut duo limitata possunt esse principia duorum actuum, ita idem illimitatum continens in se virtualiter ipsa plura, potest esse principium proprium eorundem actuum, etiam sub ratione vna, nulla existente distinctione in eo, sed ex sola illimitatione suiipsius, vt indistinctum est; sicut patet de Sole respectu multorum generabilium in his inferioribus. Patet ergo responsio ad dubium propositum, has emanationes distingui, distinctione reali essentiali, propter ordinem inclusum in eis, &c.

Illimitatio non est causa distinctionis processionum.

Relationes distinguuntur specie.

DVbium est qua distinctione distinguuntur diuinæ hypostases, nempe Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Respondent aliqui, quòd distinguuntur distinctione specifica; & probatur, quia cùm distinguantur per relationes paternitatis, & filiationis, & processionis actiuæ, & passiuæ, hæ autem relationes specie distinguuntur, sic etiam volunt esse distinctas ipsas hypostases.

Sed circa hanc responsionem, oportet esse cautos, quia ex verbis inordinatè prolatis, incurritur hæresis, propterea cùm de his loquimur, cum cautela, & modestia est agendum, quia nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur, quàm mysterium Trinitatis. Oportet ergo duos errores oppositos cauere, temperatè inter vtrosque procedentes, scilicet errorem Arrij, & errorem Sabellij. Arrius enim posuit diuinas hypostases distinctas distinctione formali, & secundùm rationem intelligentiæ tantum; Fides autem Catholica dicit, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum dupliciter considerari posse, Vno modo, vt sunt diuinæ hypostases, & sic solo numero distinguuntur; alio modo considerantur, vt sunt distinctę proprietatibus relatiuè oppositis, & sic distinguuntur distinctione formali specifica, quatenus terminant oppositas processiones, & quatenus ipsę processiones realiter, & specificè distinguuntur, non quia processio immediatè terminatur ad relationem, sed quia terminatur ad hypostasim, quæ constituitur, & distinguitur proprietate relatiua, & opposita alteri proprietati; quæ distinctio plusquam numerica est, Verbi gratia, paternitas, & filiatio specificam distinctionem, & differentiam in genere relationis important. Patet ergo responsio ad dubium, quod diuinæ hypostases in ratione rei, distinctione numerali distinguuntur, in ratione relationum distinctione specifica distingui oportet, &c.

Diuinæ personæ dupliciter considerantur.

DVbium est etiam de relationibus diuinis, qua distinctione distinguuntur à diuina essentia. Ad quod dubium diceret Scotus, vt sumitur ex ipso 1. sent. dist. 2. q. 4. quod distinguuntur distinctione formali ex natura rei, quę est media inter distinctionem realem, & rationis, quia distinguuntur circumscripto omni actu intellectus. Nominales verò affirmarent, relationes diuinas distingui à diuina essentia distinctione modali, quia paternitas est modus habendi essentiam diuinam, vt à quo est alius per generationem: & hoc dicere videtur Damascenus lib. 1. Fidei orth. c. 9. vbi ait, Omnia quæcunque habet Pater, Filij sunt, pręter ingenerationem, quæ non significat substantiæ differentiam, neque dignitatem, sed modum existentiæ: distinguitur ergo relatio & essentia, sicut res & modus eius. Dur. 1. sent. dist. 33. q. 1. affirmat, quòd distinguuntur realiter, non simpliciter & absolutè, sed secundùm quid, quia non sunt idem adæquatè, & conuertibiliter, quoniam diuina essentia est in omnibus tribus personis, paternitas verò non, sed tantum in Patre, & non in Filio, aut Spiritu sancto. Alij verò dicunt, relationes, & essentiam distingui distinctione Grammaticali, sicut synonima & multiuoca, quia penitus idem important; sed ista positio incidit cum Sabellio, qui posuit Deum non esse realiter Patrem, & Filium, &c. sed secundum rationem tantum. Alij voluerunt eas distingui realiter, quia in nobis distinguuntur realiter, sed non prout sunt in Deo, quemadmodum dextrum & sinistrum distinguuntur in columna distinctione existente in animali; & sic etiam volunt diuina attributa distingui in Deo, puta sapientia, & bonitas distinctione reali existente in creaturis. Hanc opinionem amplectitur Suessanus Niphus 12. Metaph. dilucidatione 13. & videtur, quòd incidat cum opinione Giliberti ponentis relationes extrinsecus affixas; licet grauius errauerit Gilibertus, quia ponendo relationes extrinsecus affixas, sequebatur, in Deo esse compositionem.

Opinio Scoti.

Opinio Nominalium de distinctione relationum.

Opinio Durandi.

Dextrum & sinistrum quo modo distinguuntur.

Propterea his omnibus postpositis, dicendum est, quòd distinguuntur distinctione formali, non formaliter, sed eminenter, & virtualiter, vt exponit Caiet. p. p. q. 39. art. 1. & de ente & essentia, c. 6. q. 12. & ita etiam distinguuntur in Deo intellectus, & voluntas, & cętera attributa: & potest dari exemplum de anima rationali, quę propter suam eminentiam, cùm sit vnica, & indiuisa, comprehendit perfectiones, & gradus aliarum formarum, & ita dat nō solum rationale, sed sensitiuum, vegetatiuum, & corporeum, & cętera. Dicimus etiam distingui relationem, & essentiam in Deo, distinctione rationis ratiocinatæ, quæ habet fundamentum in eminentia rei significatæ, quatenus diuina essentia cùm sit simplicissima, includit in se totum, quod est proprium naturæ, & essentiæ, & relationum, & personarum. Ex qua resolutione reprehendendus venit D. Reuerendus ille, Magister celeberrimus, Georgius Bustus Vercellensis, qui in quęstione sua de diuinis relatio-

Georg. Bustus reprobatur.

relationibus respondendo ad argumentum Aureoli, Quæcunque vni & eidem sunt eadem, sunt etiam eadem inter se, sed omnes relationes reales in Deo existentes, sunt eadem diuinæ essentiæ, vtpotè eidem realiter identificatæ, igitur sunt eadem inter se, & sic non distinguuntur realiter, Concedit, quòd diuina essentia, quasi per accidens extremis coniungatur, ac identificatur. Quod quidem dictum est falsissimum, quia omne per accidens, est contingens, & potest non esse, sed in Deo nihil est contingens, sed omne quod est in ipso, est necessarium, quomodo ergo diuina essentia coniungitur per accidens diuinis relationibus, & personis? Vnico autem verbo potuit dissoluere argumentum Aureoli, dicendo, quòd eo modo quo sunt eadem diuinę essentiæ, sunt etiam eadem inter se, ratione diuinæ essentiæ; & non docere tam monstruosam sententiam, ac doctrinam de Deo glorioso, &c. maior quoque illa esset vera, quando essent eadem realiter, & formaliter, vel quo ad identitatem in diuina essentia, vt dicit Caietanus p.p.q.28.ar.2. *Omne per accidens est contingens.*

DVbium est qua distinctione distinguuntur relationes à fundamento. Ad quod quidem dubium, Scotus 2.sent.dist.1.q.5.& 3.dist.8.& in quolib.q.3.dicit, Aliquas relationes realiter distingui, vt puta illas, quarum fundamentum, fine termino remanere potest, vt patet de relationibus æquiparantiæ, sicut simile, & æquale, & huiusmodi: si enim hoc album sit, & aliud album non sit, hoc album est sine relatione similitudinis, & si aliud album fiat in hoc albo, est similitudo, potest igitur esse sine ista, & cum ista. Aliquas relationes, nō distingui realiter à fundamento, vt puta illas quarum fundamentum non potest esse sine termino, vt relatio creaturarum ad Deum est eadem realiter fundamento: cum hoc tamen stat, quod distinguantur formaliter. Herueus tamen quolib.9.q.3.& quolib.5.q.6.& quolib.7.q.1. soluens hoc dubium, asserit, nullam relationem distingui à suo fundamento, distinctione reali, sed tantum distinctione formali: quam opinionem sequuti sunt multi Thomistæ. *Fundamentu relationis potest esse sine termino.*

Opinio tamen S.Tho.& Arist.est, omnem relationem distingui reali distinctione à suo fundamento: & dico distinctione reali, realitate essentiæ, non autem existentiæ. Et hoc dixit S.Thom.p.p.q.28.art.2.ad secundum arg. vbi ponit differentiam inter relationem in creaturis, & in diuinis, quo ad hoc, quod in creaturis, id quod inuenitur pręter conten tum sub significatione nominis relatiui, est alia res, in diuinis autem est eadem; constat autem, quod fundamentum non continetur sub significatione nominis relatiui. Dixit etiam hoc de potentia Dei, q.8.ar.2.ad primum, affirmans, quòd nulla substantia in genere potest idem esse realiter, quod relatio. Et 1.sent.dist.33.q.1.ar.1.in corp. dicit, quòd in relationibus realibus existentibus in creaturis, est aliud esse relationis, & substantiæ, quæ refertur, & ideo dicuntur inesse, & secundum quod insunt, compositionem faciunt, accidens inest subiecto, quod non conuenit diuinis relationibus. Hoc etiam voluit Arist. 12.Metaph.tex.19. ponens alia esse principia relationis, & alia qualitatis, & aliorum generum. Astipulatur etiam huic veritati, ratio ipsa naturalis, quia cùm omnis relatio realis, fundata in substantia, habeat proprium esse in, & proprium esse ad, & cùm constet, quòd esse in, est eius actualis existentia, sequitur, quòd genus generalissimum relationis, est forma habens propriam existentiam, & cùm non per accidens sit res cui debeatur inesse, quoniam ly accidens, essentialiter prædicatur de eo, consequens est, quod cuilibet suo inferiori hoc conuenit. Patet ergo qua distinctione reali distingui relationem à fundamento oportet, de qua re latius disputaui 5.Metaph.dilucid.19. *Relatio distinguitur realiter à fundamento.* *Esse relationis est duplex.*

DVbium est etiam de diuinis relationibus, qua distinctione distinguuntur ab inuicem, puta paternitas à filiatione, & spiratio actiua, & passiua. Et dico, iuxta doctrinam S.Thom.1.p.q.28.art.3.& de potentia Dei, q.8.quod distinguuntur distinctione reali, non secundùm rem absolutam, quę est diuina essentia, in qua est sum ma vnitas, & simplicitas, sed secundùm rem relatiuam, & ratio est, quia quando aliquid attribuitur alicui, oportet attribui etiam omnia quæ sunt de ratione illius, sicut cuicunque attribuitur homo, oportet, quod attribuatur ei esse rationale, sed Deo glorioso attribuuntur relationes reales, de quarum ratione est, vt opponantur ad inuicem, vt paternitas filiationi, & vbicunque est oppositio realis, ibi de necessitate est realis distinctio, & sic de primo ad vltimum, necesse est, vt diuinæ relationes distinguantur distinctione reali, secundùm rem relatiuam, non absolutam. *Quando attribuitur aliquid alicui, attribuuntur omnia quæ sunt de ratione illius.*

Sed cōtra istam Resp. arguit Petrus Aureolus Ordinis Minorū, volens probare, quòd

nec

nec distinguantur secundùm rem relatiuam, hoc medio, Talis est identitas extremorum inter se, qualis est eorum in medio (super istam propositionem maximam fundat Arist. omnem formam syllogisticam, & demonstratiuam, 1. Priorum, c. 5. vnde qui negat ipsam, vltra quod negat Arist. tollit omnem viam demonstrandi, & sciendi in omni materia) sed diuinæ relationes, puta paternitas & filiatio, sunt idem secundùm rem absolutam, scilicet diuinam essentiam, quę est medium inter has relationes, ergo sunt etiam eadem inter se, quo ad rem relatiuam. Sed hic vir deceptus est, non habens verum sensum illius maioris propositionis, quę intelligitur ab Arist. quando extrema sunt eadem in medio identitate reali, & identitate formali: vnde albedo, & humiditas sunt eadem in niue, non tamen sunt eadem inter se: sic etiam differentię respectu vnius generis, puta corporeum, & incorporeum sunt eadem in substantia; & rationale, & irrationale sunt eadem in animali, non tamen sunt eadem inter se; & sic multæ instantiæ adduci possent contra maiorem huius argumenti. Et vt clarius etiam appareat defectus eius, Sciendum est, ꝙ quandocunq; aliqua extrema sic identificantur medio, aut alicui tertio, quod nullũ extremorum identificat illud sibi adæquatè, immo medium pluribus identificatur, quàm aliquod extremum, sic quod non solum medium est idẽ ipsi extremo, immo ab extremo quolibet, seorsum sumpto aliud vel aliud includit, tunc non oportet, ꝙ extrema identificata in tali medio identificentur inter se; sicut Sortes, & Plato sunt idem in homine, non tamen sequitur, ergo sunt idem inter se, immo sunt valde distincti; sic in proposito relationes sunt eadem in essentia diuina, non tamen adequatè, & conuertibiliter: quia & si paternitas sit eadem cum diuina essentia, non tamen vbicunque est diuina essentia, ibi formaliter est paternitas, quia essentia diuina est in Filio, non tamen in eo est paternitas. Et hoc fecit errare Duran. 1. sent. dist. 33. q. 1. ponentem essentiam diuinam, & relationes distingui realiter, quia illa quorum quodlibet est vera res, & vnum inuenitur in aliquo supposito sine alio, distinguuntur realiter, vt animal, & homo, quæ non sunt idem conuertibiliter, & adæquatè, & animal inuenitur in pluribus, in quibus non est homo; & per oppositũ illa sunt eadem realiter, quæ sunt eadem adæquatè, & conuertibiliter, & vbi inuenitur vnum, inuenitur reliquum, vt homo & rationale, sed essentia diuina, & relatio non sunt eadem adequatè, & conuertibiliter, & vnum inuenitur, vbi non inuenitur alterum, ergo essentia diuina, & relatio distinguuntur realiter. Minor patet, quia essentia diuina est in quolibet supposito, relatio puta paternitas non, quia tantum est in Patre, &c. Quam rationem superius soluimus cùm de tali materia disputaremus, sufficiat modò dicere, diuinas relationes esse distinctas distinctione reali, secundùm rem relatiuam, & non absolutam, &c.

Identitas relationum in diuina essentia, non tollit formam syllogisticam.

Relationes nõ sunt adæquatè, & conuertibiliter eadẽ in diuina essentia.

Relationes diuinæ distinguuntur distinctione reali.

DVbium est de relationibus, quæ reperiuntur in persona Patris, scilicet paternitate, & spiratione actiua, qua distinctione distinguantur, an distinctione reali, vel distinctione formali, & sic etiam est dubium de relationibus, quæ sunt in Filio. s. filiatione, & spiratione actiua. Ad quod dubium respondet Durandus 1. sent. dist. 3. q. 2. quòd distinguuntur distinctione reali: & hanc opinionem sequuti sunt multi Doctores, quia generare, & spirare in Patre habent inter se ordinem originis, ergo distinguuntur realiter, & per consequens relationes, quæ sequuntur istas actiones, distinguuntur realiter: patet hoc, quia distinctio realis in diuinis radicaliter sumitur ex ordine originis, & eò magis, quia generare est operatio intellectus, per quam producitur Verbum, spirare verò est opus voluntatis, per quod producitur Spiritus sanctus, sed actio voluntatis originem habet ab actione intellectus: ergo &c.

Opin. Duran. labefactatur.

Opinio hæc non tenetur, quia paternitas, & spiratio actiua, licet sint duæ relationes reales, similiter filiatio, & spiratio actiua, quia sunt absque operatione intellectus, & vna istarum est proprietas personalis, idest, constituens personam, alia verò, quæ est spiratio actiua, dicitur relatio personarum, quia non constituit personam, sed aduenit personæ constitutæ: propterea dicimus, quòd distinguuntur distinctione rationis ratiocinatę, seu distinctione formali eminenti, quemadmodum diuina attributa: vnde non maiori distinctione distinguitur spiratio actiua à Patre, & Filio, quàm sapientia & bonitas inter se, & quàm essentia diuina distinguatur à relatione: vnde & si communis spiratio non distinguitur à paternitate, & à filiatione, nisi distinctione rationis, tamen, vt opponitur spirationi passiuæ, distinguitur realiter: quia ea dicuntur distinctione reali distingui in diuinis, quę oppositionem habent ad inuicem: ibi enim, vt docet S. Tho. p. p. q. 28. art. 4. non est relatio realis, nisi secundùm actiones, secundùm quas est processio ad intra.

Spiratio actiua est relatio personarum.

huiusmodi

huiusmodi autem processiones sunt duę, quarum vna accipitur secundùm rationē intellectus, quæ est processio Verbi, alia est sm̄ actionem voluntatis, quæ est processio amoris, & secundùm quamlibet processionē oportet duas accipere relationes oppositas, quarum vna sit procedentis à principio, & alia ipsius principij; processio autem Verbi dicitur generatio secundùm propriam rationem, quæ competit rebus viuentibus; relatio autem principij generationis in viuentibus perfectis dicitur paternitas; relatio verò procedētis à principio dicitur filiatio: processio verò amoris non habet nomen proprium, vnde neque relationes, quæ secundùm ipsam accipiuntur, sed vocatur relatio principij huius processionis spiratio, relatio autem procedentis processio; quamuis hęc duo nomina ad ipsas processiones, vel origines pertineant, & non ad relationes. Et propterea soluitur ratio Durandi, quia ordo originis, propriè loquendo, solū inuenitur inter ipsas personas, quę se habent, vt quod producitur, & quod producit, sed inter generantem, & spirantem non est ordo originis, quamuis secundùm nostrum modū intelligendi prius sit generans, quàm spirans, tamen ad eandem personam intrinsecè pertinet vt generet, & spiret, &c. *Duplex est processio.* *Ordo originis inter quæ inuenitur.*

Dubium est de actione, & passione: num sint vnus motus, & qua distinctione distinguantur, quod dubiū mouet S.Th.3.Phys.lect.5. Et respondetur, q̄ distinguuntur distinctione reali realitate essentię, quantū ad respectus, & relationes, quas dicunt in obliquo, quandoquidem istę relationes sunt oppositæ, quia actio est motus, vt ab hoc agente, passio verò est motus, vt in hoc mobili: quantum verò ad id, quod dicunt in recto, non distinguuntur distinctione reali, quia sunt vnum, & idem realiter, in recto enim dicunt motum: vnde hæc propositio est essentialis, actio est motus, & similiter, passio est motus. *Actio, & passio quid sunt.*

Sed considerandum est, quòd actio tribus modis sumi potest: Vno modo communissimè, pro omni actione, siue immanente, siue transeunte, siue physica, siue non; & sic nomen actionis assignatur naturæ, animæ, menti, intelligentijs, & ipsi Deo. Secundo capitur non ita ample, sed pro actione tantum, quæ fit secundùm qualitates, quæ dicitur alteratio: nam inter accidentia sola qualitas propriè, ac per se est actiua; & sic loquutus est Arist. 1. de generat. tex. 45. scribens, motum latius patere, quàm actionem, quoniam actio tantum dicitur de alteratione, quæ fit in qualitatibus, motus autem, & de hac, & de alijs motibus. Tertio sumitur actio ea ratione, vt reciprocatur cum motu physico; & sic motum est dubium pręsens, qua distinctione actio, & passio distinguātur, & dictum est, quòd quantum ad relationes distinguuntur distinctione reali, sed quantum ad motum & rem ipsam distinguuntur distinctione formali, quia dicunt vnam & eandem rem in recto. *Actio sumitur tripliciter.*

Et si quis diceret, quòd distinguantur distinctione reali etiam quātum ad rem, quam dicunt in recto, & hoc de mente Auerr. qui 3. Phys. comm. 21. dixit, actionem, & passionē esse vnum subiecto, & duo secundùm quidditatem: Tunc sic, quę sunt vnū subiecto, & duo secundùm quidditatem, distinguuntur distinctione reali, sed actio, & passio per dictum Auerr. sunt duo sm̄ quidditatem, & vnum subiecto, ergo distinguuntur distinctione reali. Respondentes ad hoc, dicimus, quidditatem dupliciter sumi posse, Vno modo pro essentia, siue entitate rei; alio modo pro definitione, & descriptione. Quo stante, dico, q̄ Auer. per quidditatem non intellexit essentiam, & entitatem rei, sed definitionem: vnde suadebat in eodem loco, quòd actio & passio significant idem, non sicut tunica, & vestis dicuntur significare idem secundùm quidditatem, sed dicimus, quòd significant idem secundùm subiectum, & duo secundùm definitionem: Et voluerat dicere, quòd quantum ad subiectum, idest suum materiale, quod est motus, sunt idem, scilicet in recto, quia sic non distinguuntur distinctione reali, tamen si definiantur, aliquod formale ponetur in definitione actionis, quod nō ponitur in definitione passionis, puta respectus ad agens, ideo distinguuntur quidditatiuè. i. conceptu quidditatiuo: propterea hæc est falsa, actio est passio, & hęc est vera, actio est motus, & similiter de passione. Vnde manifestum est, quod sunt distincta pręedicamenta, quia quodlibet ipsorum habet sub se diuersas species, & prædicatur vniuocè de ipsis. Ex quibus patet, qua distinctione distinguuntur. *Quidditas dupliciter sumitur.*

Dubium est de motu, & de termino eius, qua distinctione distinguantur, & hoc propter verba Arist. 3. Phys. tex. 4. motus non est pręter res, ad quas est motus. Et respōdetur resolutè & clarè, q̄ motus & eius terminus nō distinguuntur distinctione reali, neq; realitate existētię, nec essētię, sed tm̄ distinctione formali. *Motus non est præter res.*

Verum

[illegible] Pauli [illegible] distinctio- [illegible] motus & terminorum.

Verum Paulus Venetus dixit, motum, & eius terminum, seu formam in quam tendit, distingui distinctione reali, quia motus est quædam entitas successiua absoluta, realiter distincta ab ipsa forma, seu termino motus, vt calefactio est entitas realiter distincta à calore, & subiecto, & non est relatiua, sed absoluta, & successiua, quæ non permanet, quando forma est acquisita: est enim entitas à mobili realiter distincta, similiter generatio, & corruptio sunt entitates realiter distinctæ à formis. Sed deceptus est, quia, cùm motus dupliciter accipi possit, Vno modo pro forma fluxa, quæ tendit de imperfecto ad perfectum; alio modo pro ipso fluxu continuo illius formæ, quæ fluit, & vadit ad aliquid vlterius; & propterea si loquimur de motu, quo ad istam formam, non distinguuntur distinctione reali, quia cùm vna & eadem sit res considerata sub esse imperfecto, & deinde sub esse perfecto, si motus distingueretur distinctione reali à termino suo, puta calefactio à calore, sequeretur, quòd aliquid vnum demonstratum, simul & eodem tempore, & primo, & de nouo fieret, & esset, & dum esset, fieret, & dum fieret, esset, quod est impossibile, & implicans contradictionem: bene verum est, quòd distinguuntur, vt diximus, distinctione formali, & rationis ratiocinatæ, quia eadem res, quæ acquiritur per motum, puta calor, potest signari infinitiuo verbo, siue nomine significante actum verbi, vt calefieri, siue calefactio; & potest signari nomine substantiuo, vt calor: in primo sensu habet rationem motus, in secundo habet rationem termini; primo modo stat sub esse imperfecto, cum tendentia ad esse perfectius, & ideo appellatur forma mobilis, & continuè acquisibilis; secundo modo vocatur forma quiescens acquisita, & perfecta sine tendentia, & ordine ad vlteriorem gradum, & propterea dicitur habere rationẽ termini. Illa ergo dicuntur distingui distinctione formali, quæ sunt idem realiter, tamen intellectus format diuersos conceptus de illis, sed sic est de motu, & termino eius, ergo distinctione formali, & non reali distinguuntur. Et si quis diceret, Illa quæ ita se habent, quod vno transeunte, alterum permanet, distinguuntur distinctione reali, sed motus transit, & terminus eius permanet, quia præsentibus habitibus in materia cessat motus, ergo reali distinctione distinguuntur. Dicitur ad hoc, quòd maior non est vera, nisi quando vnum transit essentialiter, & realiter, ita etiam remanet aliud, sed non est sic modo, quia acquisito termino remanet motus materialiter, & essentialiter. Vnde minor propositio est falsa, & ideo remanet veritas inconcussa & resoluta, qua distinctione distinguuntur, quia formali, & non reali.

Motus dupliciter accipitur.

Forma mobilis, & acquisibilis.

DVbium est de motu, & tempore, qua distinctione distinguuntur. Et respondetur eadem responsione, qua supra, quòd distinguuntur distinctione formali, & non reali; quia si loquimur de tempore communiter dicto, clarum est, quòd est idem realiter cum motu absolutè dicto quolibet motu dato contingit per ipsum mensurare durationem alterius motus, sed esse mensuram motus, est vniuersalis ratio temporis, igitur tempus communiter sumptum est idem realiter, quod motus: sic etiam dico de tempore propriè sumpto, quòd non distinguitur distinctione reali ab ipso motu diurno primi cœli, qui præcipuè innotescit nobis per motum Solis diurnum: patet hoc, quia illud est tempus propriè, quo primo mensuramus omnem motum, vt patet ex Arist. 4. Physicorum, tex. 101. sed motu cœli diurno, vt primo & regulatissimo ex 10. lib. Metaphys. tex. 2. mensuramus omnem motum, igitur tempus & motus non distinguuntur distinctione reali, sed tantum formali. Ita quod hęc est vera propositio, & identica, tempus est motus, sicut ista, actio est motus, licet non sit formalis, & quidditatiua, quia de ratione temporis, vt tempus est, sit mensura, siue numerus; de ratione autem motus non est, vt sit mensura, seu numerus, sed bene vt sit actus existentis in potentia, & vt sit mensuratus.

Tempus dupliciter sumitur, communiter, & propriè.

Et si quis diceret, quòd motus est, vt subiectum, & tempus est vt passio, sed subiectum, & passio realiter distinguuntur, ergo tempus & motus reali distinctione distingui debet. Respondetur, quòd licet motus se habeat vt subiectum, & tempus vt passio, non propterea distinguuntur distinctione reali. Quemadmodum ens & bonum, quod est passio entis, & addit supra ens esse appetibile, sic etiam tempus addit supra motum esse mensuram vel numerum motus: hoc autem non est de ratione formali ipsius motus, propterea nihil aliud sequitur, nisi quod distinguantur distinctione formali, cùm habeant diuersas definitiones. Sed adhuc non quiescit intellectus, quia causa non identificatur suo causato, est enim causa ad cuius esse sequitur aliud, semper enim inter causam, & causatum est

Tempus est passio motus, vt bonum est passio entis.

est realis distinctio, sed prius & posterius in motu, vt docet Philosophus 4.Phys.tex.99. est causa prioris & posterioris in tempore, igitur motus est causa temporis, vnde continuitas motus, est etiam causa continuitatis temporis, & sic sequitur, quòd distinguantur distinctione reali, & non formali tantum. Sed respondetur ad hanc obiectionem, dicendo, quòd causa est duplex, Altera realis, sicut artifex realiter causat artificiatum, & sic ista distinguuntur distinctione reali: alia est causa illatiua, vt dicendo, causa propter quam Titius est homo, est rationale; infertur enim ista propositio, Titius est rationalis, ergo Titius est homo; & tamen inter hæc tria, scilicet Titium, rationale, & homo, stat identitas realis: sic ergo, quando dicitur, quod prius & posterius in motu est causa prioris & posterioris in tempore, intelligi debet, quòd sit causa illatiua, non autem realis: quod patet ex verbis Aristotelis vbi supra, declarando ordinem qui est inter magnitudinem super quam fit motus localis, & motum, & tempus quo ad continuitatem, & prius & posterius, ita arguendo, Magnitudo est continua, ergo sequitur, quòd motus factus super eam sit continuus; deinde, motus factus est continuus, ergo tempus quod est affectio motus, etiam est continuum, quia quantus est motus, tantum fieri videtur ipsum tempus; & sic dicendum est de priori & posteriori in magnitudine, & in motu, & in tempore. Patet ergo, tempus, & motum distinctione formali distingui, & non reali. Et ex hoc venit reprehendendus admodum ille Reuerendus Magister Georgius Vercellensis, alioquin Doctor eximius, qui in quæst. suis naturalibus existimauit se demonstrasse, tempus, & motum reali distinctione distingui, eò quia passio, & subiectum realiter distinguuntur in doctrina S.Thomæ, non animaduertens verba S.Thomæ, & Aristotelis 12.Metaphys. tex.29. quòd non est passio absolutè prædicamentalis, sed veluti passio, vt ibi idem asserit S.Thomas, quia sufficit vt sit passio transcendens distincta formaliter à motu; ad hoc enim tendunt verba S.Thomæ, dicentis, Tempus, & motus aut sunt idem, vt quidam posuerunt, aut tempus est aliqua passio motus, scilicet vt bonum est passio entis, quod idem est cum ente.

Duplex causa, illatiua, & realis.

Deducitur inter causam illatiuam, & causatum distinctio formalis tantum.

Tempus est passio motus transcendens.

Dubium est de priuatione & subiecto, qua distinctione distinguuntur. Et respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali, quia id quod ennmeratur inter entia, reali distinctione distinguitur ab eo quod inter entia non numeratur, (alioquin eadem res esset ens & non ens) sed materia prima, quæ est subiectum priuationis, numeratur inter entia, priuatio verò ipsa non, vt scribit Aristoteles 1.Phys. tex.66. vbi dicit, quòd materia est aliud à priuatione, quia ipsa numeratur inter entia, priuatio verò non, igitur reali distinctione distinguuntur. Et subdit Arist. reprehendendo Platonem, qui non distinguebat inter materiam & priuationem. Adde etiam, quia id quod est substantia, non est id, quod neque est substantia, neque est accidens, sed materia prima est substantia, priuatio autem neque substantia, neque accidens, vt testatur Auer. 1.Phys.comm.79. igitur reali distinctione necesse est, subiectum, & priuationem distingui: & eò magis, quia subiectum completa generatione remanet, priuatio verò non remanet, quia præsentibus habitibus, cessant priuationes illorum habituum.

Cũ Arist. philosophatur formaliter loquitur de priuatione, non circũscripto actu intellectus.

Et si quis diceret, quòd illa quæ sunt idem numero non possunt distingui distinctione reali, sed tantum formali, sed subiectum & priuatio sunt idem numero, vt scripsit Arist. 1.Phys.tex.66. igitur non reali distinctione distinguuntur. Respondetur, quòd aliqua esse idem numero potest intelligi duobus modis, Vno modo positiuè, & hoc est quando vtrunque dicit realitatem quandam, & illa quam dicit vnum, est illamet, quam dicit alterum; secundùm quem modum Marcus Tullius Cicero, & Sortes, & hic homo, sunt idem numero; & hoc pacto neganda est minor in argumento: Alio modo aliqua dicuntur esse idem numero negatiuè, & hoc est, quando vnum alteri attribuitur, sed id quod attribuitur, non ponit in numerum cum eo cui attribuitur, non quod sit idem ei, sed quia non est aliqua realitas inter ea; ad hunc sensum neganda venit maior, sic enim intellexit Philosophus, cùm dixit, quod materia & priuatio sunt idem numero, quia non sunt eadem res, licet sint duo, quorum quodlibet habet suam propriam rationem in intellectu; quia priuatio non est actu & formaliter, nisi per actum intellectus, & ideo circumscripto actu intellectus, non est nisi fundamentaliter; priuatio autem fundamentaliter accepta, est ipsum eius subiectum, circa quod intellectus ponit priuationem, & ideo tantum formali distinctione distinguuntur; sicut non homo & homo, non lapis & lapis, non sunt duæ res distinctæ distinctione reali, sed tantum distinctione formali.

M Dubium

Dubium est de actibus Fidei, puta credere Deo, credere Deum, & credere in Deum, qua distinctione distinguuntur. Et respondetur, quòd distinctione reali per inclusionem vnius, & exclusionem alterius distinguuntur: quod patet ex hoc, quia actus cuiuslibet potentiæ, vel habitus, accipitur secundùm ordinem potentiæ, vel habitus, ad suũ obiectum. Obiectum autem Fidei potest tripliciter considerari, quia credere spectat ad intellectum, vt est motus ad assentiendum à voluntate. Potest igitur obiectum Fidei accipi vel ex parte ipsius intellectus, vel ex parte voluntatis mouentis intellectum; si primo modo, sic in obiecto Fidei duo possunt considerari, quorum vnum est materiale obiectum Fidei; & sic ponitur vnus actus Fidei, qui est credere Deum, quia nihil proponitur nobis ad credendum, nisi secundùm quod pertinet ad Deum: aliud autem est formalis ratio obiecti, quod est medium, propter quod tali credibili assentitur, & sic ponitur alius actus Fidei, qui est credere Deo, quandoquidem formale obiectum Fidei est prima veritas, cui homo inhæret, vt propter eam assentiat rebus creditis: si verò consideretur tertio modo obiectum Fidei, secundùm quod intellectus est motus à voluntate, sic ponitur actus Fidei credere in Deum, quia prima veritas refertur ad voluntatem, secundùm quod habet rationem finis. Ex quibus patet, quòd credere in Deum claudit voluntatem, tanquam mouentem, quod non clauditur à credere Deum, quod quidem credere Deum claudit tantum materiale Fidei, nec clauditur à credere Deo, quia istud credere Deo, est circa obiectum formale, & propterea supradicta distinctione per inclusionem vnius, & exclusionem alterius necesse est distingui, licet per ista tria non designentur diuersi actus Fidei, sed vnus & idem actus, habens diuersam relationem ad obiectum Fidei, vt patet ex ipso Augustino super Ioannem tract. 29. vbi dicit, quòd credere in Deum nihil aliud est, quàm credendo amare Deum, vel credendo in Deum ire, & eius membris incorporari: & propterea solum homines iusti perfectè credunt in Deum, quia credere in Deum est actus Fidei perfectæ, & viuæ, quæ sine charitate, & iustitia esse non potest.

Numerantur actus Fidei cum D. Aug.

Et si quis diceret, quòd etiam peccatoribus habentibus Fidem mortuam competit credere in Deum, quia legitur apud Ioannem cap. 12. Ex Principibus multi crediderunt in eum, sed isti Principes erant peccatores, ergo credere in Deum potest etiam peccatoribus conuenire, & non tantum iustis. Ad istam obiectionem respondet Caietanus super Ioannem, dicens, quòd apud Euangelistas credere in Iesum non semper significat actum Fidei formatæ, sed aliquando importet credere verbis illius, & habere quandam confidentiam, licet imperfectam in ipsum, tanquam in Saluatorem, & Redemptorem, necnon & habere quandam piam affectionem: & in hoc differunt peccatores à Dæmone, quia Dæmon nullo modo credit in Deum, sed credit Deo, vel Deum, peccatores verò & si credunt in Deum, hoc non proprio nomine dici potest, sed nomine Ecclesiæ; & sic patet nullam esse controuersiam in dictis supra citatis.

Credũt iusti, & peccatores in Deum, non eundem actũ Fidei formata habentes.

Credit in Deũ peccator nomine Ecclesiæ, quod Dæmoni disconuenit.

Dubium est de persona, & relatione, seu proprietate, qua distinctione distinguuntur. Et respondetur, quòd distinguuntur distinctione rationis ratiocinatæ, quippe quæ distinctio habet magnum fundamentum in re ipsa: quod quidem fundamentum est eminentia diuinæ entitatis & perfectionis, quæ vnica & simplicissima cùm sit, exequitur id quod est proprium personæ, & proprietatis constitutiuæ ipsius personæ, & ita significatur à nobis diuersis terminis: eandem enim entitatem significamus per hunc terminum Pater, designantes personam, & per hunc terminum paternitas, designantes proprietatem personalem. Distinguuntur etiam distinctione rationis ratiocinantis actualiter, & propterea relationes personales, & sunt personæ, & sunt in personis, sed diuerso modo ab illo, quo sunt in essentia, quia in essentia dicuntur esse tantum per modum identitatis, in personis autem & per modum identitatis, non quidem secundùm rem tantum, sed quantum etiam ad modum significandi, sicut forma in supposito, & ideo proprietates determinant, & distinguunt personas, non autem essentiam, vt docet S. Thomas p. p. q. 40. art. 1.

Sed contra istam veritatem adduxi argumentum in quadam disputatione, quod multi nescierunt soluere, Quia remota per possibile, vel impossibile ista identitate inter personam, & proprietatem relatiuam, nihil perfectionis deficit in vniuerso; ergo persona & proprietas eius distinguuntur realiter: probatur antecedens, quia perfectiones vniuersi sunt quatuor illi gradus, scilicet esse, viuere, & sentire, & intelligere,

sed

sed remota identitate reali à diuina persona respectu suæ proprietatis, adhuc sunt isti quatuor gradus in vniuerso, ergo non est ponenda identitas realis inter personam & proprietatem, & sic reali distinctione distingui debent: consequentia patet, quia nihil est ponendum in summo bono, quo non posito, nihil perfectionis deficit in vniuerso. Hoc argumento solent Theologi vti circa pluralitatem personarum, quia posita vna tantum persona in diuinis, nihil perfectionis deesset in vniuerso: probatur, quia quicquid imperfectionis simpliciter & in omnibus personis reperitur, in vna tantum reperitur, & ideo subtractis duabus, remanet omnis perfectio in vna tantum. Respondent aliqui, quòd non est omnis perfectio sub omni modo, quia in vna persona est vno modo, & in alia alio modo. Sed contra, quia iste modus habendi, vel essendi, aut est perfectio, aut non; si sic, erit in Deo, & per consequens vna persona non erit simpliciter perfecta, quia non habebit illum modum: si non, ergo stat argumentum, quòd nihil perfectionis deperditur ab vniuerso, amotis duabus personis. Sed respondetur ad primum argumentum de identitate, quod ea remota inter personam, & proprietatem ponitur imperfectio in Deo, quia esset ibi compositio ex consequenti imperfectio, & propterea non distinctione reali, sed rationis (vt dictum est) personam & proprietatem necesse est distingui. Ad secundum, quod est circa pluralitatem personarum, dicitur, quòd si in maiori intelligatur conditio possibilis, est vera, sed minor falsa, quia nulla positione possibili posita possunt amoueri duę personę, & vnam poni in diuinis, quia cùm sit vna persona, necesse est aliam esse. Et ad probationem, quòd si deessent duæ, tota perfectio esset in vna tantum, Respondetur, ꝙ hoc implicat contradictionem. s. ponere Patrem tantum, & non ponere Filium, & Spiritum sanctum. Et propterea illa propositio est falsa, & illud tantum ponendum est in summo bono, quod non potest poni non esse sine positione incompossibili, & quia incompossibile est ponere vnam personam cum omni perfectione, semouendo alias personas, præsertim cùm natura relatiuorum sit vt posito vno, ponatur aliud, ideo &c.

Ex rationis distinctione inter personam, & proprietatem, haud perfectio Deo deest.

Dubium est de anima, qua distinctione distinguitur à seipsa, prout est in toto corpore, & in singulis eius partibus. Respondetur, quòd distinguitur distinctione modali, quia cùm anima requirat diuersitatem in partibus, non eodem modo comparatur ad totum & ad partes, sed ad totum quidem primo, & per se, sicut ad proprium & proportionatum perfectibile, ad partes autem per posterius, secundùm quod partes habent ordinem ad totum. Et ex hac veritate soluitur illud dubium, quòd idem indiuisibile quiesceret & moueretur, quia anima cùm sit quoddam indiuisibile existens, verbi gratia in capite, quod mouetur, & existit etiam in manu, quod quiescit, sequitur, quòd eadem anima mouetur in capite, & quiescit in manu. Ad hoc enim neganda est consequentia, quia anima non mouetur, neque per se, neque per accidens, ad motum vnius tantum partis, sed totius, sicuti proprij & primo proportionati perfectibilis. Et ratio est, quia in nulla parte est definitiuè, idest ita in ea, quod non in alia, spirituale enim non mouetur per accidens, nisi ad motum illius in quo est definitiuè: & propter istam etiam rationem Angelus non mouetur ad motum cœli, quamuis moueretur ad motum eius, si totum cœlum mutaret locum subiecto.

Idem à seipso modaliter distingui in singulis, verè deducitur.

Quod per accidens ratione totius animæ cõuenit, id per partes, siue ratione partis negatur.

Et si quis diceret, Posito, quòd anima sit in pede tota, sequitur, quòd pes intelligat: probatur consequentia, quia vbi est tota essentia animæ, ibi est totus eius intellectus, & voluntas, ex consequenti operatio intellectus, & voluntatis, aliter ibi esset frustratoria. Respondetur ex eadem doctrina, quòd plus requiritur ad hoc quod corpus aliquod denominetur intelligens & volens, quàm quod sit compositum ex anima intellectiua, & corpore: exigitur enim, quod ly corpus, supponat pro corpore primo perfectibili, ab ipsa anima, quoniam oportet esse animal, & suppositum quoddam, id quod intelligit, tale autem non est pes, aut manus, sed totus homo, puta Sortes.

Difficillima, quæ militant dubia, de anima existentia totali, in toto, & in partibus, hic soluuntur.

Et si quis etiam instaret, quòd in vno homine essent plures animæ, vel quod vna anima erit & non erit, quia posito, quòd ab aliquo homine abscindatur tibia, aut brachium, tunc corrumpitur anima existens in tibia, & brachio, & alia remanet, vel vna met desinit esse cum tibia abscissa, & remanet in alijs partibus corporis. Sed respondetur, quòd si abscinditur tibia, anima non desinit esse, sed desinit informare, & perficere tibiam, & perficit reliquam partem corporis, in quo restant principalia membra, & illud corpus, quòd remanet, vocatur colobon, idest truncatum, vt docet Aristoteles 5. Metaphys. tex. 32.

Colobon quid est.

Regula Topica.

Sed contra istam communem responsionem instatur, quia ex hoc sequitur, quòd anima, quæ cessando informare, & perficere partes abscissas à corpore, efficiatur vigorosior, & densior, ac potentior. Probatur consequentia, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, & maximè ad maximum, & è contra; cùm ergo anima totaliter separata à corpore sit vigorosissima, ergo si separatur ab aliquibus partibus corporis, erit non ita vigorosa; & si separabitur ab vna, nec ita potens erit: igitur quando ponitur, quod ex toto informat corpus, non erit ita etiam fortis, & valens; & quando incipit per oppositum separari ab vna parte corporis, incipit etiam vigorari; & quando separabitur à pluribus partibus corporis, magis vigorabitur, ergo de primo ad vltimum, anima, quando cessat informare, & perficere tibiam abscissam, sequitur, quòd ipsa in sua essentia vigorabitur. Sed respondetur breuiter, quòd hoc non est per se, sed per accidens, ratione partis corporeæ, quæ deficit: vnde videmus, quòd si aliquis efficitur cęcus in vno oculo, alius oculus videtur acquirere maiorem virtutem videndi.

Monoculus quomodo videat.

Patet ergo responsio ad principale quęsitum, qua distinctione distinguitur anima à seipsa, prout est in toto corpore, & in partibus eius, quia distinctione modali: & hoc est de mente Augustini in 6. de Trin. cap. 6. vbi dicit, quòd anima in quocunque corpore, & in toto est, & in qualibet eius parte tota, non eodem modo: & S. Thom. p. p. q. 76. art. 8. & quod verba August. intelliguntur non de totalitate quantitatiua, aut potentiali, sed essentiali, vt albedo est in superficie.

DVbium est de Sacramentis Ecclesiæ, qua distinctione distinguuntur. Et Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali, vt colligitur ex Doctore Angelico 3. p. q. 65. at. 1. quia Sacramenta ipsa vel accipiuntur per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum, & pœnalitatum, & sic Fidei respōdet Baptismus, & ordinatur contra culpam originalem, Spei Extrema vnctio, & ordinatur contra culpam venialem; Charitati, Eucharistia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ; Prudentiæ, Ordo, & ordinatur contra ignorantiam; Iustitiæ Pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale; Temperantiæ, Matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam; Fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem. Vel, Baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis; Confirmatio contra infirmitatem animi, quę in nuper natis inuenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; Pœnitentia contra actuale peccatum post Baptismum commissum; Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quæ scilicet non sunt sufficienter sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia; Ordo contra dissolutionem multitudinis; Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personarum, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Vel, sicut homo in vita corporali, ita in vita spirituali, nascitur per Baptismum. Secundo, in vita corporali homo augetur, sic & in vita spirituali augetur etiam per Confirmationem, in qua datur Spiritus sanctus ad robur. Tertio, homo per nutritionē conseruatur in vita corporali: & sic in vita spirituali conseruatur per susceptionem Eucharistię. Quarto, homo aliquando in vita corporali infirmatur, & ad recuperandam sanitatem, datur medicina, sic & in vita spirituali, quando infirmatur per peccatum, datur medicina, quæ est Pœnitentia. In vita quoque corporali, vt conseruetur in sanitate, ordinatur dieta, & exercitium: & loco huius in vita spirituali est Extrema vnctio, quę remouet reliquias peccatorum. Sexto, aliquando homo in vita corporali accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos: & loco huius in vita spirituali ponitur sextum Sacramentum, quod est Sacramentum Ordinis. Postremo, homo in vita corporali naturaliter generat sibi simile: vt actus iste generationis, & propagationis fiat sine peccato, in vita spirituali ponitur Sacramentum Matrimonij. Et sic patet septem esse Sacramenta Ecclesiæ, & distingui distinctione reali ab inuicem, & inter se.

Sacramenta Ecclesiæ, quare sunt septē.

Vita spiritualis, & corporalis, quomodo proportionantur.

DVbium est de tribus illis Baptismatibus, qua distinctione distinguuntur. Respondetur, vt colligitur ex D. Tho. 3. p. q. 66. ar. 11. quòd distinguuntur distinctione reali, nempe tria illa Baptismata, scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis: quandoquidem per Baptismum aliquis incorporatur passioni & morti Christi, iuxta illud Apost. ad Rom. 9. Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum eo, vnde quicunque baptizatur, communicatur ei passio Christi ad remedium,

Tria sunt Baptismata, fluminis, flaminis, & sanguinis.

remedium, ac si ipse passus sit debitè pro peccatis, & si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. Hæc autem communicatio potest fieri per Baptismum fluminis, seu aquæ, iuxta illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Secundò potest communicari passio Christi alicui per Baptismum sanguinis, iuxta illud Apoc. 7. Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni; quæ verba considerans B. Aug. 4. lib. de vnico Baptismo paruulorum, dicit, Baptismi vicem, aliquando implere passionem, vt patet de latrone illo, cui non baptizato dictū est, Hodie mecum eris in Paradiso. Tertiò potest alicui communicari passio Christi per Fidem, & confessionem cordis, quæ vocatur Baptismus pœnitentiæ, seu flaminis; tali enim, vel propter angustias temporum, vel propter aliquam aliam causam non potest succurri ad celebrandum mysterium Baptismi, quia preuenitur morte, antequā ipsum suscipiat; propter tamen dilectionem, & desiderium ipsius Baptismi, quæ dilectio procedit ex Fide per quam Deus interius illum sanctificat. Et quia Dei potentia non est alligata visibilibus Sacramentis, regeneratur corde, licet non corpore, vt docet Beatus Ambrosius de Valentiniano, qui Cathecuminus mortuus fuit, Quē regeneraturus eram, dicit B. Amb. amisi, veruntamen ille gratiam quam poposcit, non amisit. Ex quo discussu apparet, hęc tria Baptismata esse diuersa, & distincta reali distinctione, quod est responsio ad dubium propositum.

Communicatio passionis Christi, quomodo fit.

Valentinianus cathecuminus, fuit saluus.

Dubium est de sensibus sacrę Scripturæ. s. literali, allegorico, morali, & anagogico, quā distinctione distinguuntur. Respondet S. Tho. quodlib. 7. ar. 15. q. distinguuntur distinctione reali; quæ distinctio hoc modo accipi debet, quia Scriptura sacra est ordinata diuinitus, vt per eam nobis manifestetur veritas necessaria ad salutem, hęc autem veritatis manifestatio fieri potest de aliquo, rebus, & verbis: manifestatio autem, quę fit per verba facit sensum literalem, siue historicū. Totum ergo illud pertinet ad sensum literalem, quod rectè accipitur ex ipsa significatione verborum. Sensus verò spiritualis consistit in hoc, quod quædam res exprimuntur per figuram aliarum rerum (semper enim visibilia solent esse figurę inuisibilium) & inde est, quòd sensus iste, qui ex figuris accipitur, vocatur spiritualis. Sed veritas, quam sacra Scriptura tradit per figuras rerum, ordinatur ad duo, scilicet ad rectè credendum, & ad rectè operandum. Si ad rectè operandum, sic est sensus moralis, qui alio nomine Tropologicus dicitur, & est respectu eorum, quę facta sunt in Christo, vel in his quę Christum significat; illa enim sunt signa eorum, quę nos agere debemus. Si verò ad rectè credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium, quia status Ecclesię est medium inter statum Sinagogæ, & Ecclesiæ triumphantis; & propterea Vetus Testamentum fuit figura Noui Testamenti, sed vetus, & nouum, simul sunt figurę coelestiū: sensus ergo spiritualis ordinatus ad rectè credendū, potest fundari in illo modo figurationis, quo vetus Testamentum figurat nouum; & sic est sensus Allegoricus, vel Typicus, secundum quod ea, quæ in veteri Testamento contigerunt, exponuntur de Christo, & Ecclesia. Vel potest fundari in illo modo figurationis quo nouum simul & vetus significant Ecclesiam triumphantem; & sic est sensus Anagogicus. Vnde efficiuntur quatuor isti sensus expressi per hunc versum,

Littera gesta docet, quid credas, Allegoria,
Tropologia quid agas, quo tendas, Anagogia.

Allegoria dicitur sermo figuratiuus, Anagogia sermo superior, Tropologia est sermo moralis, quia tropus idem est, quòd modus quidam. Ex his apparet, quā distinctione sensus isti distinguuntur, quia distinctione reali, vt dictum est, &c.

Finis sacræ Scripturæ, quis est.

Quatuor sensus Scripturæ qui sunt.

Dubium est de vita contēplatiua, & actiua, qua distinctione distinguuntur. Resp. vt colligitur ex S. Tho. 2. 2. q. 182. per totam, q. distinguūtur distinctione reali, quēmadmodū diuina, & humana: nam vita contemplatiua est secūdum diuina, vita autē actiua est secundum humana. Probat hoc S. Tho. ex Augustino in lib. de verbis Domini, vbi dicit, In principio erat Verbū. Ecce quod Maria audiebat, Verbum caro factū est. Ecce cui Martha ministrabat. Et pręsertim, quia vita contemplatiua conuenit homini secundum illud, quod est optimum in ipso, scilicet secūdum intellectum, & respectu propriorum obiectorum. s. intelligibilium. Vita autem actiua occupatur circa exteriora: vnde Rachel per quam significatur vita contemplatiua, interpretatur visum principium; Vita autem actiua significatur per Lyam, quæ erat lippis oculis.

Maria & Magdalena quid significant.

Et hinc

Maior est delectatio in vita contemplatiua, quàm in actiua.

Et hinc etiam est, quod vita contemplatiua potest esse magis continua, licet non quantum ad summum gradum contemplationis: vnde Maria per quam significatur vita contemplatiua, describitur secus pedes Domini assiduè sedens; & propter hoc est maior delectatio in vita contemplatiua, quàm in vita actiua, vt dicit B. Augustinus, quòd Marta turbabatur, iuxta illud, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima, Luc. 10. Maria verò epulabatur; & propterea dicitur de ea, quòd optimam partem sibi elegit. Et cùm vita contemplatiua directè, & immediatè pertineat ad dilectionem Dei, vita autem actiua directius ordinetur ad dilectionem proximi, sequitur, quòd contemplatiua sit maioris meriti, quàm actiua, quę etsi habeat finem in exterioribus actibus, qui quidem relati ad quietem contemplationis, iam pertinent non ad vitam actiuam, quæ in præsenti seculo aufertur, sed ad vitam contemplatiuam, quæ hic incipitur, & in cœlesti patria perficitur, in qua nec occupatio externorum actuum cessabit, & ibi vacabimus Deo, & videbimus, & amabimus, & laudabimus ipsum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur in secula. Ex his apparet has duas vitas. s. actiuam & contemplatiuam reali distinctione distingui.

Concluditur ex dictis, realis inter vtramque vitam distinctio.

Difficillimum inter Thomistas nedũ inter exteros ponitur, et Catholicè soluitur dubium.

Fundamẽtaliter ratio Caie. de hoc Deo.

Dvbium est de hoc Deo, quem ponit Caietanus communem tribus diuinis personis, p. p. S. Tho. q. 3. ar. 3. qua distinctione distinguitur ab ipsis diuinis personis. Et respondetur ex verbis S. Thomæ ibidem, quòd distinguitur distinctione, quæ est in acceptione nostri intellectus, & non distinctione aliqua pertinente ad diuersitatem rei: & ratio est, quia in diuinis, secundùm sententiam Caietani, qui ponit concretum illud quod vocatur hic Deus, præintelligitur à nobis ante personas: quia in diuinis ea quæ communia sunt secundùm rem, præcognoscuntur à nobis ante cognitionem incommunicabilium, & notionalium, sed concretum hoc, quod est hic Deus, est commune secundùm rem, personæ verò sunt incommunicabiles, ergo necessariò præcognosci debet hic Deus, ante Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Cognouerunt Philosophi hunc Deum, nõ autem personarum Trinitatem.

Quod autem hic Deus sit communis secundùm rem, ex eo apertè infertur, quia dicitur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Pater enim est hic Deus, sic Filius, & Spiritus sanctus. Quod autem sit communicabilis, patet ex hoc, quia sumitur ab hac Deitate existente, quæ etiam est communicabilis tribus personis. Adde etiam, quia omnia absoluta præintelligi possunt ante personas, sed hic Deus est quid absolutum, & terminus essentialis; immo ratione naturali constat esse hunc Deum singularem, & hoc existens in natura diuina, igitur præcognosci potest ante personas 1 maior patet, quia absoluta sunt essentialia, quę præintelliguntur personalibus, & est ratio S. Thomæ, 1. par. q. 39. art. 4. Ex quo sumitur, quòd hic Deus, cùm sit communis secundùm rem tribus diuinis personis, existit, & subsistit communicabiliter, ad differentiam diuinarum personarum, quæ existunt, & subsistunt relatione incommunicabiliter.

Sed contra hanc veritatem adsunt multi, abhorrentes hunc modum loquendi Caietani, inter quos est Bartholomęus Spina in tractatu suo de hoc Deo, qui dicit periculosum esse hunc modum loquendi, quia ex hoc modo loquendi sequitur dari quaternitatem in diuinis, quod est hæreticum. Deinde, nouæ locutiones semper fugiendæ sunt in materia de Trinitate, modò dicere esse quatuor subsistentias in diuinis, est dicere, & ponere quaternitatem, igitur fugiendus est modus iste loquendi, tanquam perniciosus. Nec valet responsio, quòd hic Deus est persona incompleta, quia implicat ponere personam sine complemento, sicut implicat esse hominem sine rationalitate, erit igitur implicatio in adiecto, dicere indiuiduum Deitatis esse personam incompletam, sicuti asserere Petrum esse hominē irrationalem. Deinde, non potest subterfugi, quin ibi non sint quatuor supposita, tria completa, & vnum incompletum. Sed ad hoc de facili responderet Caietanus, dicendo, quòd persona, seu suppositum est duplex, Alterum logicum, quod nihil aliud est, quàm id pro quo supponit terminus aliquis, secundùm quam acceptionem adhuc diuina essentia suppositum appellatur: Alterum dicitur suppositum physicum seu reale, quod est singulare incommunicabile, quale in Deo est Pater, vel Filius, seu Spiritus sanctus: Loquendo ergo de supposito logico, indiuiduum illud hic Deus suppositum dicitur, sed non physicum & reale, cùm deficiat ei incommunicabilitas: propterea dicitur persona illa incompleta, quia habet omnes cōditiones personę pręter vltimam: est enim substantia, indiuidua, completa, subsistens, nomine rationalis, præter incommunicabilitatem. Quibus stantibus, soluuntur argutię Bartholomęi Spinæ, negando, quod sequatur dari quater-

Subtilissimè defenditur Caietan. ex Bartholomæi Spinæ calumnia.

Perpende distinctionẽ inter suppositũ logicum, & physicum.

quaternitatem in diuinis, quia non sunt nisi tres personæ relatæ, & completæ, hic Deus non est persona relata & physica, sed absoluta & logica. Ad secundam etiam negatur, quòd sit nouus modus loquendi & periculosus; immò antiquus & verissimus, quia habetur Exod. 3. Qui est misit me ad vos: & in Psalmo, Iste est Deus meus, & glorificabo eum. Ponit etiam hanc veritatem S. Thom. p. p. q. 3. ar. 3. & q. 39. ar. 4. vbi dicitur, quòd in Deo est essentia, hic Deus, & tria supposita relata, scilicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Et est etiam hæc veritas conformis dictis Conciliorum, Calcedonensis, & Florentini, & Sanctorum Patrum, vt latius ostendimus in dilucidationibus nostris 1. Met. dilucidat. 3.

DVbium est qua distinctione distinguuntur existentia, & subsistentia in diuinis. Ad quod non potest simplici responsione satisfieri, quia aliqui, vt est Alexand. Alensis 3. p. q. 2. memb. 3. & Bonauent. & Ricard. 3. sen. d. 5. existimant ponẽdas esse tres subsistentias relatiuas, iuxta numerum proprietatum constituentium personas; illam verò subsistentiam communem & absolutam, nullo modo dicunt ponendam esse; & sic dubium hoc est nullum apud istos. Aliqui dicunt, vt est Dur. 3. sent. dist. 1. q. 2. quem videtur sequi Capreolus eadem distinctione, q. 1. ar. 3. ad 4. Dur. & Palud. ibidem, q. 2. hi enim volunt in Deo solum esse vnicam subsistẽtiam, sicut vnicam essentiam: ita quod quemadmodum in tribus diuinis personis includitur essentia formaliter, & nõ multiplicatur multiplicatis personis, sic est de subsistentia, quæ est vna communis, & multiplicatis personis, & relationibus, ipsa non multiplicatur, sed remanet vna sicuti essentia. Tertia est sententia Caietani, quam semper ego sequutus sum, & docui in scholis publicis, præsertim Taurini, Patauij, Romę, & in studio Neapolitano, in quo quinquies interpretatus sum tractatum de sanctissima Trinitate, cùm essem Regens, & exponens ar. 4. q. 39. ostendi præter subsistentias tres relatiuas, esse aliam subsistentiam, & existentiam absolutam, quę est ipsa natura diuina subsistens ante personas, de qua verificantur istæ propositiones, Deus creat, Deus gubernat, Deus elargitur gratiam: vnde Athanas. Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, non tamen sunt tres Dij, sed vnus est Deus, qui est ipsa existentia & subsistentia absoluta. Et secundùm hanc veritatem dico ad dubium, quòd existentia & subsistentia in Deo non distinguuntur nisi distinctione grammaticali: & hoc est de mente Caiet. 3. p. q. 2. in sol. 3. arg. & p. p. q. 3. ar. 3. & 4. & q. 39. art. 4. & sic etiam dicimus in rebus creatis subsistentiam & existentiam, seu existere & subsistere distingui sola grammaticali distinctione, contra Scotum 3. sen. d. 1. q. 2. ponentem hæc talia distingui distinctione reali: propterea docet in Christo Domino esse aliud subsistere, & aliud existere, quia hoc est creatum, illud increatum: nos autem ponimus tantum vnum existere, quod est ipsius diuini Verbi, & subsistere, quia non sunt multiplicãda entia sine necessitate. Et ex hoc arguendus est etiam Hieronymus de Larua Toletanus, qui etiam voluit distinguere inter subsistentiam & existentiam in Deo, dicit enim esse ibi vnam existentiam absolutam, & tres subsistentias relatiuas, quia subsistentia est constitutiua personę, tanquam eius vltimus actus. Sed contra opinionem huius Doctoris plura diximus in nostris quolibetis, aduersus omnes octo illas controuersias scholasticas, quas Doctor iste Hieronymus miscuit cum octo controuersijs positiuis, Romæ impressis, ex Typographia Vincentij Accolti, & ostendimus multa ibi falsa misceri, & non esse dicta ad aures S. Thomę, cuius doctrinam ipse profiteri fatetur.

Tres sunt relatiuæ subsistentiæ in Deo, vna verò absoluta.

Existere, & subsistere in Deo, & creaturis, grammaticaliter distinguuntur.

Vnum est tantum existere, & subsistere in Christo Domino.

DVbium est de Ideis, qua distinctione distinguuntur inter se, & à diuina essentia. Et respondetur, quòd circa hoc dubium sunt variæ sententiæ Theologorum: nam aliqui dicunt ideam esse ipsam quidditatem creaturæ cognitam ab intellectu diuino: quę opinio est falsa, quia sm̃ B. Aug. Idea est principium producendi creaturam, sed creatura cognita, vel non cognita, non est principiũ producendi seipsam; igitur hęc opinio stare non potest. Aliqui dicebant, ideam esse actum intelligendi, cùm sit ratio rei cognitæ: quorum et opinio stare non potest, quia idea est exemplar ad cuius imitationem artifex producit alterum, sed exemplar ad cuius imitationem artifex agit, non est actus intelligendi eius, non enim dicimus, quòd exemplar sm̃ cuius imitationem pictor facit imaginem, vel scriptor facit librum, sit eius actus intelligendi: igitur opinio hæc stare non potest. Propterea fuerunt aliqui, qui dixerunt, ideã formaliter esse respectũ quendam, quandoquidem omne quod est in Deo, aut dicit respectiuum, aut absolutũ, sed idea non potest dicere absolutum, quia absoluta non multiplicantur in Deo, sicuti ideę,

Quid circa Ideas multi sint opinati.

igitur

igitur dicit respectum. Sed neque opinio hæc stare potest, quandoquidem Auctores huius positionis ponunt ideam esse principium & causam ideati, sed respectus formaliter non habet rationẽ principij vel causæ, igitur error est dicere, ideam esse formaliter respectũ.

Ratio principij respectiui formaliter repugnat omni secluso absoluto.

Hinc nõnulli alij voluerunt, ideam esse essentiam diuinam secundùm rationẽ absolutam, quia idea est principium ideati, sed hoc conuenit diuinæ essentiæ secundùm rationẽ absolutam, & non secundùm rationem respectiuam, igitur idea ipsa erit diuina essentia sm̃ absolutam rationem. Sed neq; iudicio meo sententia istorum stare potest, quia essentia diuina; aut secundùm eandem rationem est ratio cognoscendi seipsam, & cognoscendi creaturas, aut secundùm aliam; si secundùm eandẽ rationem, Tunc argumentor sic, quia essentia diuina est ratio cognoscendi creaturam vt idea, & secundùm istos secundùm eandem rationem est ratio cognoscendi seipsam & creaturam vt idea, ergo ipsa est ratio cognoscendi seipsam, & sic respectu essentiæ diuinæ erit idea in Deo, quod est absurdum.

Impugnatur ideam esse diuinam essentiam, secundũ absolutam rationem.

5 Verùm quia studium Philosophiæ non est ad hoc ordinatum, vt sciatur quid homines senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum; propterea non est nobis curandum quicquid horum sit, sed quomodo se habeat veritas ipsa. Et propterea dicendum est, vt dicit S. Tho. q. 15. ar. 2. p. p. Ideam esse essentiam diuinam, imitabilem exemplariter: vnde ipsa idea duo dicit, absolutum quod est ipsa essentia diuina, & respectũ imitabilitatis; & hinc est, quòd Deus, quia perfectissimè intelligit essentiam suam, ideo intelligit eam, vt tot modis imitabilem, & hoc est ponere plures respectus ideales, & intelligi plures ideas, vt sunt rationes aliorum, & intelligere creaturas distinctè in essentia diuina sibi obiecta, & ponere plures ideas non vt quibus Deus intelligat creaturas, quia eę quibus intelligens intelligit, important principium formale intellectionis, vt ars est principium qua artifex operatur, sed sunt plures ideæ, vt id quod à Deo intelligitur in actu exercito, tanquam obiectum, & terminus intellectionis: nam sicut aliud cognitum est punctum vt principium, & aliud vt finis, sic essentia diuina, vt imitabilis ab Angelo est vnum cognitum, vt verò est imitabilis ab homine, est aliud cognitum, & sic de alijs. Ex quibus apparet solutio ad dubium, quod distinguuntur distinctione rationis relatiua, eo modo quo nomina aliqua significant absolutum & relatiuum, puta Saluator, & gubernator, & non distinctione reali, aut ex natura rei, vt aliqui imaginati sunt.

Profunda & vera declaratio positionis S. Th. de ideis.

Obiectiuè, & terminatiuè sunt plures ideæ in mente diuina.

DVbium est de cõcurrentibus ad intellectionem qua distinctione distinguantur. Et breuiter, omissa opinione negantium species ad intellectionem necessariò requisitas, Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali realitate essentiæ, non autem existentiæ. Sex enim necessariò in perfecta intellectione reperiuntur: nam primo intellectus ad intelligendum, ex obiecto mouetur, ac per hoc primum requisitum est obiectum mouens, & imprimens, Secundo est ipsa species impressa, Tertio est actus intelligendi, Quarto est ipsum obiectum intellectum in seipso, Quinto est obiectum ipsum vt exemplar, quatenus in alterius naturæ cognitionem ducit, Postremo est ibi cognitio, qua tale obiectum prout ducit in cognitionem alterius, cognoscitur; veluti quando supra cognitionem suam reflectitur intellectus. Hec igitur sex ad intellectionem necessariò requisita distinctione reali realitate essentiæ distinguuntur.

Sex ad intellectionem necessariò concurrunt.

Et quia iampridem huic primo tractatui Formalitatum desiderabamus finem imponere, ideo receptui canendum est, Deo glorioso, & Sancto Doctori gratias exhibentes, qui nos ad finem illius, continentis triginta tria capita, ad instar triginta trium annorum Christi Saluatoris, & Domini nostri, suo cœlesti munere perduxerunt. Rogamus autem beneuolos Lectores, vt si quid boni ac recti, in hoc primo tractatu, & in cæteris subsequentibus inuenerint, Deo Optimo Maximo bonorum omnium auctori acceptum referant; si quid autem peccatum est, aut minus rectè dispositum, nobis benignè indulgeant, ignemq; charitatis assumant, quandoquidem semper nobis cordi fuit (quod ore, scriptoq; protestati sumus) nolle vllo pacto nos à sacris orthodoxæ Fidei, Sanctęq; Romanæ Ecclesiæ, atque Doctorum ipsius dogmatibus, vel latum vnguem discedere. Quare & nos, & vniuersa nostra, siue scripta, siue ore prolata, eorum omnium, necnon & aliorum rectius sentientium, iudicio submittimus.

Explicit Primus Tractatus, qui de Formalitatibus dicitur, per eximium Theologiæ Magistrum, Matthiam Aquarium collectus, iuxta S. Th. doctrinam.

INCIPIT SECVNDVS TRACTATVS FORMALITATVM,

De Significationibus Terminorum, ex Doctr. S. Thomæ.

DE LITERA A.

A Nomen est litteræ primæ Hæbreis, Græcis, & Latinis, quæ a Cicerone salutaris litera dicitur. Et Sanctus Thomas quarto libro sententiarum, distinctione prima, quæstione prima, articulo quarto, ad primam quæstiunculam, in qua disputat, num Sacramenta nouæ legis sint causa gratiæ? dicit, quòd hæc propositio A; denotat principale agens, sed ista propositio per, denotat causam instrumentalem, vnde homo non quærit salutem in Sacramentis quasi ab eis, sed per illa a Deo. Et Saluator noster apud Ioannem cap. 11. dicit, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &c.

Ex propositionum distinctione variatur loquutio.

Ab, De ista propositione loquitur Auerroes 1. Physicorum, tex. 58. asserens, notare causam efficientem potius, quàm subiectum & oppositum: vnde 1. cœli, commento 20. dixit, corpus gloriosum non est generatum ab aliquo. Aliqui volunt aliquando dicere habitudinem causæ materialis, vt hoc fit ab hoc; aliquando formalis, vt homo est ab humanitate; aliquando principiantis ad principiatum, vt initium alicuius libri, est ab auctore, &c.

Immo ex eiusdem propositionis diuersimodè applicata variatur.

Abba, Sanctus Thomas in expositione Epistolæ Pauli ad Rom. cap. 8. ait, quòd est nomen Hæbreum, Pater verò Latinum, vel Græcum. Et Apostolus loquens de Spiritu sancto, geminauit hæc duo dicens, In quo clamamus Abba Pater, vt ostendat ad vtrunque Populum pertinere: vnde & Dominus apud Marcum dixit, Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi. Caietanus ibidem ait, Abba, Syra dictio est, Pater verò Latina, ex Græcis tamen mutuata, & idem significant; & quia Pater est casus nominatiui, rationabile est vt Abba quoque sit casus nominatiui. Sed melius ego dicerem cum S. Thoma, quàm cum Caietano, quòd Abba sit dictio Hebraica, & non Syriaca, quia Christus loquebatur suis Apostolis Hebraicè, & non Syriacè, &c.

Abyssus, Loquens Sanctus Thomas de hac dictione 2. sententiarum, distinctione 12. in fine, in expositione textus Magistri super illis verbis, Ideo dicit tenebras fuisse super faciem abyssi, quia nondum erat lux, ait Sanctus Thomas, quod materia prima dicitur abyssus ex hoc, quod est turpis per accidens, Abyssus enim dicitur ab A, quod est sine, & bisso, quod est genus lini candidissimi, idest sine candore: & hoc accidit materiæ ratione priuationis. Vel dicitur abyssus, quasi sine basi, de aliqua magna profunditate, & præcipuè aquarum: & sic etiam materia prima abyssus dicitur, inquantùm priuatur forma, per quam esse substantificum recipit, hinc dicitur abyssus insatiabilis, vt animus auarorum, secundo imperscrutabilis, vt diuina essentia, tertio inexhauribilis, vt est abundantia doctrinæ alicuius Doctoris: & sic Sanctus Thomas dicitur abyssus propter plenitudinem

Abyssus, quia non vno modo dicitur, bene, & male interpretatur.

tudinem scientiarum, & sic abyssus abyssum inuocat, idest S. Thomas inuocat videre diuinam essentiam, licet exponatur hæc sententia aliquando in malum, quod abyssus, idest iudicium conscientiæ inuocat ire ad iudicium damnationis, &c. vel peccatum mortale inuocat infernum in eius pœnam, &c.

Aborsus, Sanctus Thomas 4. sententiarum, distinctione 31. in expositione literæ, super illis Verbis, Qui verò venena sterilitatis procurant, & ait, hoc peccatum quamuis sit graue inter maleficia computandum, & contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant, tamen est minus, quàm homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus: nec est iudicandus talis irregularis, nisi iam formato puerperio aborsum procuret. Sic etiam Caietanus in Summula ait, quòd aborsus voluntarius, est peccatum homicidij, perfecti quidem, si fœtus erat animatus anima rationali, quia tunc occiditur homo, non qui est, sed qui generabatur, qui non est adhuc actualiter homo; & est peccatum mortale, quia quantum in se est, ad hoc tendit, vt tollat vitam hominis iam inchoatam; non tamen incurritur irregularitas, quia non est adhuc actualiter homo, qui occiditur. Et hæc est communis opinio omnium Doctorum.

Abrenunciatio diuitiarum propriarum, comparatur ad eleemosynarum largitionem, sicut vniuersale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium: vnde Beatus Gregorius dicit super Ezechiel. quod illi, qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt, quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant: qui verò nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod est maius sacrificio. Vnde & Hieronymus contra Vigilantium, dicit, Quod autem asseris, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, non à me eis, sed à Deo respondetur, Si vis perfectus esse, &c. Et postea subdit, Iste quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertijs præferenda. Et ideo ad excludendum errorem Vigilantij, dicitur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius pro intentione sequendi Dominum, simul donare, & absolutum in solitudine egere cum Christo. S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 3. ad 6. & 1. 2. q. 102. ad 8.

Mira voluntariæ paupertatis laus.

Abscondere, Declarat Sanctus Thomas opusculo 58. cap. 8. quòd homo iustus potest se abscondere propter tria, Primo, vt persequutor quiescat, Secundo, vt præceptum à Domino opus perficiat, Tertio, vt gloriosiorem coronam acquirat: & sic aliqui Sancti virtuosè absconderunt suam personam a furore persequutorum; aliquæ mulieres absconderunt pulchritudinem corporalem ab inspectione stultorum; alij verò iusti absconderunt intentionem bonorum operum ab humano fauore: vnde scribitur Ecclesiast. cap. 43. Multa abscondita sunt maiora ijs, pauca enim vidimus, &c.

Ex his quæ negatiuè, & positiuè includit actus Fidei licet quandoq. à Tyranno abscondi.

Absoluere, De hoc Sanctus Thomas 4. sententiarum, distinctione 19. quæstione 1. ad primum, dicit, Absoluere à peccatis, requirit duplicem potestatem, scilicet Ordinis, & Iurisdictionis: prima quidem potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda: & ideo, vbi Dominus, Ioan. 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur Ordinem: vnde & Sacerdotibus quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro dedit singularem potestatem remittendi peccata. Matth. 16. vt intelligatur, quod ipse pro alijs habet potestatem Iurisdictionis. Potestas autem Ordinis quantum est de se, extendit se ad omnes absoluendos; & ideo indeterminatè Dominus dixit, Quorum remiseritis peccata, intelligens tamen, quod vsus illius potestatis esse haberet præsupposita potestate Petro collata, secundùm ipsius ordinationem. Ex his accipe, quòd absolutio, Alia est sacramentalis; & consistit (vt in Concilio Florentino sub Eugenio Quarto legitur) in his verbis, Ego te absoluo: vbi non est necessarium illud pronomen Ego, quia subintelligitur in ly absoluo: & licet sufficiat dicere, absoluo te, decet tamen quædam antecedentia & consequentia apponere, dicendo, Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatę Marię semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum. Alia est absolutio iudicialis in foro Ecclesię, de qua idem S. Thomas ait in opusculo 22. cap. 2. in principio illius cap. quòd

Ordinis potestas, non autẽ iurisdictionis, æqualis est in omnibus Sacerdotibus.

Duplex absolutio, sacramentalis, & iudicialis.

absolutio

absolutio ab excommunicatione nõ est sacramentalis, sed magis iudiciaria, iurisdictionem consequens, & non habet præscriptam formam verborum, sicut absolutio sacramentalis. Et potest impendi ab eo qui tulit eam, quia potens ligare, potest etiam soluere. Secũdo, ab eius successore, vbi lator esset mortuus, vel amotus, 11. quæst. 3. Si Episcopus. Tertiò, quando excommunicator est suffraganeus, impendi potest ab Archiepiscopo nõ indifferenter, sed si ad eum fuerit appellatum, & hoc vocatis partibus, & cognito de appellatione, vt in cap. Romana, de appell. lib. 6. & extra eo venerab. vel si hoc habet consuetudo, aut excommunicator negligenter, vel malitiosè differat absolutionem, vel in alijs casibus in quibus iudicare potest de subditis suffraganeorum, quos habes 1. tit. Archiepiscopus, §. 1. Et si absoluit in casu non concesso, absolutio non valet, quia est à iudice non suo, vt cap. pastoralis, de off. ord. Quarto generaliter a superiore excommunicatoris: si tamen habet iurisdictionem, & plenam potestatem, super excommunicatum, quò vt ipse excommunicator, sicut si Sacerdos parochialis, vel Archidiaconus, vel alius subditus Episcopo ex consuetudine, vel ab alio iure, suum subditum excommunicauit, quamuis non deceat Episcopum irrequisito Sacerdote illũ absoluere, hoc tamen potest: & si absoluit, absolutus est, secundùm Innocen. vt cap. Cum ab ecclesiarum, de officijs ordinarijs. etiam satisfactione non præmissa, quia Episcopus est ordinarius totius diocœsis, tam laicorum, quàm clericorum. Quædam absolutio est satisfactoria in foro iudiciali, & est, quando quis tenebatur soluere aliquam quantitatem pecuniæ, qua soluta, dicitur esse absolutus ab illo debito. Aliqua absolutio dicitur esse deprecatoria, vt est illa, quam facit Sacerdos in Missa, quando dicit, Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, &c. Alia est absolutio recõciliatiua peccatoris apud Deum; & hæc non potest fieri de vno peccato, & nõ de alio, aliàs idem simul tempore esset Deo reconciliatus & inimicus. Hæc absolutio fit à Deo in instanti contritionis, qua etiam peccator absoluitur priusquam confiteatur Sacerdoti. Alia est absolutio quam aliqui vocant declaratoriã, quia volunt Sacerdotem Euangelicum absoluere, hoc est declarare absolutum à Deo, & admittere ad communionem Ecclesiæ, quia culpa est remissa à Deo, proponenti confiteri, antequam pœnitens à Sacerdote absoluatur, iuxta illud, Dixi, cõfitebor aduersum me iniustitiam, & tu remisisti impietatem peccati mei. Vbi esto cautus, ne erres: & lege de hac Dominum Caietanum Card. in quolib. q. 12. vbi disputat de effectu absolutionis sacramentalis, quippe quæ dupliciter intelligi potest ipsam operari remissionem peccatorum. Vel in voto, vel in exequutione: nam qui ante confessionem remissionem consequitur, ex sacramentali absolutione in voto consequitur: & si quidem ante absolutionem pœnitens consequutus sit remissionem peccatorum, per sequentem absolutionem augetur gratia remissiua peccatorum: si verò non prius consequutus est veniam, consequitur per absolutionem, intelligendo tamen cum grano salis, si pœnitens est dignus absolutione, &c. quia absoluere est à vinculo soluere, liberare, & expedire, propterea absolutio dicitur etiam liberatiua à crimine quod apponitur.

Nota de absolutione suffraganei ab excõmunicatione.

Absolutio satisfactoria.

Deprecatoria

Recõciliatiua

Declaratoria.

Cõsule S. Th. lib. 4. sen dist. 18 q. 1. art. 3. ad 1.

Ablatiuus casus ex Grammaticis dicitur, qui sextus est casus apud Latinos, Græci tamen ipsum non habent, vtuntur genitiuo pro ablatiuo, vt ait S. Thom. in expositione Epist. ad Rom. cap. 2. lect. 3. & p. p. q 37. art. 2. vbi disputat, num Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto, ait, quòd ablatiuus potest construi in vi causæ efficientis, vel finalis, vel formalis, vel in vi effectus formalis, vt ignis est calefaciens calefactione, & arbor est florens floribus, & quia diligere notionaliter nihil aliud est, quàm spirare amorem, sicut dicere est producere verbum, & florere est producere flores: sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, se, & creaturam, & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto, vel amore procedente, se, & nos. Simile etiam scribit S. Thom. 1. sent. dist. 32. q. 1. art. 1.

Multiplex ablatiui casus cõstructio declaratur.

Contradicit Sco. huic doctrinæ 1. sent. d. 32. q. 1.

Absolutè, De hoc S. Thom. 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. vbi disputat, num voluntas requiratur in baptizato? dicit, quòd in adulto nõ requiritur absolutè, sed conditionaliter, seu non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata; sicut est in voluntarijs mixtis, vt dicitur in 3. Ethic. c. 2. & ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra nihil cõferente vim passo, vt cùm aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum suscipit, nec rem Sacramenti; si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptismũ suscipere, quàm talia pati, tunc suscipit Sacramentũ, sed non rem Sacramenti. Absolutè etiã dicitur, vt distinguitur contra respectiuè,

Quæ volũtas in adulto dũ baptizatur, requiritur, hic declaratur.

 vt sub-

vt ſubſtantia, quantitas, qualitas, ſunt entia abſoluta: dicitur etiam ſimpliciter, vt homo eſt animal rationale. Abſolutè quoque dicitur omnibus modis, vt Deus eſt abſolutè bonus. Dicitur etiam pro neceſſario, vt ait Cicero lib. 3. de finib. Neceſſariò ſequitur, omnes ſapientes ſemper, feliciter, abſolutè, fortunatè viuere, &c.

Differt abſolutum ex abſoluto ob aduerbialis modi incluſionē.

Abſolutum, De hoc loquitur S. Thom. 1. 2. q. 16. art. 4. in reſp. ad 2. vbi diſputat, ſi vſus præcedit electionem, & arguit, quia abſolutum eſt ante relatiuum, ergo minus relatum eſt ante magis relatum, ſed electio importat duas relationes, vnam eius quod eligitur ad finem, aliam verò ad id cui præeligitur; vſus autem importat ſolum relationem ad finem, ergo vſus eſt prior electione. Et reſpondet, quòd id quod eſt per eſſentiam ſuam relatum poſterius eſt abſoluto, ſed id cui attribuuntur relationes non oportet quod ſit poſterius, immo quanto cauſa eſt prior, tanto habet relationes ad plures effectus, & ſic vſus quodammodo præcedit electionem, quodammodo ſequitur. Abſolutum aliquando dicitur perfectum cui nihil deficit, vt hora eſt abſoluta, quia nihil ei deeſt quod pertineat ad eius complementum, & ſic dies, & annus. Dicitur quoque abſolutum quod non recipit terminationem, & excludit receptiuum, quo pacto eſſe Dei eſt abſolutum ab omni receptiuo, propterea eſt infinitum per ſe exiſtens, Angelus verò eſt inreceptus à materia, vt ait Sanctus Thomas prima parte, quæſtione 7. articulo 1. & Caietanus ibidem, quia abſolutum ex vi nominis illud dicitur quod eſt ab alio ſolutum, &c.

Multiplex abſoluti acceptio explicatur

Aliquando dicitur abſolutum à cauſa, quia eſt independens, & incauſatum; & ſic Deus dicitur ens abſolutum, quia nullam cauſam habet. Secundo dicitur abſolutum à ſubiecto inhæſionis & prædicationis; & ſic ſubſtantia prima eſt abſolutum quoddam, quia caret vtroque ſubiecto, non enim eſt in ſubiecto, neque dicitur de ſubiecto, vt aliquis homo, aliquis equus. Tertio dicitur abſolutum à termino; & ſic quantitas, & qualitas ſunt abſoluta à termino, ſed non à ſubiecto inhæſionis; ſubſtantia ſecunda non eſt abſoluta à ſubiecto prædicationis, nec partes ſubſtantiæ à ſubiecto integrationis. Dicitur etiam abſolutum priuatiuè, ſ. pro conceptu abſtracto ex abſoluto & reſpectiuo, ſicuti ſi abſtrahimus ens finitum à ſubſtantia & relatione, tunc ens finitum non eſt abſolutum, nec relatiuum, loquendo poſitiuè, ſed ſolum dicitur priuatiuè abſolutum, quia non eſt actu reſpectiuum, ſed poteſt eſſe. Dicitur quoque abſolutum pure negatiuè, pro eo cui conuenit ſic eſſe ad ſe, quod nullo modo ad aliud; & ſic in diuinis, diuina eſſentia eſt abſoluta, & quidditates ſubſtantiæ, puta humanitas, ſunt abſoluta.

Nō repugnat ens finitū; poſitiuè ſumptū, neque abſolutum, neq; reſpectiuū eſſe.

Abſtinentia, Declaratur iſta à S. Tho. 2. 2. q. 146. art. 1. vbi diſputat, num abſtinentia ſit virtus, & docet, quòd abſtinentia ex ſuo nomine importat ſubtractionem ciborum; & poteſt accipi dupliciter; Vno modo prout abſolutè deſignat ſubtractionem ciborum; & hoc modo abſtinentia non deſignat neque virtutem, neque actum virtutis, ſed quoddam indifferens. Alio modo poteſt accipi, prout eſt ratio regulata; & tunc ſignificat, vel habitum virtutis, vel actum; de qua loquens Petrus Apoſt. 2. Epiſt. cap. 1. Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, vt. ſ. homo à cibis abſtineat proue oportet, pro congruentia hominum cum quibus viuit, & perſonæ ſuæ, & pro neceſſitate ſuæ valetudinis. Et eſt ſpecialis virtus moralis, quia per eam vitia carnis reprimuntur, & tamen natura corporis non deſtruitur: natura enim carnis ſecundùm ordinem rationis eſt, quod ſpiritui ſit ſubiecta; & natura ſpiritus eſt, quòd ſibi dominetur, eam dirigendo, & vertendo ad exercitium virtutis, vt ſcribitur Gen. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non ergo debet tantum homo abſtinere ſe corporaliter à cibis, vt placeat Deo, edomando carnem ſuam, ac deuincendo ſecum, ſed debet etiam abſtinere ſe à vitijs & peccatis, & rebus illicitis, & ab affluentia rerum temporalium, & à ſapientia ſecularium, niſi quantùm facit ad vtilitatem animæ: debet etiam ſe abſtinere ab aſſiduis delicijs, & à prauis paſſionibus, & à prauis colloquijs, & inimicitijs, & mendacijs, &c.

Virtus, & vitium, rationis electionē ſupponunt.

In vtroq; homine abſtinēdum eſt.

Abſtractio, De hoc termino loquitur S. Thomas p. p. q. 40. art. 3. vbi diſputat, num abſtractis per intellectum relationibus à perſonis, adhuc remaneant hypoſtaſes? & 3. parte, q. 3. art. 3. vbi inquirit, vtrum abſtracta perſonalitate per intellectum, natura diuina poſſit aſſumere naturam humanam? Et Caietanus in libello de ente & eſſentia, dicit, quòd multiplex eſt abſtractio per intellectum, Vna quæ dicitur formalis, qua forma abſtrahitur à materia, ſicut forma circuli abſtrahitur per intellectum ab omni materia ſenſibili. Alia vocatur abſtractio totalis, qua totum vniuerſale abſtrahitur à partibus ſubiectiuis, puta animal abſtrahitur ab homine, & leone. Differunt iſtę duæ abſtractiones in hoc,

Melius dicitur abſtractio formalis à materiali, quia materia, vt

quia

quia penes abstractiones formales differunt scientiæ speculatiuæ; alia enim abstractione formali vtitur Physicus, alia Metaphysicus, alia Mathematicus. Abstractione enim totali omnes scientiæ vtuntur, & conueniunt in ea; quia scientia omnis est vniuersalium, & istæ duæ abstractiones spectant ad intellectum possibilem, abstractio specierum intelligibilium à phantasmatibus spectat ad intellectum agentem. Et quia abstractio est consideratio vnius sine consideratione alterius, vt considerando animal, vt genus, non considerando hominem, aut aliquam aliam speciem animalis, semper fit à posterioribus, quia à prioribus essentialibus non potest fieri abstractio: licet enim homo possit abstrahi à Sorte, & Platone, non tamen potest abstrahi ab animali; & propterea dixit Arist. 2. Physic. Abstrahentium non est mendacium, quia abstrahebat priora à posterioribus, & hoc abstractione præuisiua, & non diuisiua: intelligebat enim numeros & magnitudines absque qualitatibus sensibilibus, puta calido, frigido, humido, sicco, &c.

pura potentia sine forma nõ est intelligibilis.

Abstractum, De hoc S. Thomas p.p.q.13.art.1.in resp.ad 2.& Caiet. ibidem, significat formam simplicem, qua aliquid est, vt albedo est id quo aliquid est, album concretum significat perfectionem & subsistentiam rei, licet conueniat in significatione, quia vtrúq; significat puram formam; differunt tamen ex modo significandi, quia concretum primo importat subiectum, secundario formam; vt simum est nasus curuus, primo exprimit nasum, secundo curuitatem: abstractum verò ex modo significandi, primo importat formã, & deinde subiectum, vt simitas est curuitas nasi. Et quot modis dicitur abstractum, tot modis dicitur & concretum, quia abstractum dicitur quod est ab alio tractum, significãs formam absolutam: concretum verò quod est ad aliquid contractum, vt entitas & ens: entitas enim est illud, quo ens est ens, puta humanitas est qua homo est homo; ens verò est illud, quod habet entitatem, puta homo habet humanitatem. Et quoddam est abstractum physicum, vt mixtum; quoddam mathematicum, vt linea; quoddam metaphysicum, quod est duplex, vel per essentiam vt Deus; quoddam per indifferentiam vt actus, & ipsa transcendentia. Et nota, quòd potest destrui concretum, non tamen destruitur abstractũ physicum, vt ait B. Augustinus lib.1. soliloq. aliud est castum, aliud castitas, aliud castus, Quis moritur, non moritur castitas: & hoc verificatur in creaturis, quia in Deo abstractum & concretum sunt idem, & prædicantur de se inuicem, vt Deus est Deitas.

Per locum à coniugatis arguitur ex abstracto ad cõcretum, vt patet in prob. Met. de sapientia, & sapiente.

Acceptio personarum, Disputat de hoc S. Thomas 2.2.q.63.art.1. num sit peccatum? & asserit, quod acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuę, consistit enim ęqualitas distributiuę iustitiæ in hoc, quod diuersis personis diuersa distribuuntur secundùm proportionem ad dignitates personarum: si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ: propter quam aliquid quod ei confertur est ei debitum, non est acceptio personę, sed causę; vnde glosa super illud ad Ephes.6. Personarum acceptio non est apud Deum, dicit, quòd Deus iudex iustus causas discernit, nõ personas, puta si iudex aliquis promoueat aliquem ad magisterium propter sufficientiam scientię, hic attenditur causa debita, non persona; si autem aliquis cõsideret in eo, cui aliquid confert, non id propter quod id quod datur, esset ei proportionatum, vel debitum, sed solum hoc quod est homo, puta Petrus, vel Martinus, hic est acceptio personę, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personę: & hoc peccatum nedum committitur in dispensatione temporalium, sed etiam spiritualium, quia quanto in maioribus aliquis iustitiam transgreditur, tanto grauius peccat, vnde cùm spiritualia sint temporalibus potiora, grauius peccatum est personas accipere in spiritualium dispensatione, quàm temporalium, & sic etiam in dispensatione honorum, &c.

Qui in spiritualibus, vel temporalibus præsunt, attẽdant hoc.

Causa, nõ autẽ persona, in collatione dignitatum est inspicienda.

Accidens, De hoc S. Thomas 1.2.quæst.53.art.2.ad 3. vbi disputat, si habitus potest diminui, ait, quòd accidens quocunque modo significetur, semper habet dependentiam ad subiectum secundùm suam rationem; aliter tamen & aliter: nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidente, & terminatur ad subiectum, nam albedo dicitur qua aliquid est album. Et ideo in definitione accidentis abstracti non ponitur subiectum, quasi prima pars definitionis quæ est genus, sed quasi secunda, quæ est differentia; dicimus enim, quòd simitas est curuitas nasi: sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens; dicitur enim album quod habet albedinem; propter quod in definitione huiusmodi accidentis ponitur subiectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis, dicimus enim, quòd simus est nasus curuus. Sed aduerte, quòd accidens est duplex, Proprium, & commune, Proprium sumitur quatuor modis, Primo, quòd conuenit soli speciei humanę, sed non omni

Accidens in abstracto cõnotat subiectũ de se, non autẽ quo ad modũ significãdi.

Diuiditur accidens.

indiuiduo

Regula Topica. Sed contra istam communem responsionem instatur, quia ex hoc sequitur, quòd anima, quæ cessando informare, & perficere partes abscissas à corpore, efficiatur vigorosior, & densior, ac potentior. Probatur consequentia, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, & magis ad magis, & maximè ad maximum, & è contra; cùm ergo anima totaliter separata à corpore sit vigorosissima, ergo si separatur ab aliquibus partibus corporis, erit non ita vigorosa; & si separabitur ab vna, nec ita potens erit: igitur quando ponitur, quod ex toto informat corpus, non erit ita etiam fortis, & valens; & quando incipit per oppositum separari ab vna parte corporis, incipit etiam vigorari; & quando separabitur à pluribus partibus corporis, magis vigorabitur, ergo de primo ad vltimum, anima, quando cessat informare, & perficere tibiam abscissam, sequitur, quòd ipsa in sua essentia vigorabitur. Sed respondetur breuiter, quòd hoc non est per se, sed per accidens, ratione partis corporeæ, quæ deficit: vnde videmus, quòd si aliquis efficitur cæcus in vno oculo, alius oculus videtur acquirere maiorem virtutem videndi. *Monoculus quomodo videt.*

Patet ergo responsio ad principale quæsitum, qua distinctione distinguitur anima, à seipsa, prout est in toto corpore, & in partibus eius, quia distinctione modali: & hoc est de mente Augustini in 6. de Trin. cap. 6. vbi dicit, quòd anima in quocunque corpore, & in toto est, & in qualibet eius parte tota, non eodem modo: & S. Thom. p. p. q. 76. art. 8. & quod verba August. intelliguntur non de totalitate quantitatiua, aut potentiali, sed essentiali, vt albedo est in superficie.

Dubium est de Sacramentis Ecclesiæ, qua distinctione distinguuntur. Et Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali, vt colligitur ex Doctore Angelico 3. p. q. 65. ar. 1. quia Sacramenta ipsa vel accipiuntur per quandam adaptationem ad virtutes, & ad defectus culparum, & pœnalitatum, & sic Fidei respôdet Baptismus, & ordinatur contra culpam originalem, Spei Extrema vnctio, & ordinatur contra culpam venialem, Charitati, Eucharistia, & ordinatur contra pœnalitatem malitiæ; Prudentiæ, Ordo, & ordinatur contra ignorantiam; Iustitiæ Pœnitentia, & ordinatur contra peccatum mortale; Temperantiæ, Matrimonium, & ordinatur contra concupiscentiam; Fortitudini Confirmatio, & ordinatur contra infirmitatem. Vel, Baptismus ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis; Confirmatio contra infirmitatem animi, quę in nuper natis inuenitur; Eucharistia contra labilitatem animi ad peccandum; Pœnitentia contra actuale peccatum post Baptismum commissum; Extrema vnctio contra reliquias peccatorum, quę scilicet non sunt sufficienter sublatæ, aut ex negligentia, aut ex ignorantia; Ordo contra dissolutionem multitudinis; Matrimonium in remedium contra concupiscentiam personarum, & contra defectum multitudinis, qui per mortem accidit. Vel, sicut homo in vita corporali, ita in vita spirituali, nascitur per Baptismum. Secundo, in vita corporali homo augetur, sic & in vita spirituali augetur etiam per Confirmationem, in qua datur Spiritus sanctus ad robur. Tertio, homo per nutritionē conseruatur in vita corporali: & sic in vita spirituali conseruatur per susceptionem Eucharistię. Quarto, homo aliquando in vita corporali infirmatur, & ad recuperandam sanitatem, datur medicina, sic & in vita spirituali, quando infirmatur per peccatum, datur medicina, quę est Pœnitentia. In vita quoque corporali, vt conseruetur in sanitate, ordinatur dieta, & exercitium: & loco huius in vita spirituali est Extrema vnctio, quę remouet reliquias peccatorum. Sexto, aliquando homo in vita corporali accipit potestatem regendi multitudinem, & exercendi actus publicos: & loco huius in vita spirituali ponitur sextum Sacramentum, quod est Sacramentum Ordinis. Postremo, homo in vita corporali naturaliter generat sibi simile: vt actus iste generationis, & propagationis fiat sine peccato, in vita spirituali ponitur Sacramentum Matrimonij. Et sic patet septem esse Sacramenta Ecclesiæ, & distingui distinctione reali ab inuicem, & inter se.

Sacramenta Ecclesiæ, quare sunt septē.

Vita spiritualis, & corporalis, quomodo proportionantur.

Dubium est de tribus illis Baptismatibus, qua distinctione distinguuntur. Respondetur, vt colligitur ex D. Tho. 3. p. q. 66. ar. 11. quòd distinguuntur distinctione reali, nempe tria illa Baptismata, scilicet fluminis, flaminis, & sanguinis: quandoquidem per Baptismum aliquis incorporatur passioni & morti Christi, iuxta illud Apost. ad Rom. 9. Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum eo, vnde quicunque baptizatur, communicatur ei passio Christi ad remedium,

Tria sunt Baptismata, fluminis, flaminis, & sanguinis.

remedium, ac si ipse passus sit debitè pro peccatis, & si ipse sufficienter satisfecisset pro omnibus peccatis suis. Hæc autem communicatio potest fieri per Baptismum fluminis, seu aquæ, iuxta illud Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Secundò potest communicari passio Christi alicui per Baptismum sanguinis, iuxta illud Apoc. 7. Hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni; quæ verba considerans B. Aug. 4. lib. de vnico Baptismo paruulorum, dicit, Baptismi vicem, aliquando implere passionem, vt patet de latrone illo, cui non baptizato dictū est, Hodie mecum eris in Paradiso. Tertiò potest alicui communicari passio Christi per Fidem, & confessionem cordis, quæ vocatur Baptismus pœnitentiæ, seu flaminis; tali enim, vel propter angustias temporum, vel propter aliquam aliam causam non potest succurri ad celebrandum mysterium Baptismi, quia preuenitur morte, antequā ipsum suscipiat; propter tamen dilectionem, & desiderium ipsius Baptismi, quæ dilectio procedit ex Fide per quam Deus interius illum sanctificat. Et quia Dei potentia non est alligata visibilibus Sacramentis, regeneratur corde, licet non corpore, vt docet Beatus Ambrosius de Valentiniano, qui Cathecuminus mortuus fuit, Quē regeneraturus eram, dicit B. Amb. amisi, veruntamen ille gratiam quam poposcit, non amisit. Ex quo discussu apparet, hæc tria Baptismata esse diuersa, & distincta reali distinctione, quod est responsio ad dubium prepositum.

Communicatio passionis Christi, quomodo fit.

Valentinianus cathecuminus, fun saluus.

DVbium est de sensibus sacræ Scripturæ. s. literali, allegorico, morali, & anagogico, qua distinctione distinguuntur. Respondet S. Tho. quolib. 7. ar. 15. q distinguuntur distinctione reali; quæ distinctio hoc modo accipi debet, quia Scriptura sacra est ordinata diuinitus, vt per eam nobis manifestetur veritas necessaria ad salutem, hęc autem veritatis manifestatio fieri potest de aliquo, rebus, & verbis: manifestatio autem, quæ fit per verba facit sensum literalem, siue historicū. Totum ergo illud pertinet ad sensum literalem, quod rectè accipitur ex ipsa significatione verborum. Sensus verò spiritualis consistit in hoc, quod quædam res exprimuntur per figuram aliarum rerum (semper enim visibilia solent esse figurę inuisibilium) & inde est, quòd sensus iste, qui ex figuris accipitur, vocatur spiritualis. Sed veritas, quam sacra Scriptura tradit per figuras rerum, ordinatur ad duo, scilicet ad rectè credendum, & ad rectè operandum. Si ad rectè operandum, sic est sensus moralis, qui alio nomine Tropologicus dicitur, & est respectu eorum, quę facta sunt in Christo, vel in his quę Christum significāt; illa enim sunt figura eorum, quę nos agere debemus. Si verò ad rectè credendum, oportet distinguere secundum ordinem credibilium, quia status Ecclesię est medium inter statum Sinagogæ, & Ecclesiæ triumphantis, & propterea Vetus Testamentum fuit figura Noui Testamenti, sed vetus, & nouum, simul sunt figurę cœlestiū: sensus ergo spiritualis ordinatus ad rectè credendū, potest fundari in illo modo figurationis, quo vetus Testamentum figurat nouum, & sic est sensus Allegoricus, vel Typicus, secundùm quod ea, quæ in veteri Testamento contigerunt, exponuntur de Christo, & Ecclesia. Vel potest fundari in illo modo figurationis quo nouum simul & vetus significant Ecclesiam triumphantem; & sic est sensus Anagogicus. Vnde efficiūtur quatuor isti sensus expressi per hunc versum,

Finis sacræ Scripturæ, quis est.

Littera gesta docet, quid credas, Allegoria,
Tropologia quid agas, quo tendas, Anagogia.

Quatuor sensus Scripturæ qui sunt.

Allegoria dicitur sermo figuratiuus, Anagogia sermo superior, Tropologia est sermo moralis, quia tropus idem est, quòd modus quidam. Ex his apparet, quā distinctione sensus isti distinguuntur, quia distinctione reali, vt dictum est, &c.

DVbium est de vita contēplatiua, & actiua, qua distinctione distinguuntur. Resp. vt colligitur ex S. Tho. 2. 2. q. 182. per totam, q distinguūtur distinctione reali, quēmadmodū diuina, & humana: nam vita contemplatiua est secūdùm diuina, vita autē actiua est secundùm humana. Probat hoc S. Tho. ex Augustino in lib. de verbis Domini, vbi dicit, In principio erat Verbū. Ecce quod Maria audiebat, Verbum caro factū est. Ecce cui Martha ministrabat. Et pręsertim, quia vita contemplatiua conuenit homini secundùm illud, quod est optimum in ipso, scilicet secūdùm intellectum, & respectu propriorum obiectorum. s. intelligibilium, Vita autem actiua occupatur circa exteriora: vnde Rachel per quam significatur vita contemplatiua, interpretatur visum principium; Vita autem actiua significatur per Lyam, quæ erat lippis oculis.

Marta & Magdalena quid significant.

Et hinc

Maior est delectatio in vita contemplatiua, quàm in actiua.

Et hinc etiam est, quod vita contemplatiua potest esse magis continua, licet non quãtum ad summum gradum contemplationis: vnde Maria per quam significatur vita contemplatiua, describitur secus pedes Domini assiduè sedens; & propter hoc est maior delectatio in vita contemplatiua, quàm in vita actiua, vt dicit B. Augustinus, quod Marta turbabatur, iuxta illud, Martha Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Luc. 10. Maria verò epulabatur; & propterea dicitur de ea, quòd optimam partem sibi elegit. Et cùm vita contemplatiua directè, & immediatè pertineat ad dilectionem Dei, vita autem actiua directius ordinetur ad dilectionem proximi, sequitur, quòd contemplatiua sit maioris meriti, quàm actiua, quę etsi habeat finem in exterioribus actibus, qui quidem relati ad quietem contemplationis, iam pertinent non ad vitam actiuam, quæ in præsenti seculo aufertur, sed ad vitam contemplatiuam, quæ hic incipitur, & in cœlesti patria perficitur, in qua nec occupatio externorum actuum cessabit, & ibi vacabimus Deo, & videbimus, & amabimus, & laudabimus ipsum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur in secula. Ex his apparet has duas vitas. s. actiuam & contemplatiuam reali distinctione distingui.

Concluditur ex dictis, realis inter vtramque vitam distinctio.

Difficillimum inter Thomistas nedũ inter exteros ponitur, et Catholicè soluitur dubium,

Fundamẽtalis ratio Caie. de hoc Deo.

Dubium est de hoc Deo, quem ponit Caietanus communem tribus diuinis personis, p. p. S. Tho. q. 3. ar. 3. qua distinctione distinguitur ab ipsis diuinis personis. Et respondetur ex verbis S. Thomæ ibidem, quòd distinguitur distinctione, quæ est in acceptione nostri intellectus, & non distinctione aliqua pertinente ad diuersitatem rei: & ratio est, quia in diuinis, secundùm sententiam Caietani, qui ponit concretum illud quod vocatur hic Deus, præintelligitur à nobis ante personas: quia in diuinis ea quæ communia sunt secundùm rem, præcognoscuntur à nobis ante cognitionem incommunicabilium, & notionalium, sed concretum hoc, quod est hic Deus, est commune secundùm rem, personæ verò sunt incommunicabiles, ergo necessariò præcognosci debet hic Deus, ante Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Quod autem hic Deus sit communis secundùm rem, ex eo apertè infertur, quia dicitur de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Pater enim est hic Deus, sic Filius, & Spiritus sanctus. Quod autem sit communicabilis, patet ex hoc, quia sumitur ab hac Deitate existente, quæ etiam est communicabilis tribus personis. Adde etiam, quia omnia absoluta præintelligi possunt ante personas, sed hic Deus est quid absolutum, & terminus essentialis; immo ratione naturali constat esse hunc Deum singularem, & hoc existens in natura diuina, igitur præcognosci potest ante personas: maior patet, quia absoluta sunt essentialia, quę præintelliguntur personalibus, & est ratio S. Thomæ, 1. par. q. 39. art. 4. Ex quo sumitur, quòd hic Deus, cùm sit communis secundùm rem tribus diuinis personis, existit, & subsistit communicabiliter, ad differentiam diuinarum personarum, quæ existunt, & subsistunt relatione incommunicabiliter.

Cognouerunt Philosophi hũc Deum, nõ autem personarum Trinitatem.

Sed contra hanc veritatem adsunt multi, abhorrentes hunc modum loquendi Caietani, inter quos est Bartholomęus Spina in tractatu suo de hoc Deo, qui dicit periculosum esse hunc modum loquendi, quia ex hoc modo loquendi sequitur dari quaternitatem in diuinis, quod est hæreticum. Deinde, nouæ locutiones semper fugiendæ sunt in materia de Trinitate, modò dicere esse quatuor subsistentias in diuinis, est dicere, & ponere quaternitatem, igitur fugiendus est modus iste loquendi, tanquam perniciosus. Nec valet responsio, quòd hic Deus est persona incompleta, quia implicat ponere personam sine complemento, sicut implicat esse hominem sine rationalitate, erit igitur implicatio in adiecto, dicere indiuiduum Deitatis esse personam incompletam, sicuti asserere Petrum esse hominẽ irrationalem. Deinde, non potest subterfugi, quin ibi non sint quatuor supposita, tria completa, & vnum incompletum. Sed ad hoc de facili responderet Caietanus, dicendo, quòd persona, seu suppositum est duplex, Alterum logicum, quod nihil aliud est, quàm id pro quo supponit terminus aliquis, secundùm quam acceptionem adhuc diuina essentia suppositum appellatur: Alterum dicitur suppositum physicum seu reale, quod est singulare incommunicabile, quale in Deo est Pater, vel Filius, seu Spiritus sanctus: Loquendo ergo de supposito logico, indiuiduum illud hic Deus suppositum dicitur, sed non physicum & reale, cùm deficiat ei incommunicabilitas: propterea dicitur persona illa incompleta, quia habet omnes coditiones personę pręter vltimam: est enim substantia, indiuidua, completa, subsistens, nomine rationalis, præter incommunicabilitatem. Quibus stantibus, soluuntur argutię Bartholomęi Spinæ, negando, quod sequatur dari quater-

Subtilissimè defenditur Caietan. ex Bartholomæi Spinæ calumnia.

Perpende distinctionẽ inter suppositũ logicum, & physicum.

quaternitatem in diuinis, quia non sunt nisi tres personæ relatæ, & completæ, hic Deus non est persona relata & physica, sed absoluta & logica. Ad secundam etiam negatur, quòd sit nouus modus loquendi & periculosus; immò antiquus & verissimus, quia habetur Exod. 3. Qui est misit me ad vos: & in Psalmo, Iste est Deus meus, & glorificabo eum. Ponit etiam hanc veritatem S. Thom. p. p. q. 3. ar. 3. & q. 39. ar. 4. vbi dicitur, quòd in Deo est essentia, hic Deus, & tria supposita relata, scilicet Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Et est etiam hæc veritas conformis dictis Conciliorum, Calcedonensis, & Florentini, & Sanctorum Patrum, vt latius ostendimus in dilucidationibus nostris 1. Met. dilucidat. 3.

Dubium est qua distinctione distinguuntur existentia, & subsistentia in diuinis. Ad quod non potest simplici responsione satisfieri, quia aliqui, vt est Alexand. Alensis 3. p. q. 2. memb. 3. & Bonauent. & Ricard. 3. sen. d. 5. existimant ponēdas esse tres subsistentias relatiuas, iuxta numerum proprietatum constituentium personas; illam verò subsistentiam communem & absolutam, nullo modo dicunt ponendam esse; & sic dubium hoc est nullum apud istos. Aliqui dicunt, vt est Dur. 3. sent. dist. 1. q. 2. quem videtur sequi Capreolus eadem distinctione, q. 1. ar. 3. ad 4. Dur. & Palud. ibidem, q. 2. hi enim volunt in Deo solum esse vnicam subsistētiam, sicut vnicam essentiam: ita quod quemadmodum in tribus diuinis personis includitur essentia formaliter, & nō multiplicatur multiplicatis personis, sic est de subsistentia, quæ est vna communis, & multiplicatis personis, & relationibus, ipsa non multiplicatur, sed remanet vna sicuti essentia. Tertia est sententia Caietani, quam semper ego sequutus sum, & docui in scholis publicis, præsertim Taurini, Patauij, Romę, & in studio Neapolitano, in quo quinquies interpretatus sum tractatum de sanctissima Trinitate, cùm essem Regens, & exponens ar. 4. q. 39. ostendi præter subsistentias tres relatiuas, esse aliam subsistentiam, & existentiam absolutam, quę est ipsa natura diuina subsistens ante personas, de qua verificantur istæ propositiones, Deus creat, Deus gubernat, Deus elargitur gratiam: vnde Athanas. Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus, non tamen sunt tres Dij, sed vnus est Deus, qui est ipsa existentia & subsistentia absoluta. Et secundùm hanc veritatem dico ad dubium, quòd existentia & subsistentia in Deo non distinguuntur nisi distinctione grammaticali: & hoc est de mente Caiet. 3. p. q. 2. in sol. 3. arg. & p. p. q. 3. ar. 3. & 4. & q. 39. art. 4. & sic etiam dicimus in rebus creatis subsistentiam & existentiam, seu existere & subsistere distingui sola grammaticali distinctione, contra Scotum 3. sen. d. 1. q. 2. ponentem hæc talia distingui distinctione reali: propterea docet in Christo Domino esse aliud subsistere, & aliud existere, quia hoc est creatum, illud increatum: nos autem ponimus tantum vnum existere, quod est ipsius diuini Verbi, & subsistere, quia non sunt multiplicāda entia sine necessitate. Et ex hoc arguendus est etiam Hieronymus de Larua Toletanus, qui etiam voluit distinguere inter subsistentiam & existentiam in Deo, dicit enim esse ibi vnam existentiam absolutam, & tres subsistentias relatiuas, quia subsistentia est constitutiua personę, tanquam eius vltimus actus. Sed contra opinionem huius Doctoris plura diximus in nostris quolibetis, aduersus omnes octo illas controuersias scholasticas, quas Doctor iste Hieronymus miscuit cum octo controuersijs positiuis, Romæ impressis, ex Typographia Vincentij Accolti, & ostendimus multa ibi falsa misceri, & non esse dicta ad aures S. Thomę, cuius doctrinam ipse profiteri fatetur.

Tres sunt relatiuæ subsistentiæ in Deo, vna vero absoluta.

Existere, & subsistere in Deo, & creaturis, grammaticaliter distinguuntur.

Vnum est tantum existere, & subsistere in Christo Domino.

Dubium est de Ideis, qua distinctione distinguuntur inter se, & à diuina essentia. Et respondetur, φ circa hoc dubium sunt varię sententię Theologorum: nam aliqui dicunt ideam esse ipsam quidditatem creaturæ cognitam ab intellectu diuino: quę opinio est falsa, quia sm̄ B. Aug. Idea est principium producendi creaturam, sed creatura cognita, vel non cognita, non est principiū producendi seipsam; igitur hęc opinio stare non potest. Aliqui dicebant, ideam esse actum intelligendi, cùm sit ratio rei cognitæ: quorum et opinio stare non potest, quia idea est exemplar ad cuius imitationem artifex producit alterum, sed exemplar ad cuius imitationem artifex agit, non est actus intelligendi eius, non enim dicimus, quòd exemplar sit cuius imitationem pictor facit imaginem, vel scriptor facit librum, sit eius actus intelligendi: igitur opinio hæc stare non potest. Propterea fuerunt aliqui, qui dixerunt, ideā formaliter esse respectū quendam, quandoquidem omne quod est in Deo, aut dicit respectiuum, aut absolutū, sed idea non potest dicere absolutum, quia absoluta non multiplicantur in Deo, sicuti ideę, igitur

Quid circa Ideas multi sint opinati.

igitur dicit respectum. Sed neque opinio hæc stare potest, quandoquidem auctores huius
positionis ponunt ideam esse principium & causam ideati, sed respectus formaliter non
habet rationẽ principij vel causæ, igitur error est dicere, ideam esse formaliter respectũ.
Hinc nõnulli alij voluerunt, ideam esse essentiam diuinam secundùm rationẽ absolutam,
quia idea est principium ideati, sed hoc conuenit diuinæ essentiæ secundùm rationẽ ab-
solutam, & non secundùm rationem respectiuam, igitur idea ipsa erit diuina essentia sub
absolutam rationem. Sed neq; iudicio meo sententia istorum stare potest, quia essentia
diuina, aut secundùm eandem rationem est ratio cognoscendi seipsam, & cognoscendi
creaturas, aut secundùm aliam; si secundùm eandẽ rationem, Tunc argumentor sic, quia
essentia diuina est ratio cognoscendi creaturam vt idea, & secundùm istos secundùm ean-
dem rationem est ratio cognoscendi seipsam & creaturam vt idea, ergo ipsa est ratio
cognoscendi seipsam, & sic respectu essentiæ diuinæ erit idea in Deo, quod est absurdum.

Ratio principij respectiui formaliter repugnat omni seclusο absoluto.

Impugnatur ideam esse diuinam essentiam, secundũ absolutam rationem.

Verùm quia studium Philosophiæ non est ad hoc ordinatum, vt sciatur quid homines
senserint, sed qualiter se habeat veritas rerum; propterea non est nobis curandum quic-
quid horum sit, sed quomodo se habeat veritas ipsa. Et propterea dicendum est, vt dicit
S. Tho. q. 15. ar. 2. p. p. Ideam esse essentiam diuinam, imitabilem exemplariter: vnde ipsa
idea duo dicit, absolutum quod est ipsa essentia diuina, & respectũ imitabilitatis; & hinc
est, quòd Deus, quia perfectissimè intelligit essentiam suam, ideo intelligit eam, vt tot
modis imitabilem, & hoc est ponere plures respectus ideales, & intelligi plures ideas, vt
sunt rationes aliorum, & intelligere creaturas distinctè in essentia diuina sibi obiecta, &
ponere plures ideas non vt quibus Deus intelligat creaturas, quia eą quibus intelligens
intelligit, important principium formale intellectionis, vt ars est principium qua artifex
operatur, sed sunt plures ideæ, vt id quod à Deo intelligitur in actu exercito, tanquam
obiectum, & terminus intellectionis: nam sicut aliud cognitum est punctum vt princi-
pium, & aliud vt finis, sic essentia diuina, vt imitabilis ab Angelo est vnum cognitum, vt
verò est imitabilis ab homine, est aliud cognitum, & sic de alijs. Ex quibus apparet solu-
tio ad dubium, quod distinguuntur distinctione rationis relatiua, eo modo quo nomina
aliqua significant absolutum & relatiuum, puta Saluator, & gubernator, & non distinctio-
ne reali, aut ex natura rei, vt aliqui imaginati sunt.

Profunda & vera declaratio positionis S. Th. de ideis.

Obiectiuè, & terminatiuè sunt plures ideæ in mente diuina.

DVbium est de cõcurrentibus ad intellectionem qua distinctione distinguantur.
Et breuiter, omissa opinione negantium species ad intellectionem necessariò
requisitas, Respondetur, quòd distinguuntur distinctione reali realitate essen-
tiæ, non autem existentiæ. Sex enim necessariò in perfecta intellectione repe-
riuntur: nam primo intellectus ad intelligendum, ex obiecto mouetur, ac per hoc primum
requisitum est obiectum mouens, & imprimens, Secundo est ipsa species impressa,
Tertio est actus intelligendi, Quarto est ipsum obiectum intellectum in seipso, Quin-
to est obiectum ipsum vt exemplar, quatenus in alterius naturæ cognitionem ducit,
Postremo est ibi cognitio, qua tale obiectum prout ducit in cognitionem alterius, cogno
scitur; veluti quando supra cognitionem suam reflectitur intellectus. Hec igitur sex ad
intellectionem necessariò requisita distinctione reali realitate essentiæ distinguuntur.

Sex ad intellectionem necessariò concurrunt.

Et quia iampridem huic primo tractatui Formalitatum desiderabamus finem impo-
nere, ideo receptui canendum est, Deo glorioso, & Sancto Doctori gratias exhibentes,
qui nos ad finem illius, continentis triginta tria capita, ad instar triginta trium anno-
rum Christi Saluatoris, & Domini nostri, suo cœlesti munere perduxerunt. Rogamus
autem beneuolos Lectores, vt si quid boni ac recti, in hoc primo tractatu, & in cæteris
subsequentibus inuenerint, Deo Optimo Maximo bonorum omnium auctori acceptum
referant; si quid autem peccatum est, aut minus rectè dispositum, nobis benignè indul-
geant, ignemq; charitatis assumant, quandoquidem semper nobis cordi fuit (quod ore,
scriptoq; protestati sumus) nolle vllo pacto nos à sacris orthodoxæ Fidei, Sanctęq; Ro-
manæ Ecclesiæ, atque Doctorum ipsius dogmatibus, vel latum vnguem discedere. Quare
& nos, & vniuersa nostra, siue scripta, siue ore prolata, eorum omnium, necnon & alio-
rum rectius sentientium, iudicio submittimus.

Explicit Primus Tractatus, qui de Formalitatibus dicitur, per eximium Theologiæ Magistrum, Matthiam Aquarium collectus, iuxta S. Th. doctrinam.

INCIPIT SECVNDVS TRACTATVS FORMALITATVM,

De Significationibus Terminorum, ex Doctr. S. Thomæ.

DE LITERA A.

A NOMEN est litteræ primæ Hæbreis, Græcis, & Latinis, quæ a Cicerone salutaris litera dicitur. Et Sanctus Thomas quarto libro sententiarum, distinctione prima, quæstione prima, articulo quarto, ad primam quæstiunculam, in qua disputat vnum Sacramenta nouæ legis sint causa gratiæ? dicit, quòd hæc propositio A, denotat principale agens, sed ista propositio per, denotat causam instrumentalem, vnde homo non quærit salutem in Sacramentis quasi ab eis, sed per illa a Deo. Et Saluator noster apud Ioannem cap. 11. dicit, Omnia mihi tradita sunt à Patre meo, &c.

Ex propositionum distinctione variatur loquutio.

Ab, De ista propositione loquitur Auerroes 1. Physicorum, tex. 58. asserens, notare causam efficientem potius, quàm subiectum & oppositum: vnde 1. cœli, commento 20. dixit, corpus gloriosum non est generatum ab aliquo. Aliqui volunt aliquando dicere habitudinem causæ materialis, vt hoc fit ab hoc; aliquando formalis, vt homo est ab humanitate; aliquando principiantis ad principiatum, vt initium alicuius libri, est ab auctore, &c.

Immo ex eiusdem propositionis diuersimode applicata variatur.

Abba, Sanctus Thomas in expositione Epistolæ Pauli ad Rom. cap. 8. ait, quòd est nomen Hæbreum, Pater verò Latinum, vel Græcum. Et Apostolus loquens de Spiritu sancto, geminauit hæc duo dicens, In quo clamamus Abba Pater, vt ostendat ad vtrunque Populum pertinere: vnde & Dominus apud Marcum dixit, Abba Pater, omnia possibilia sunt tibi. Caietanus ibidem ait, Abba, Syra dictio est, Pater verò Latina, ex Græcis tamen mutuata, & idem significant; & quia Pater est casus nominatiui, rationabile est vt Abba quoque sit casus nominatiui. Sed melius ego dicerem cum S. Thoma, quàm cum Caietano, quòd Abba sit dictio Hebraica, & non Syriaca, quia Christus loquebatur suis Apostolis Hebraicè, & non Syriacè, &c.

Abyssus, Loquens Sanctus Thomas de hac dictione 2. sententiarum, distinctione 12. in fine, in expositione textus Magistri super illis verbis, Ideo dicit tenebras fuisse super faciem abyssi, quia nondum erat lux, ait Sanctus Thomas, quod materia prima dicitur abyssus ex hoc, quod est turpis per accidens, Abyssus enim dicitur ab A, quod est sine, & bisso, quod est genus lini candidissimi, idest sine candore: & hoc accidit materiæ ratione priuationis. Vel dicitur abyssus, quasi sine basi, de aliqua magna profunditate, & præcipuè aquarum: & sic etiam materia prima abyssus dicitur, inquantùm priuatur forma, per quam esse substantificum recipit, hinc dicitur abyssus insatiabilis, vt animus auarorum, secundo imperscrutabilis, vt diuina essentia, tertio inexhauribilis, vt est abundantia doctrinæ alicuius Doctoris: & sic Sanctus Thomas dicitur abyssus propter pleni-

Abyssus, quia non vno modo dicitur, bene, & male interpretatur.

tudinem scientiarum, & sic abyssus abyssum inuocat, idest S. Thomas inuocat videre diuinam essentiam, licet exponatur hæc sententia aliquando in malum, quod abyssus, idest iudicium conscientiæ inuocat ire ad iudicium damnationis, &c. vel peccatum mortale inuocat infernum in eius pœnam, &c.

Aborsus, Sanctus Thomas 4. sententiarum, distinctione 31. in expositione litteræ, super illis verbis, Qui verò venena sterilitatis procurant, & ait, hoc peccatum quamuis sit graue inter maleficia computandum, & contra naturam, quia etiam bestiæ fœtus expectant, tamen est minus, quàm homicidium, quia adhuc poterat alio modo impediri conceptus: nec est iudicandus talis irregularis, nisi iam formato puerperio aborsum procuret. Sic etiam Caietanus in Summula ait, quòd aborsus voluntarius, est peccatum homicidij, perfecti quidem, si fœtus erat animatus anima rationali, quia tunc occiditur homo, non qui est, sed qui generabatur, qui non est adhuc actualiter homo; & est peccatum mortale, quia quantùm in se est, ad hoc tendit, vt tollat vitam hominis iam inchoatam; non tamen incurritur irregularitas, quia non est adhuc actualiter homo, qui occiditur. Et hæc est communis opinio omnium Doctorum.

Abrenunciatio diuitiarum propriarum, comparatur ad eleemosynarum largitionem, sicut vniuersale ad particulare, & holocaustum ad sacrificium: vnde Beatus Gregorius dicit super Ezechiel. quod illi, qui ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, in bonis quæ faciunt, sacrificium offerunt, quia aliquid Deo immolant, & aliquid sibi reseruant: qui verò nihil sibi reseruant, offerunt holocaustum, quod est maius sacrificio. Vnde & Hieronymus contra Vigilantium, dicit, Quod autem asseris, eos melius facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum pauperibus diuidunt, non à me eis, sed à Deo respondetur, Si vis perfectus esse, &c. Et postea subdit, Iste quem tu laudas, secundus, & tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis, & tertijs præferenda. Et ideo ad excludendum errorem Vigilantij, dicitur in libro de Ecclesiasticis dogmatibus, Bonum est facultates cum dispensatione pauperibus erogare, melius pro intentione sequendi Dominum, simul donare, & absolutum in solitudine egere cum Christo. S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 3. ad 6. & 1. 2. q. 102. ad 8.

Mira voluntariæ paupertatis laus.

Abscondere, Declarat Sanctus Thomas opusculo 58. cap. 8. quòd homo iustus potest se abscondere propter tria, Primo, vt persequutor quiescat, Secundo, vt præceptum à Domino opus perficiat, Tertio, vt gloriosiorem coronam acquirat: & sic aliqui Sancti virtuosè absconderunt suam personam a furore persequutorum; aliquæ mulieres absconderunt pulchritudinem corporalem ab inspectione stultorum; alij qui verò iusti absconderunt intentionem bonorum operum ab humano fauore: vnde scribitur Ecclesiast. cap. 43. Multa abscondita sunt maiora ijs, pauca enim vidimus, &c.

Ex his quæ negatiuè, & positiuè includit acrius Fidei licet quandoq. à Tyranno abscondi.

Absoluere, De hoc Sanctus Thomas 4. sententiarum, distinctione 19. quæstione 2. ad primum, dicit, Absoluere à peccatis, requirit duplicem potestatem, scilicet Ordinis, & Iurisdictionis: prima quidem potestas est æqualiter in omnibus Sacerdotibus, non autem secunda: & ideo, vbi Dominus, Ioan. 20. dedit omnibus Apostolis communiter potestatem remittendi peccata, intelligitur de potestate, quæ consequitur Ordinem: vnde & Sacerdotibus quando ordinantur, illa verba dicuntur. Sed Petro dedit singularem potestatem remittendi peccata. Matth. 16. vt intelligatur, quod ipse præ alijs habet potestatem Iurisdictionis. Potestas autem Ordinis quantum est de se, extendit se ad omnes absoluendos; & ideo indeterminatè Dominus dixit, Quorum remiseritis peccata, intelligens tamen, quod vsus illius potestatis esse haberet præsupposita potestate Petro collata, secundùm ipsius ordinationem. Ex his accipe, quòd absolutio, Alia est sacramentalis; & consistit (vt in Concilio Florentino sub Eugenio Quarto legitur) in his verbis, Ego te absoluo: vbi non est necessarium illud pronomen Ego, quia subintelligitur in ly absoluo: & licet sufficiat dicere, absoluo te, decet tamen quædam antecedentia & consequentia apponere, dicendo, Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo à peccatis tuis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, & merita Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum. Alia est absolutio iudicialis in foro Ecclesiæ, de qua idem S. Thomas ait in opusculo 22. cap. 2. in principio illius cap. quòd

Ordinis potestas, non autẽ iurisdictionis, æqualis est in omnibus Sacerdotibus.

Duplex absolutio, sacramentalis, & iudicialis.

absolutio

absolutio ab excommunicatione nõ est sacramentalis, sed magis iudiciaria, iurisdictionem consequens, & non habet præscriptam formam verborum, sicut absolutio sacramentalis. Et potest impendi ab eo qui tulit eam, quia potens ligare, potest etiam soluere. Secũdo, ab eius successore, vbi lator esset mortuus, vel amotus, 11. quæst. 3. Si Episcopus. Tertio, quando excommunicator est suffraganeus, impendi potest ab Archiepiscopo nõ indifferenter, sed si ad eum fuerit appellatum, & hoc vocatis partibus, & cognito de appellatione, vt in cap. Romana, de appell. lib. 6. & extra eo veneralr. vel si hoc habet consuetudo, aut excommunicator negligenter, vel malitiosè differat absolutionem, vel in alijs casibus in quibus iudicare potest de subditis suffraganeorum, quos habes 1. tit. Archiepiscopus, §. 1. Et si absoluit in casu non concesso, absolutio non valet, quia est à iudice non suo, vt cap. pastoralis, de off. ord. Quarto generaliter a superiore excommunicatoris: si tamen habet iurisdictionem, & plenam potestatem, super excommunicatum, quò vt ipse excommunicator, sicut si Sacerdos parochialis, vel Archidiaconus, vel alius subditus Episcopo ex consuetudine, vel ab alio iure, suum subditum excommunicauit, quamuis non deceat Episcopum irrequisito Sacerdote illũ absoluere, hoc tamen potest: & si absoluit, absolutus est, secundùm Innocen. vt cap. Cum ab ecclesiarum, de officijs ordinarijs. etiam satisfactione non præmissa, quia Episcopus est ordinarius totius diocœsis, tam laicorum, quàm clericorum. Quædam absolutio est satisfactoria in foro iudiciali, & est, quando quis tenebatur soluere aliquam quantitatem pecuniæ, qua soluta, dicitur esse absolutus ab illo debito. Aliqua absolutio dicitur esse deprecatoria, vt est illa, quam facit Sacerdos in Missa, quando dicit, Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, &c. Alia est absolutio recõciliatiua peccatoris apud Deum; & hæc non potest fieri de vno peccato, & nõ de alio, aliàs idem simul tempore esset Deo reconciliatus & inimicus. Hæc absolutio fit à Deo in instanti contritionis, qua etiam peccator absoluitur priusquam confiteatur Sacerdoti. Alia est absolutio quam aliqui vocant declaratoriã, quia volunt Sacerdotem Euangelicum absoluere, hoc est declarare absolutum à Deo, & admittere ad communionem Ecclesiæ, quia culpa est remissa à Deo, proponenti confiteri, antequam pœnitens à Sacerdote absoluatur, iuxta illud, Dixi, cõfitebor aduersum me iniustitiam, & tu remisisti impietatem peccati mei. Vbi esto cautus, ne erres: & lege de hac Dominum Caietanum Card. in quolib. q. 12. vbi disputat de effectu absolutionis sacramentalis, quippe quæ dupliciter intelligi potest ipsam operari remissionem peccatorum. Vel in voto, vel in exequutione: nam qui ante confessionem remissionem consequitur, ex sacramentali absolutione in voto consequitur: & si quidem ante absolutionem pœnitens consequutus sit remissionem peccatorum, per sequentem absolutionem augetur gratia remissiua peccatorum: si verò non prius consequutus est veniam, consequitur per absolutionem, intelligendo tamen cum grano salis, si pœnitens est dignus absolutione, &c. quia absoluere est à vinculo soluere, liberare, & expedire, propterea absolutio dicitur etiam liberatiua à crimine quod apponitur.

Nota de absolutione suffraganei ab excommunicatione.

Absolutio satisfactoria.

Deprecatoria

Recõciliatiua

Declaratoria.

Cõsule S. Th. lib. 4. sen dist. 18 q. 1. art. 3. ad 1.

Ablatiuus casus ex Grammaticis dicitur, qui sextus est casus apud Latinos, Græci tamen ipsum non habent, vtuntur genitiuo pro ablatiuo, vt ait S. Thom. in expositione Epist. ad Rom. cap. 2. lect. 3. & p. p. q 37. art. 2. vbi disputat, num Pater, & Filius diligant se Spiritu sancto, ait, quòd ablatiuus potest construi in vi causæ efficientis, vel finalis, vel formalis, vel in vi effectus formalis, vt ignis est calefaciens calefactione, & arbor est florens floribus, & quia diligere notionaliter nihil aliud est, quàm spirare amorem, sicut dicere est producere verbum, & florere est producere flores: sicut ergo dicitur arbor florens floribus, ita dicitur Pater dicens Verbo, vel Filio, se, & creaturam, & Pater, & Filius dicuntur diligentes Spiritu sancto, vel amore procedente, se, & nos. Simile etiam scribit S. Thom. 1. sent. dist. 32. q. 1. art. 1.

Multiplex ablatiui casus cõstructio declaratur.

Contradicit Sco. huic doctrinæ 1. sent. d. 32. q. 1.

Absolutè, De hoc S. Thom. 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 3. vbi disputat, num voluntas requiratur in baptizato? dicit, quòd in adulto nõ requiritur absolutè, sed conditionaliter, seu non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi quod Ecclesia confert, sed sufficit voluntas conditionata; sicut est in voluntarijs mixtis, vt dicitur in 3. Ethic. c. 2. & ideo si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra nihil cõferente vim passo, vt cùm aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec Sacramentum suscipit, nec rem Sacramenti; si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat Baptismũ suscipere, quàm talia pati, tunc suscipit Sacramentũ, sed non rem Sacramenti. Absolutè etiã dicitur, vt distinguitur contra respectiuè,

Quæ voluntas in adulto dũ baptizatur, requiritur, hic declaratur.

A 2 vt sub-

vt substantia, quantitas, qualitas, sunt entia absoluta: dicitur etiam simpliciter, vt homo est animal rationale. Absolutè quoque dicitur omnibus modis, vt Deus est absolutè bonus. Dicitur etiam pro necessario, vt ait Cicero lib. 3. de finib. Necessariò sequitur, omnes sapientes semper, feliciter, absolutè, fortunatè viuere, &c.

Differt absolutum ex absolutè ob aduerbialis modi inclusionē.

Absolutum, De hoc loquitur S. Thom. 1. 2. q. 16. art. 4. in resp. ad 2. vbi disputat, si vsus præcedit electionem, & arguit, quia absolutum est ante relatiuum, ergo minus relatum est ante magis relatum, sed electio importat duas relationes, vnam eius quod eligitur ad finem, aliam verò ad id cui præeligitur; vsus autem importat solum relationem ad finem, ergo vsus est prior electione. Et respondet, quòd id quod est per essentiam suam relatum posterius est absoluto, sed id cui attribuuntur relationes non oportet quod sit posterius, immo quanto causa est prior, tanto habet relationes ad plures effectus, & sic vsus quodammodo præcedit electionem, quodammodo sequitur. Absolutum aliquando dicitur perfectum cui nihil deficit, vt hora est absoluta, quia nihil ei deest quod pertineat ad eius complementum, & sic dies, & annus. Dicitur quoque absolutum quod non recipit terminationem, & excludit receptiuum, quo pacto esse Dei est absolutum ab omni receptiuo, propterea est infinitum per se existens, Angelus verò est inreceptus à materia, vt ait Sanctus Thomas prima parte, quæstione 7. articulo 1. & Caietanus ibidem, quia absolutum ex vi nominis illud dicitur quod est ab alio solutum, &c.

Multiplex absoluti acceptio explicatur

Aliquando dicitur absolutum à causa, quia est independens, & incausatum; & sic Deus dicitur ens absolutum, quia nullam causam habet. Secundo dicitur absolutum à subiecto inhæsionis & prædicationis; & sic substantia prima est absolutum quoddam, quia caret vtroque subiecto, non enim est in subiecto, neque dicitur de subiecto, vt aliquis homo, aliquis equus. Tertio dicitur absolutum à termino; & sic quantitas, & qualitas sunt absoluta à termino, sed non à subiecto inhæsionis; substantia secunda non est absoluta à subiecto prædicationis, nec partes substantiæ à subiecto integrationis. Dicitur etiam absolutum priuatiuè, s. pro conceptu abstracto ex absoluto & respectiuo, sicuti si abstrahimus ens finitum à substantia & relatione, tunc ens finitum non est absolutum, nec relatiuum, loquendo positiuè, sed solum dicitur priuatiuè absolutum, quia non est actu respectiuum, sed potest esse. Dicitur quoque absolutum pure negatiuè, pro eo cui conuenit sic esse ad se, quod nullo modo ad aliud; & sic in diuinis, diuina essentia est absoluta, & quidditates substantiæ, puta humanitas, sunt absoluta.

Nō repugnat ens finitū, positiuè sumptū, neque absolutum, neq; respectiuū esse.

Abstinentia, Declaratur ista à S. Tho. 2. 2. q. 146. art. 1. vbi disputat, num abstinentia sit virtus, & docet, quòd abstinentia ex suo nomine importat subtractionem ciborum; & potest accipi dupliciter; Vno modo prout absolutè designat subtractionem ciborum; & hoc modo abstinentia non designat neque virtutem, neque actum virtutis, sed quoddam indifferens. Alio modo potest accipi, prout est ratio regulata; & tunc significat, vel habitum virtutis, vel actum; de qua loquens Petrus Apost. 2. Epist. cap. 1. Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, vt. s. homo à cibis abstineat prout oportet, pro congruentia hominum cum quibus viuit, & personæ suæ, & pro necessitate suæ valetudinis. Et est specialis virtus moralis, quia per eam vitia carnis reprimuntur, & tamen natura corporis non destruitur: natura enim carnis secundùm ordinem rationis est, quod spiritui sit subiecta; & natura spiritus est, quòd sibi dominetur, eam dirigendo, & vertendo ad exercitium virtutis, vt scribitur Gen. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Non ergo debet tantum homo abstinere se corporaliter à cibis, vt placeat Deo, edomando carnem suam, ac deuincendo secum, sed debet etiam abstinere se à vitijs & peccatis, & rebus illicitis, & ab affluentia rerum temporalium, & à sapientia secularium, nisi quantùm facit ad vtilitatem animæ: debet etiam se abstinere ab assiduis delicijs, & à prauis passionibus, & à prauis colloquijs, & inimicitijs, & mendacijs, &c.

Virtus, & vitium, rationis electionē supponunt.

In vtroq; homine abstinendum est.

Abstractio, De hoc termino loquitur S. Thomas p. p. q. 40. art. 3. vbi disputat, num abstractis per intellectum relationibus à personis, adhuc remaneant hypostases? & 3. parte, q. 3. art. 3. vbi inquirit, vtrum abstracta personalitate per intellectum, natura diuina possit assumere naturam humanam? Et Caietanus in libello de ente & essentia, dicit, quòd multiplex est abstractio per intellectum, Vna quæ dicitur formalis, qua forma abstrahitur à materia, sicut forma circuli abstrahitur per intellectum ab omni materia sensibili. Alia vocatur abstractio totalis, qua totum vniuersale abstrahitur à partibus subiectiuis, puta animal abstrahitur ab homine, & leone. Differunt istę duæ abstractiones in hoc,

Melius dicitur abstractio formalis à materiali, quia materia, vt

quia

quia penes abstractiones formales differunt scientiæ speculatiuæ; alia enim abstractione formali vtitur Physicus, alia Metaphysicus, alia Mathematicus. Abstractione enim totali omnes scientiæ vtuntur, & conueniunt in ea; quia scientia omnis est vniuersalium, & istæ duæ abstractiones spectant ad intellectum possibilem, abstractio specierum intelligibilium à phantasmatibus spectat ad intellectum agentem. Et quia abstractio est consideratio vnius sine consideratione alterius, vt considerando animal, vt genus, non considerando hominem, aut aliquam aliam speciem animalis, semper fit à posterioribus quia à prioribus essentialibus non potest fieri abstractio: licet enim homo possit abstrahi à Sorte, & Platone, non tamen potest abstrahi ab animali; & propterea dixit Arist. 2. Physic. Abstrahentium non est mendacium, quia abstrahebat priora à posterioribus, & hoc abstractione præuisiua, & non diuisiua: intelligebat enim numeros & magnitudines absque qualitatibus sensibilibus, puta calido, frigido, humido, sicco, &c.

pura potentia sine forma nō est intelligibilis.

Abstractum, De hoc S. Thomas p.p.q.13.art.1. in resp. ad 2. & Caiet. ibidem, significat formam simplicem, qua aliquid est, vt albedo est id quo aliquid est, album concretum significat perfectionem & subsistentiam rei, licet conueniat in significatione, quia vtrúq; significat puram formam; differunt tamen ex modo significandi, quia concretum primo importat subiectum, secundario formam; vt simum est nasus curuus, primo exprimit nasum, secundo curuitatem: abstractum verò ex modo significandi, primo importat formã, & deinde subiectum, vt simitas est curuitas nasi. Et quot modis dicitur abstractum, tot modis dicitur & concretum, quia abstractum dicitur quod est ab alio tractum, significãs formam absolutam: concretum verò quod est ad aliquid contractum, vt entitas & ens; entitas enim est illud, quo ens est ens, puta humanitas est qua homo est homo; ens verò est illud, quod habet entitatem, puta homo habet humanitatem. Et quoddam est abstractum physicum, vt mixtum; quoddam mathematicum, vt linea; quoddam metaphysicum, quod est duplex, vel per essentiam vt Deus; quoddam per indifferentiam vt actus, & ipsa transcendentia. Et nota, quòd potest destrui concretum, non tamen destruitur abstractũ physicum, vt ait B. Augustinus lib.1. soliloq. aliud est castum, aliud castitas, aliud castus, Quis moritur, non moritur castitas: & hoc verificatur in creaturis, quia in Deo abstractum & concretum sunt idem, & prædicantur de se inuicem, vt Deus est Deitas.

Per locum à coniugatis arguitur ex abstracto ad cōcretum, vt patet in prob. Met. de sapientia, & sapiente.

Acceptio personarum, Disputat de hoc S. Thomas 2.2.q.63.art.1. num sit peccatum? & asserit, ꝙ acceptio personarum opponitur iustitiæ distributiuę, consistit enim ęqualitas distributiuę iustitiæ in hoc, ꝙ diuersis personis diuersa distribuuntur secundùm proportionem ad dignitates personarum: si ergo aliquis consideret illam proprietatem personæ, propter quam aliquid quod ei confertur est ei debitum, non est acceptio personę, sed causę; vnde glosa super illud ad Ephes.6. Personarum acceptio non est apud Deum, dicit, quòd Deus iudex iustus causas discernit, nõ personas, puta si iudex aliquis promoueat aliquem ad magisterium propter sufficientiam scientię, hic attenditur causa debita, non persona; si autem aliquis cõsideret in eo, cui aliquid confert, non id propter quod id quod datur, esset ei proportionatum, vel debitum, sed solum hoc quod est homo, puta Petrus, vel Martinus, hic est acceptio personę, quia non attribuitur ei aliquid propter aliquam causam, quę faciat eum dignum, sed simpliciter attribuitur personę: & hoc peccatum nedum committitur in dispensatione temporalium, sed etiam spiritualium, quia quanto in maioribus aliquis iustitiam transgreditur, tanto grauius peccat, vnde cùm spiritualia sint temporalibus potiora, grauius peccatum est personas accipere in spiritualium dispensatione, quàm temporalium, & sic etiam in dispensatione honorum, &c.

Qui in spiritualibus, vel temporalibus præsunt, attẽdant hoc.

Causa, nō autē persona, in collatione dignitatum est inspicienda.

Accidens, De hoc S. Thomas 1.2. quæst.53. art.2. ad 3. vbi disputat, si habitus potest diminui, ait, quòd accidens quocunque modo significetur, semper habet dependentiam ad subiectum secundùm suam rationem, aliter tamen & aliter: nam accidens significatum in abstracto importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidente, & terminatur ad subiectum, nam albedo dicitur qua aliquid est album. Et ideo in definitione accidentis abstracti non ponitur subiectum, quasi prima pars definitionis quæ est genus, sed quasi secunda, quæ est differentia; dicimus enim, quòd simitas est curuitas nasi: sed in concretis incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidens; dicitur enim album quod habet albedinem: propter quod in definitione huiusmodi accidentis ponitur subiectum tanquam genus, quod est prima pars definitionis, dicimus enim, quòd simus est nasus curuus. Sed aduerte, quòd accidens est duplex, Proprium, & commune, Proprium sumitur quatuor modis, Primo, quòd conuenit soli speciei humanę, sed non omni

Accidens in abstracto cōnotat subiectū de se, non autē quo ad modū significādi.

Diuiditur accidens.

indiuiduo eius; vt esse Theologum. Secundò, quod conuenit omni indiuiduo humanæ speciei, sed non soli; vt esse bipedem. Tertio, quòd conuenit omni, soli, sed non semper; vt canescere in senectute. Quarto, quòd conuenit omni, soli, semperque, vt risibile respectu hominis, & tale ita definitur ab Arist. .Topic. Proprium est, quod inest omni, soli, & semper, & conuersim prædicatur de re, & non indicat quid est esse rei.

Accidens commune est, quod adest, & abest præter corruptionem subiecti, vt dixit Porphyrius in prædicab. Vel, quod contingit eidem.s.subiecto in esse, & non in esse; vt esse sanum, vel infirmum. Vel, quod neque est genus, neque species, neque differentia; semper autem est in subiecto existens. Capitur etiam accidens pro extraneo, & sic est quodcunq; inferius dicitur accidere suo superiori, vt Socrates homini, & homo animali. Capitur adhuc pro omni eo, quod distinguitur contra substantiam; & sic omnia nouem prędicamenta sunt accidentia, & primo intentionaliter dicunt respectum rationis, superioritatis, vel inferioritatis, puta generis, speciei, differentię, &c. In Scriptura sacra accidens dicitur quicquid quacunque causa præcedente contingit euenire & accidere, idem est quod contingere, vel euenire, & potest esse mirabilis nominis; vt fuit Incarnatio Christi, de quo Plinius lib. 13. cap. 21. ait, quòd in nocte natiuitatis Christi lumen de cœlo ita refulsit, ac si esset verissima clara dies. Potest etiam esse damnabilis mixturę, quod significat peccati commissionem, vt quando accidens corrumpit substantiam, vt febris corrumpit calorem naturalem, ita peccatum gratiam & charitatem; quæ est calor hominis spiritualis, vt patet exemplo Dauidis 2. Regum, cap. 16. qui deambulans in solario, vidit Bersabeam se lauantem, & concupiuit, & peccauit cum ea. Est etiam accidens terribilis iacturæ, quod significat grauem tribulationem, vt legitur de Rege Achab 2. Paralip. vbi Deus ordinauerat ipsum occidendum in prælio; & sic accidit, quòd vnus incertum iaciens sagittam, percussit Regem, ex qua percussione mortuus est.

Accidētis improprię significationes referuntur.

Accidens quadrupliciter corrumpi potest. Docet hoc S. Tho. 3. sent. dist. 31. q. 1. art. 1. vbi disputat de eo qui habet charitatem, si poterit aliquando eam amittere. Et Caietanus in expositione 7. cap. de ente, & essentia. Corrumpitur primo accidens per alterationem oppositam suo contrario, vt frigus à calido. Secundo ad absentiam conseruatini agentis, vt lumen in aere desinit recedente Sole. Tertio ad corruptionem subiecti, vt risibilitas corrumpitur corrupto homine. Quarto ad corruptionem termini, vt paternitas corrumpitur corrupta filiatione ad quam terminabatur paternitas. Et quia quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur & reliquum; hinc est, quòd quadrupliciter etiam dicitur accidens generari. Primo ab agente per transmutationem, sicut aqua calefit ab igne calido. Secundo ad præsentiam agentis in fieri, & esse, vt lumen in aere fit à Sole præsente. Tertio ad generationem subiecti, vt risibile generatur genito homine. Quarto ad generationem termini, vt Sorte solo albo, statim ad alterius albi generationem consurgit in Sorte similitudo, &c.

Quadrupliciter generatur, & corrumpitur accidens.

Accidia, De qua agit S. Tho. 2. 2. q. 35. art. 1. est quædam tristitia aggrauans, quæ.s. ita deprimit animam hominis, vt nihil ei agere libeat, sicut ea quæ sunt accidia; & ideo accidia importat quoddam tedium operandi, & deberet scribi per e, in medio, & per simplex c, secundùm Græcos, vt dicatur acedia, quæ est tedium interni boni, quæ ex genere suo venialis est, quia non contrariatur charitati, sed eius feruori: fit autem mortale, dum per eam, aut ex ea, incurritur mortale crimen, ex omissione eorum quæ sunt de necessitate salutis, aut desperatio de diuino auxilio, aut suiipsius interfectio. Vnde acedia est diffidentia de proprijs viribus, & Dei auxilio, quo ad ardua bona implenda. Vel, est torpor mentis bona inchoare, & illa non perficere. Vel, est languida deiectio de virtutum laudabili exercitio vtriusque hominis; vnde acedia dicitur ab acedine, quia per eam anima habet quandam acedinem, quandamque indispositionem gustus spiritualis de bono diuino, seu spirituali difficili, propterea acedia est tedium bene operandi, & est vitium capitale, quia ex ea oriuntur alia vitia secundùm rationem causæ finalis. Hinc B. Gregorius 31. moralium, dicit, vitium hoc habere multas filias, malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem circa præcepta, euagationem mentis circa illicita: ociositas autem & somnolentia reducuntur ad torporem, &c.

Ex omissione eorū quæ sunt de necessitate salutis accidia est peccatum mortale.

Accidia filia secundùm B. Greg. numerantur.

Actus, S. Thomas de hoc termino loquens in disputatis de potentia Dei, q. 1. art. 1. in principio, ait, quod actus est duplex. Primus qui est forma, & secundus qui est operatio: sed nomen actus, primo fuit attributum operationi, sic enim omnes intelligunt actum, secūdo autem fuit translatum ad formam, inquantum forma est principium operationis.

Dicitur

Dicitur etiam actus subsistentiç, siue hypostaticus, qui est ipsius singularis, ex quo moti sunt Nominales ad ponendum singulare esse primum cognitum. Ponit etiā Henricus de Gandauo, & Scotus, post ipsum actū entitatiuum, quem tribuunt materiæ primæ. Auerr. lib. de substantia orbis, posuit quendam actum medium inter purā potentiam, & actum purum, quem ait conuenire orbi, qui dicitur materia in actu & subiectum: quia vult orbē seclusa intelligentia non esse naturam compositā ex materia & forma, sed esse naturam mediam inter puram potentiā, & actum purum. Ex his poteris intelligere sensum illius propositionis, quam ponit Arist. nono primç Philosophiæ, tex. 20. Actus est ratio intelligendi, & cognoscendi; intelligitur de actu qui est forma, quia forma est per se principium operationis, & ratio per se prima intelligibilitatis: & sensus etiam alterius dicti Philosophi 7. diuinorum, tex. 49. actus est qui separat & distinguit, intelligitur etiam de forma principaliter, nam etiam quandoque aliqua distinguuntur non solum per formas, verum etiam per materias, licet materia non sit prima ratio distinguendi, potest tñ esse vt stat sub forma, quia in fundamento naturç in se considerato nihil est distinctū, 1. Met. tex. 17. Sunt & alij modi quibus dicitur actus, vt disertissimè scribit, & notat Illustriss. & Reuerendiss. D. Cardinalis Constantius Sarnanus, eruditione profundissima, ac omni iuge disciplinarum omnium, præsertim scholasticarum encyclopedia toti orbi vsq; ad miraculum in præclaro suo Directorio in Logicam, Philosophiam, & Theologiam ad mentem Scoti, vt actus elicitus, qui immediatè causatur à voluntate, sicut amare, & odire, &c. & actus imperatus, qui non producitur à voluntate, sed aliæ potentiæ ordinant eum ad voluntatis imperium, vt scribere, & cantare. Et quia quælibet potentia alia ab intellectu potest habere duplicem actum, quorum alter vocatur non deliberatiuus, cuiusmodi sunt primi motus de quibus non laudamur, nec vituperamur: alter verò appellatur deliberatiuus, & iudicatiuus, vt quando quis videt rem aliquam sensu exteriori, non discurrendo de bonitate, & malitia eius, sed postea reducit ad memoriam suam, discurrendo circa pulchritudinem & turpitudinem, & alias proprietates illius, & determinat se velle sequi, vel fugere rem illam; & hçc determinatio est actus deliberatiuus, & iudicatiuus, & in hoc actu potest esse peccatū, & meritum. Sunt & alij actus, quos ibi videre poteris.

Actus entitatiuus verificatur de hoc, quod essentialiter secūdùm ordinē extremorū in vniuerso non est potentia.

Dicta Arist. de actu declarantur.

Exequutiuè non sunt primò à voluntate, sicut imitatiuè.

Actio duplex est. Scribit S. Tho. de hac re pluribus in locis suç doctrinç, prçsertim p. p. q. 27. ar. 1. vbi disputat, num processio sit in diuinis? Altera dicitur actio immanēs, altera trāsiens. Differentia est inter has duas actiones, vt docet Arist. 9. Met. tex. 16. Primo, quia actio immanens est subiectiuè in agente à quo producitur, cùm sit perfectio ipsius agentis; vt speculatio, & intellectio perficit speculantē, & intelligentem: actio verò transiens est subiectiuè in facto, vel passo, vt calefactio est in calefacto, & secatio in secato ligno passiuè. Secundo differunt, quia per actionem immanentē ex natura sua nullo modo immutatur obiectum circa quod est, vnde ex hoc quod intelligo vel desidero, aut volo aliquem librum, non immutatur aliquo modo ipse liber: sed per actionem transeuntē semper immutatur subiectum circa quod est, & aliquid de nouo acquirit, vel deperdit, puta qualitatē vel quantitatem, aut locum: ex hoc enim quod aqua calefit, aqua ipsa amittit aliquem gradum frigiditatis. Tertio differunt, quia per actionem transeuntem vniuersaliter, & semper producitur aliquid distinctum ab operatione. Quod duobus modis esse potest: quandoquidem aliquando tale operatum remanet post operationem, vt domus post ædificationem; aliquando non remanet, nisi quandiu est operatio, vt sonus causatus in aere ex citharizatione: per actionem autem immanentem non vniuersaliter, nec semper producitur aliquod distinctum ab operatione, sed ab vtroq; abstrahit, nam per aliquam aliquod distinctum producitur, vt per actum intelligendi producitur conceptus, per frequentatos actus morales producitur habitus moralis, per aliquem autē ex se nihil producitur, vt per videre prçcise, aut velle, aut desiderare, &c. Et hoc voluit dicere Caiet. in p. p. D. Tho. q. 27. in apostillis 1 art. contra Duran. quòd per actionem transeuntem necessariò producitur aliquid, per actionem verò immanentem permissiuè, quia permittitur aliqua, ex qua aliquid producitur. Et sic intelligitur famosa illa propositio S. Tho. Quicunque intelligit, ex hoc ipso, quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens, &c.

Consule auctorē lib 9. Met. dilucidat. 4. qualiter actio transiens sit subiectiuè in agente.

Triplex differentia inter actionem immanētem, & transeuntem assignatur.

Adam, Scribens S. Thó. p. p. q. 97. ar. 1. ait, quòd Adam in statu innocentiæ erat incorruptibilis & immortalis ex parte causæ efficientis, non autem ex parte materiæ, vt cœlum, aut ex parte formæ, ita vt forma eius satiaret appetitum suæ materiç; neque erat immortalis per aliquem vigorem in eo existentem, sed inerat animæ eius vis quędam super-

ſupernaturaliter diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præſeruare, quandiu ipſa Deo ſubiecta manſiſſet. Deus enim hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret, vt ipſe ſibi author eſſet, aut ad vitam, aut ad mortem.

Adæ inſtitutio.

Et hoc nomen Adam eſt dictio Hebraica, & idem ſignificat, quod rubet, quoniam conſperſa rubra terra factus eſt. Habebat omnes virtutes: nam talem rectitudinem habebat quòd ratio erat Deo ſubiecta, inferiores autem vires rationi. Et cùm virtutes nihil aliud ſint, quàm perfectiones quædam, quibus ratio ordinatur in Deum, & inferiores vires diſponuntur ſecundùm regulam rationis; hine eſt, quòd omnibus virtutibus erat decoratus, ſed peccando amiſit gratiam, & virtutes, & effectus eſt veluti homo infectus, & deiectus à palatio regali, frandatus à ſerpente, & ab vxore, dicatus labori & miſeriæ, per tribulationem & afflictionem, exilio datus, morti ſubiugatus, ſubiugando etiam omnes filios ſuos morti corporali & ſpirituali. Vnde ſi ipſe non peccaſſet, nec etiam generaſſet filios ſuos ſubiectos morti, poſſent tamen filij ſui peccare per eorum liberum arbitrium, quia Adam ſi genuiſſet in ſtatu innocentiæ aliquem, ille ſecundùm legem communem non eſſet confirmatus in iuſtitia, vt non poſſet peccare, &c.

Adæ cum poſteri ærumnæ, & miſeria.

Addere, De hoc loquens S. Thomas in diſputatis q. 21. ar. 1. in quo quærit, quid addat bonum ſupra ens? dicit, quòd tripliciter poteſt aliquid ſuper alterum addere. Vno modo quod addat aliquam rem, quæ ſit extra eſſentiam illius rei cui dicitur addi; ſicut album addit ſupra corpus, quia eſſentia albedinis eſt præter eſſentiam corporis. Alio modo dicitur aliquid addi ſuper alterum, per modum contrahendi & determinandi; ſicut homo addit aliquid ſuper animal, non quidem ita quod ſit in homine alia res, ita quod ſit penitus extra eſſentiam animalis, aliàs oporteret dicere, quòd non totum quod eſt homo eſſet animal, ſed animal eſſet pars hominis, ſed animal per hominem contrahitur, quia id quod determinatè, & actualiter continetur in ratione hominis, implicitè & quaſi potentialiter continetur in ratione animalis; ſicut eſt de ratione hominis, quod habeat animam rationalem, & de ratione animalis eſt quod habeat animam, non determinando ad rationalem vel non rationalem, iſta tamen determinatio, ratione cuius homo ſuper animal addere dicitur, in aliqua re fundatur. Tertio modo dicitur aliquid addere ſuper alterum ſecundùm rationem tantum, quando ſcilicet aliquid eſt de ratione vnius, quod non eſt de ratione alterius, quod tamen nihil eſt in rerum natura, ſed in ratione tantum, ſiue per illud contrahatur id cui dicitur addi, ſiue non; cęcum enim addit aliquid ſupra hominem, ſcilicet cęcitatem, quæ non eſt aliquod ens in natura, ſed rationis tantùm. Primo modo nihil additur ſupra ens, cùm nihil ſubterfugiat rationem entis. Secundo modo etiam aliquid addit ſupra ens, vt ſunt prædicamenta, quæ addunt ſupra ens determinatum modum eſſendi. Tertio etiam modo bonum addit ſupra ens aliquid rationis, non negationem, ſed quandam relationem perfectiui, &c.

Ex quacunq; additione modificatur id cui fit additio.

Addit ſpecies ad genus, quod implicitè, & potentialiter eſt inchoatū in eo.

Adiectiua, De hoc termino ſcribit S. Tho. p. p. q. 39. ar. 3. vbi diſputat, ſi nomina eſſentialia prædicentur ſingulariter de tribus perſonis: & aſſerit, ꝙ nomina ſubſtantiua ſignificant aliquid per modum ſubſtantiæ, nomina verò adiectiua ſignificant aliquid per modum accidentis, quod inhęret ſubiecto; vnde adiectiuum dicitur quaſi adiunctiuum, quia ſubſtantiuo adiungitur: ſubſtātia autem ſicut per ſe habet eſſe, ita per ſe habet vnitatem vel multitudinem, vnde ſingularitas vel pluralitas nominis ſubſtantiui attenditur ſecūdùm formam ſignificatam per nomen; accidentia autem ſicut eſſe habent in ſubiecto, ita ex ſubiecto ſuſcipiunt vnitatem vel pluralitatem, & ideo in adiectiuis attenditur ſingularitas & pluralitas ſecundùm ſuppoſita: & ideo illa quę ſignificant eſſentiam adiectiuè prædicantur pluraliter de tribus, propter pluralitatem ſuppoſitorum; dicimus enim tres exiſtentes, vel tres ſapientes, aut tres ęternos, & increatos, & immenſos, ſi adiectiuè ſumantur: ſi verò accipiantur ſubſtantiuè, dicimus vnum increatum, & vnum immenſum. Et eadē q. art. 5. in reſp. ad 5. arg. ait, ꝙ hæc eſt differentia inter nomina adiectiua & ſubſtantiua, quòd nomina ſubſtantiua ferunt ſuum ſuppoſitum, adiectiua verò non ſupponunt, ſed copulant; & hinc nomina perſonalia ſubſtantiua poſſunt de eſſentia prædicari, propter identitatem rei. Nec ſequitur, quòd proprietas perſonalis diſtinctam determinet eſſentiam, ſed ponitur circa ſuppoſitum importatum per nomen ſubſtantiuum, ſed notionalia & perſonalia adiectiua non poſſunt prædicari de eſſentia, niſi aliquo ſubſtantiuo adiuncto, vnde non poſſumus dicere, quòd eſſentia eſt generans, poſſumus tamen dicere, quòd eſſentia eſt res generans, vel Deus generans, ſi res, & Deus ſupponant pro perſona, non autem ſi ſupponant pro eſſentia: vnde non eſt contradictio ſi dicatur, quod

Eſt enim adiectiuū terminus connotatiuus, et per ſe non ſupponit.

eſſentia

essentia est res generans, quia primo res tenetur pro persona, secundo pro essentia.

Adoptio, de hac loquens S.Th.4.sen.dist.42.q.2.art.1.ait, ꝙ adoptio est extraneæ personæ in filium, vel nepotem, Vel deinceps legitima assumptio. Et est duplex species adoptionis, Vna, quæ perfectæ imitatur naturalem filiationē; & hæc vocatur abrogatio per quam reducitur adoptatus in potestatem adoptantis? & sic adoptatus succedit patri adoptanti ex intestato, nec potest eum pater sine culpa priuare quarta parte hæreditatis, sic aūt adoptari non pōt, nisi ille qui sui iuris est, qui .s. postquam adoptatur non habet potestatem, aut si habet est mancipatus, & hæc adoptatio non fit nisi anthoritate Principis. Alia est adoptatio quæ imitatur naturalem filiationem imperfectè, quæ vocatur simplex adoptio, per quam adoptatus non transit in potestatē adoptantis; vnde magis est dispositio quædam ad perfectam adoptionem, quam adoptio perfecta: & secundum hanc potest adoptari ēt ille qui non est sui iuris, & sine authoritate principis, ex authoritate magistratus; & sic adoptatus non succedit in bonis adoptātis, nec tenetur ei adoptatus aliquid de bonis suis in testamēto dimittere, nisi velit; quia vt ipsemet S.Th. ait 3.p.q.23. vbi loquitur, si Deo benedicto cōueniat filios adoptare, ꝙ aliquis homo adoptat alium sibi in filium inquantū ex sua bonitate admittit eū ad participationem suæ hæreditatis, idcirco Deus cū sit infinitæ bonitatis ex qua contingit quod ad participationem bonorū suorum adoptare homines in filios Dei conuenit toti Trinitati. Et hinc etiam prouenit, Christum secundùm quod homo non esse filium Dei adoptiuum, quia filiatio proprie conuenit personæ, in Christo autem non est alia persona, quam increata, cui conuenit esse filium per naturam; adoptare autē est in filij locū suscipere, teste Aulo Gellio: vnde licet conueniat toti Trinitati, appropriatur tamen Patri vt auctori, Filio vt exemplari, Spirituisancto vt imprimēti in nobis huius similitudinē exemplaris, &c.

Duplex adoptionis species

Filiatio quia personæ conuenit, Christo secundū quod homo, esse filiū Dei adoptiuū disconuenit.

Adoratio est actus religionis, vt scribit S.Th.2.2.q.84.ar.1.& est duplex interior, quæ est deuotio mentis, & exterior quæ est humiliatio corporis. Prima est principalior, quia ea quæ exterius aguntur sunt signa interioris reuerētiæ: hinc alia veneratione veneramur Deum, quæ pertinet ad latriā, & alia veneratione quasdam excellentes creaturas, quæ pertinent ad duliam. Sed attende, ꝙ discrimen est inter orare, adorare, & colere. Orare siue oratio, est quædam eleuatio mētis in Deum per cognitionem & amorē. Adorare aūt hoc addit, ꝙ quæramus Deum tota intentione, quærēdo, credendo, & firmissime sentiendo ipsum habere summam bonitatem, & ab ipso omne bonū emanare, & sine ipso nihil boni posse haberi. Colere dicit oīa prædicta, addendo cæremonias exteriores, vt sunt genuflexiones sacrificia, &c. Hęc etiam .s. reuereri, honorare, laudare, glorificare, cōfiteri, adorare, inter se hēnt per ordinē. Nam reuereri est aliquod maius bonū in alio quam in se existimare. Honorare autem, est reuerētiam exhibere propter illud bonum. Laudare est honoratum cōmendare. Glorificare est laudes ipsius honorati laute largeq; pręconizare. Confiteri est Deum, & dominum vniuersalem affirmare coram hominibus. Adorare est reuerendum, honorandum, & glorificandum propter eminentiam omnipotentiæ & sanctitatis colere, & omni alia spe postposita se totum illi subijcere; & hoc soli Deo conuenit, iuxta illud Matth.4. Dominum Deum tuum adorabis & illi soli seruies. Et quia ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili; duplicem adorationem Deo offerimus .s. spiritualem, quæ consistit in interiori mentis deuotione, & corporalē, quæ consistit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ id quod est exterius refertur ad id quod est interius, sicut ad principalius; ideo ipsa exterior adoratio fit propter interiorem, vt per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus excitetur noster affectus ad subiiciendum se Deo: vnde sicut oratio primordialiter est in mente, secundario aūt verbis exprimitur: ita etiā adoratio, principaliter quidē in interiori Dei reuerentia consistit, secundario aūt in quibusdam corporalibus signis humilitatis. Et hinc est quod & si determinatus locus eligitur ad adorandū, hoc non est propter Deum qui adoratur, quasi loco concludatur, sed pp ipsos adorantes, quorū concursu oratio fit magis exaudibilis. Et sedm quādam decentiā fit versus Orientem, pp diuinæ maiestatis inditium, quod nobis manifestatur in motu cœli, qui est ab Oriente, & pp paradisum ibidem constitutum, & Christum qui Oriens noīatur, &c.

Aduentus, S.Th. in opusculo 60. quod est de humanitate Christi, inquit, Triplicē esse Aduentum, Primum ad homines, Secundum carnem, & in infirmitate, de quo dicitur, In propria venit, & sui eum non receperunt, & Verbum caro factum est. Secundo venit in mentem in quo est requies, & consolatio nostra; de quo dicitur Ioan. 14. Ad eū veniemus

Quatuor aduētus Saluatoris ad homines numeratur.

& mansionem apud eum faciemus. In tertio veniet ad iuditium finale; de quo dicitur Matth. 25. Cum venerit filius hominis in sede maiestatis suæ. &c. Additur & quartus, in quo venit ad particulare iuditium in morte hominis, de quo dicitur Matt. 13. Estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Et propterea Ecclesia solennizat quatuor Dominicas de Aduentu Domini, & vltima septimana sæpius est incompleta, ad significandum hos quatuor Aduentus. Hinc primus Aduentus qui dicitur in carne, fuit maxime desideratus à patribus, propter exultationem humanæ naturæ, vt liberarentur captiui à limbo; propter depressionem diaboli, quia per hunc Aduentum pacificatus est nobis Deus; & propter delectationem, quam sperabant habere cum Christo videndo, audiendo, & conuersando cum ipso. Aduentus ad iudicium, cum sit manifestus & terribilis, desideratur ab electis, quia tunc exaltabuntur & liberabuntur ab omni pœna & seruitute corporis, & tunc videbunt Deum facie ad faciem. Vel possumus dicere, quod aduentus in carnem, liberat animas à seruitute diaboli, Secundus qui est per gratiam Spiritus sancti, liberat eas à peccato, Tertius qui est iuditij vniuersalis, liberat corpora, Quartus, qui est in morte cuiuslibet, liberat à pœnalitatibus: vnde Ecclesia explicitè duos Aduentus celebrat, scilicet in carnem & ad iuditium, quia Aduentus in carnem, est etiam in mentem per gratiam, vterque est misericordiæ; ideo enim venit in carnem, vt veniret in mentem: & sic etiam Aduentus in iuditium diuiditur, quia vel est vniuersale vel particulare, nam vterque est iustitiæ, ratione vnius effectus; & sic sancta mater Ecclesia celebrat Aduentum sub binario, vt filijs suis ostendat misericordiam & iustitiam, generando in eis amorem & timorem, &c.

Aduerbium, Disputans S. Thom. 1. sententiarum, distinct. 31. q. 2. art. 1. in corp. num ista propositio Trinitas est solus Deus sit vera? dicit, ꝙ istæ dictiones exclusiuæ, solus, & tantùm, in hoc differunt, quod tantùm cum sit aduerbium, & similiter solùm, determinat actum verbi, quia aduerbium est adiectiuum verbi; vnde cum verbum coniungat prædicatum subiecto, & ad vtrunq; se habeat, congruè possunt ista aduerbia, tam ad subiectū, quàm ad prædicatum adiungi: hinc communiter dicitur à Grammaticis, quod aduerbiū dicitur, quia stat iuxta verbum, propterea in oratione ponitur propè verbum; vnde non potest vis verbi exprimi, nisi ei apponatur aduerbiū, vt dico, & nauigo, non plenè significant, nisi adiiciantur aduerbia, vt benè vel malè dicit, fœliciter nauigat, &c. Fiunt autē aduerbia quandoque à nomine, vt bonus benè; à verbo, vt à traho tractum; à nomine & verbo, vt pedetētim à pede & tento; à participio, vt ab insignitus insignitè, à pronomine, vt hic, illic, ab hic & ille; à propositione, vt ab extra, & à sub subtus, ab aduerbiis etiā, vt à prope propius. Lege de hac re Quintilianum primo libro institutionum Gram.

Aduocatus, De hoc agit S. Tho. 2. 2. q. 71. per totam, asserens, ꝙ Aduocatus ille dicitur, qui præstat patrocinium alicui; & hoc spectat ad opus misericordiæ, & vocatur causidicus, seu defensor causæ. Et ab hoc officio prohibentur quidam propter impotentiam, & qui deficiunt sensu; vel interiori, sicut furiosi, & impuberes; vel exteriori, sicut surdi & muti: est enim necessaria Aduocato interior peritia, qua possit conuenienter iustitiam assumptæ causæ ostendere, & iterum loquela cum auditu, vt possit pronunciare & audire, quod ei dicitur: vnde qui in his defectum patiuntur, omnino prohibentur ne sint Aduocati, nec pro se, nec pro aliis. Monacos etiam & presbyteros non decet in quacunque causa aduocatos esse, neque clericos in iudicio seculari, quia huiusmodi personæ sunt rebus diuinis astrictæ. Qui etiam patiuntur defectum corporalem, vt cęci; vel spiritualem, vt infames & infideles & damnati de grauationibus, seu de grauibus criminibus, excluduntur ab exercitio talis officio. Qui verò assumuntur ad exercendum tale officiū, non debent defendere causam iniustam, quia si scienter eam defendent peccant mortaliter. Possunt etiam pro eorum patrocinio aliquid accipere, considerata cōditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriæ: si verò per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra iustitiam, &c.

Non omnibus aduocare permittitur.

Iustitia quia vnicuique ius suum tribuit, ideo defendis causam iniustam, mortaliter peccat.

Adulterium, Scribens S. Thom. de hoc secunda secundæ, quæst. 54. artic. 8. ait, quod adulterium sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum thorum. In quo quidem dupliciter contra castitatem, & humanę generationis bonum aliquis delinquit, Primo quidem, inquantum accedit ad mulierem non sibi matrimonio copulatam, quod requiritur ad bonum prolis primò educandę; Alio modo? quia accedit ad mulierem alteri per matrimonium copulatam; & sic impedit bonum prolis alienę. Eadem ratio est de muliere coniugata, quę per adulterium corrumpitur.

Adulter

Adulter, dicitur alieni thori violator: & dicitur duobus modis, aut ratione actus, aut ratione intentionis; vt si ista est adultera ratione actus, ille qui eam cognouit dicitur etiam adulter ratione actus: ratione intentionis, quando vna persona cupit & desiderat cognoscere mulierem matrimonio alteri copulatam, & econtra de muliere, ratione viri matrimonio alteri copulati, &c.

Adultus, De quo S. Thomas 4. sent. dist. 4. q. 2. art. 3. q. 2. ad 2. arg. dicit, quòd quando adultus baptizatur, requiritur in eo deuotio, & Fides, quia secundùm quod magis & minus est dispositus, sic diuersimodè consequitur effectum Baptismi. Adultus secundùm Iurisconsultos ille dicitur, qui compleuit vigintiquinque annos, quia vsque ibi crescit, & tunc dicitur adultus. Secundùm verò Theologos, adultus est viator habens vsum rationis, per quem potest discernere inter bonum & malum, & quod potest cognoscere peccatum, quod commisit contra legem Dei; quia in multis ante ætatem consueta malitia supplet ætatem, vt patet de illo puero, de quo scribit Gregorius 4. dialog. qui damnatus est in ætate quinque annorum. Et non tantum in malis, sed etiam in bonis poterit quis ante legitimam ætatem ostendere prudentiam, iuxta illud in legenda Sanctę Agnetis, Fides non in annis computatur: is enim tenetur confiteri si habet peccata mortalia, ad consequendam salutem, &c.

Qui sit adultus secundùm Theologos, & Iuristas.

Tā malitia, quàm prudētia supplet ætati.

Aer est insensibilis, vt ait S. Thom. p. p. q. 71. art. 1. in responsione ad 3. & partim conuenit cum aqua quantum ad inferiorem partem, quæ exhalationibus aquę ingrossatur, partim cum cœlo quantum ad superiorem partem, & aues habent motum in inferiori parte aeris, & ideo sub firmamento cœli volare dicuntur. Diuiditur ergo hoc elemētum aeris in tres partes, quarum prima & suprema dicitur ęther, quæ pars est vicina & contigua sphęrę ignis calidissimę & subtilissimę, propterea dicitur inhabitabilis. Infima pars aeris est cōtigua terrę, vbi habitamus nos; hęc enim est temperata & habitabilis propter reflexionem Solis. Interstitia seu media pars aeris, est obscura & tenebrosa, in hac enim fiunt tonitrua, corruscationes, & aliæ impressiones Metheoricę, quibus dęmones frequēter miscent se, & causant effectus mirabiles. Attende etiam, quòd aer prope terram est limpidior & calidior, quàm in medio, & ipse quoque aer est actiuior aqua quoad formas substantiales, sed econuerso quo ad qualitates actiuas, & passiuas: & hinc est, quòd aer in sua raritate manens non retinet figuram, neque calorem, quando tamen condensatur & figurari & colorari potest; vt patet in nubibus: & sic Angeli assumunt corpora ex aere, condensando ipsum virtute diuina, vt ait S. Thom. p. p. q. 51. art. 2. ad 3. arg.

Aer in se haud obiectiuè est sensibilis.

Diuiditur regio aeris.

Affabilitas, De hac disputat S. Thom. 2. 2. q. 114. art. 1. asserens, affabilitatem esse idem quod amicitiam, & non esse distinctam ab alijs virtutibus, sed esse aliquid consequens omnes virtutes. Et est pars annexa iustitiæ, quia præcepta legis dantur de actibus virtutum. Congregationi pauperum affabilem te facito, iubet sapientissimus Salomon, Ecclesiast. 4. igitur affabilitas, seu amicitia quædam virtus est. Et quia omnis homo naturaliter omni homini est amicus quodam generali amore, iuxta illud, Omne animal diligit sibi simile, & hunc amorem repręsentant signa amicitiæ, quæ quis exterius ostendit in verbis, vel factis, vel etiam extraneis, vel ignotis, vnde non est ibi simulatio, non enim ostendit eis signa perfectæ amicitiæ, quia non eodem modo se habet familiariter ad extraneos, sicut ad eos qui sunt sibi speciali amicitia iuncti. Et notat etiam Caietanus in expositione huius articuli, quod apud Græcos hęc virtus est innominata, sed quia est similis amicitiæ, vocatur amicitia, & apud Latinos dicitur affabilitas, quia circa colloquia delectabilia principaliter versatur. Dicitur etiam comitas, quia per ipsum homo comiter se habet, suauis apud omnes. Et materia eius est, conuersatio hominis cum alijs, non in quibuscunque, sed in his quæ seriò fiunt, & fiunt, & exigit. Primo tanquam finem, vt homo exhibeat se delectabilem, & non molestum in his quę operatur, Secundo requirit, vt in pertractandis negotijs gratiosè loquatur; & ideo ei opponitur litigium, vt est ibi videre latius apud S. Thomam.

Affabilitas à Græcis vocatur amicitia.

Affinitas, est vinculum causatum ex carnis copula consanguineorum, vt docet S. Thomas 4. sent. dist. 41. q. 1. art. 1. per totum. Et hæc affinitas non causatur ex sponsalibus, cùm sit propinquitas personarum ex carnali copula, vel commixtione mediante, ex consanguinitate proueniens. Et dicitur affinitas, quia accedit ad fines, idest terminos, per hoc enim aliquis fit meus affinis, quia ipse est consanguineus vxoris, vel concubinæ meæ; vel per hoc quod ego sum consanguineus vxoris suę, vel concubinę. Et inter cognatos coniugum nulla est affinitas, quia socius socij mei non est meus socius: vnde si quis

Ex omni carnali copula contrahitur affinitas.

cognoscit mulierem, efficitur affinis omnibus consanguineis mulieris, per illam commixtionem, & econuerso in mulierem. Verùm quia carnalis commixtio non est tantum in concubitu matrimoniali, sed etiam fornicario, idcirco per omnem carnalem copulam, per quam vir & mulier dicuntur effici vna caro, affinitas contrahitur. Et propterea per omnem coitum affinitas consurgit in quo est commixtio seminum, & de iure positiuo non licet contrahere cum affine, &c.

Deus dicitur agens æquiuocum, quia est vniuersale agens.

Agens est triplex, Vniuocum, vt homo hominem generat. Æquiuocum, vt Sol respectu animalium genitorum ex putri materia. Analogum, vt Deus respectu creaturarum, quia nullum nomen dicitur de Deo & creaturis vniuoce, nec pure æquiuoce, sed tantum analogice, vt docet S. Thom. p.p.q.13.art.5. Dicitur etiam agens propinquum & remotum, & vtrunque duplex, per se, & per accidens. Dicitur etiã Agens naturale, & voluntarium, quod aliquando vocatur adiuuans, consulens, disponens, perficiens principale, & perficiens instrumentale, vt docet S. Tho. in 1.2.q.17.art.1. Et dicitur agens, quando aliquid operatur, vel facit, sicut Deus benedictus qui est primum agens cuiuslibet effectus: agens verò secundum, dependet à primo, & si est naturale necessariò operatur, quia positis omnibus requisitis ad agendum, & nullo impedimento existente non potest non agere, quia non est in potestate sua non agere: illud verò agens quod est liberum positis omnibus necessario requisitis, & nullo impedimento existente, non necessario operatur, sed est in potestate sua vt agat, vel non agat; quemadmodum proposito cibo ipsi Sorti ieiunanti, potest comedere, & non comedere. Et hinc est, quòd agere libere, est agere per voluntatem ad opposita, &c. Attende etiam, quòd in qualibet actione tria requiruntur, scilicet existentia agentis, iuxta illud 1. Metaph. Actiones sunt existentium, Secundo, ratio qua agens operatur, & est forma eius, siue substantialis, siue accidentalis; vt calor est ratio qua ignis calefacit, Tertio requiritur conditio sine qua non, sicut approximatio est conditio sine qua ignis non calefaceret stuppam, quia semper agens debet esse præsens patienti, vel præsentia situali sicuti est agens corporale, vel præsentia virtuali, vt quando Angelus mouet aliquod mobile. Et semper agens, vt agens, est præstantius passo, etiam quod sit agens vniuocum, loquendo formaliter, in ratione agentis & passi.

Tria necessario ad actionem concurrunt.

Affirmatio, est enunciatio alicuius de aliquo, negatio verò est enunciatio alicuius ab aliquo, vt docet S. Thom. 1. lib. Periherm. cap. de enunciatione, Exemplum primi, homo est animal, Exemplum secundi, homo non est lapis. Et affirmatio est prior negatione, prout affirmatio dicit habitum, & negatio dicit priuationem, sed in his quæ possunt esse & non esse, negatio est prior affirmatione, vt etiam scripsit S. Thom. in expositione prologi Perihermen. vt verò affirmatio & negatio sunt duæ species enunciationis, vna non est prior altera in ordine ad enunciationem ipsam, sed inter se considerata affirmatio est notior negatione, & semper ipsa affirmatio attribuitur compositioni, negatio verò diuisioni: & quanto affirmatio paucioribus conuenit, tanto eius negatio pluribus competit. Exemplum, vt si dicatur, non Sortes currit, omnibus alijs à Sorte conuenit, & quanto negatio paucioribus conuenit, tanto etiam affirmatio pluribus conuenit, vt non finitum conuenit omnibus alijs, & affirmatio complexa vni tantum opponitur contradictorio, vt omnis homo currit, non habet nisi istam contradictoriam, homo non currit.

Vide Arist. 3. Phys. tex. 1.

Agere tripliciter dicitur, Primo secundùm se totum, vt medicus sanat, Secundo dicitur agere secundùm partẽ, vt homo videt per oculum, Tertio dicitur agere per accidens, vt quando dicimus, album ædificat, quia accidit ædificatori esse album. Hæc docet S. Th. p.p.q.76.art.1. in qua disputat, si principium intellectiuum vniatur corpori, vt forma.

Alienũ ponit diuersitatẽ in substantia.

Alienum dicitur esse illud, quod est extraneum & dissimile, & hoc non importatur cùm dicitur alius: & hinc est, quòd dicimus Filium esse alium à Patre, sed non dicimus alienum, vt docet S. Thom. p.p.q.31.art.2. de mente B. Hilarij, dicentis, in diuinis personis nihil esse alienum, nihil diuersum, nihil separabile.

Alimentum dicitur esse illud, quod conuertitur in veritatem humanæ naturæ, inquantum accipit speciem carnis & ossis, & huiusmodi partium, vt scribit S. Th. p.p.q. vltima, art. 1. de mente B. Augustini in lib. de veteris, & noui Testamenti quæstionibus, dicentis, Alimenta carnis corrupta, idest amittentia formam suam, in membrorum fabricam migrant, sed fabrica membrorum pertinet ad veritatem humanæ naturæ, ergo alimenta transeunt in veritatem humanæ naturæ.

Alleluia, Hęc dictio dicitur propter gaudium resurrectionis, & significat exultationem de æternis, & replicatur propter duplicem stolam, scilicet animæ & corporis, vt docet S. Thom.

S.Thom. 3.sent.dist.8. in expositione textus. In diebus verò & officijs luctus intermittitur, & loco eius ponitur tractus, qui asperitate verborum, & prolixitate vocum insinuat incolatum præsentis miseriç. Est autem Alleluia laus Angelica, sententiç quidem breuis & est nomen Hebraicum, & secundùm aliquos significat laudate Deum. Hieronymus verò dicit, quòd alle idem est quod cantate, lu, idem est quod laudem, ia, idem est quo ad Dominum. Vel vt dicit Gregorius alle, idest Pater, lu, idest Filius, ia.i. Spiritus sanctus. Vel, vt dicit Aldisiodorensis, al, idest altissimus, le, idest leuatus in cruce, lu, idest lugebant Apostoli, ia, idest iam resurrexit, &c.

Altare dicitur esse repræsentatiuum ipsius Crucis, in qua Christus in propria specie immolatus est, vt docet S.Thom. 3.parte, q.83.art.1 in responsione ad 2. Et ar.3. dicit, quòd altare debet esse lapideum, tum quia significat Christum in sepulchro lapideo reconditum, & quoad vsum Sacramenti lapis est solidus, & dè facili inueniri potest. Et 2.2. q.85.art.2. vbi disputat S.Tho. si soli Deo offerendum sit sacrificium, dicit, quòd templa & altaria instituuntur Angelis, & Sanctis, quia Deus eorum est nobis Deus, cui gratias agimus de eorum victorijs.

Alteratio, primo & per se est in qualitatibus tertiç speciei; in qualitatibus verò primç speciei, potest esse alteratio per posterius: facta enim alteratione secundùm calidum, & frigidum, sequitur animal alterari secundùm sanum & ęgrum: & similiter facta alteratione secundùm passiones appetitus sensitiui, vel secundùm vires sensitiuas apprehensiuas, sequitur alteratio secundùm scientias & virtutes, vt scribit S.Thom. 1.2.q.82.art.1. in resp.ad 3. Et alteratio est duplex. s. corruptiua & perfectiua, & habet duplicem terminum. s. eiusdem generis cum ea, idest qualitatem; & alterius generis, scilicet substantialem formam, & in eodem instanti terminatur ad formam substantialem, & vltimam dispositionem eius, & semper præcedit generationem, & requirit successionem rationecontrariorum in subiecto, & non est in substantijs intellectualibus, neque in parte nostra intellectiua, præsertim alteratio corruptiua, quæ est transmutatio de vna qualitate in aliam oppositam, vel mediam, vt ab albedine in nigredinem, vel in pallidum; & aliquando fit à principio intrinseco, vt in timorosis & verecundis, vt cùm aliquis est passus timorem, fit pallidus, quia timor habet fieri circa cor, & sanguis est amicus naturæ, & derelictis exterioribus, currit ad ipsum cor, & sic remanet facies pallida ex respectu sanguinis; & econuerso est in patientibus verecundiam, quia verecundia habet fieri circa faciem, & sanguis iuuando naturã exit versus faciem, & hinc est, quòd verecundus rubet.

Intellige de alteratione corruptiua.

Loquitur de alteratione, qua inter species motus numeratur 5. Phys.

Amor dupliciter sumitur in diuinis. Essentialiter, & notionaliter, siue personaliter, vt ait S.Thom.p.p.q.37 art.1. & quando sumitur personaliter, est proprium nomen Spiritus sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filij: vnde amor significat quandam impressionem rei amatæ, in affectu amantis, secundùm quam amatum dicitur esse in amante; & sic diligere & amare important habitudinem amantis ad rem amatam, & licet significentur per modum actionum transeuntium in obiecta, sunt tamen actiones manentes in agentibus: vnde cùm Pater amet vnica dilectione se, & Filium, & econuerso, vt amantis ad amatum est habitudo Patris ad Filium, quæ quidem habitudo dicitur amor, qui est nexus Patris, & Filij. Sed loquendo de amore, seu dilectione Dei essentialiter, dicimus, quòd est duplex, Alter communis quo diligit omnem creaturam; & alter specialis, quo trahit creaturam rationalem supra conditionem eiusdem naturæ, secundùm participationem sui. Et non est in Deo amor, vt passio secundùm suum materiale, sed tantùm secundùm suum formale; & causat bonitatem in rebus, sicut amor noster causatur à rebus; & licet diligat omnes creaturas ipse Deus, non tamen æqualiter ex parte ipsarum creaturarum, quia plus amat meliora, vnde plus amat Christum, quàm omnes creaturas; & plus Angelos, quàm homines; & plus innocentem, quàm pœnitentem ęqualis charitatis, quo ad præmium accidentale; & plus amat iustum, quàm mille peccatores. Creaturas irrationales amat quoque, sed non amore amicitiæ, sed quasi concupiscentię: licet ex parte actus diuinæ voluntatis æqualiter diligat omnia, iuxta illud, Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est ei cura de omnibus, &c.

Obiectiuè amãs in amatũ impellitur, & per inclinationem, seu affectionem est in eo.

Amare, dicit habitudinem amantis ad rem amatam, vt ait S.Thomas p.p. vbi supra. & 1.2.q.26. dicit, art.3. quòd amor, dilectio, charitas, & amicitia, differunt in hoc, quòd amicitia est quasi habitus; amor autem & dilectio significantur per modum actus, vel passionis, & omnis amor est dilectio vel charitas, sed non econuerso; addit enim dilectio supra amorem, electionem præcedentem, vt ipsum nomen sonat: vnde dilectio non est in

concu-

concupiscibili, sed in voluntate tantum, & est in sola rationali natura. Charitas verò addit supra amorem perfectionem quandam amoris, inquantum id quod amatur magni pretij æstimatur, vt ipsum nomen designat. Amare quoque, vt scribit S.Thom. art. 4. est velle alicui bonum: & quia motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel alij, & in illud cui vult bonum, ad illud ergo bonum quod quis vult alteri, dicitur amor concupiscentiæ; ad illud autem cui aliquis vult bonum, dicitur amor amicitię, id enim quod amatur hoc amore, simpliciter & per se amatur. Verbi gratia, Ego desidero scientiam, virtutes, & gratiam fratri meo, hoc desiderium dicitur amor amicitię, quia amicitia perfecta est, quādo volumus bona amicis, illorum gratia propter seipsos amicos. Vel, amor amicitiæ est, quo diligitur obiectum, non pręsupponendo aliquem alium actū volendi vel nolendi in voluntate; vt si quis diligit potum dulcem, vel vitam suam absolutè, nullo alio actu voluntatis necessario prauio, quo scilicet non existente, est amor amicitię, qui semper est nobilior amore concupiscentię, cęteris paribus. Amor verò concupiscentiæ est, quo aliquis amatur propter aliud dilectum. i. quo alicui optatur bonum propter alterum, cui proficere potest ad delectationem, vtilitatem, vel honestatem; vt cùm quis diligit equum, vult sibi inesse robur, sanitatem, industriam, &c. vt possit eo vti ad proprium profectum, aut suę voluntatis libitum, dicitur amor concupiscentiæ. Et hic amor pertinet ad potentiam appetitiuam, quę est vis passiua, & semper supponit cognitionem, quia nullus potest amare aliquid incognitum, & similitudo est causa amoris absolutè, iuxta illud, Omne animal diligit simile. Et hic amor causat quandam vnionem, quæ duplex esse potest, Altera secundùm rem, puta cùm amatum præsentialiter adest amanti, Altera vnio est secundùm affectum, quæ consideranda est ex apprehensione pręcedente: & secundùm has vniones copulantur amans & amatū, ita vt B. Aug. 4. Confessionum, asserat, Bene quidam dixit de amico suo, dimidium animæ suę. Causat aliquando etiam ipse amor quandam extasim; & tunc est, quando amans extra se ponitur, quod quidem contingit, & secundùm vim apprehensiuam, & secundùm vim appetitiuam. Causat quoque & quendam zelum, quia quando aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius repellit omne contrarium. vel repugnans; cùm igitur amor erit intensus, quærit excludere omne id quod sibi repugnat: & per hunc modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea quæ sunt contra honorem vel voluntatem Dei repellere secundùm posse conatur, vt scribitur apud Ioan. cap. 2. Zelus domus tuæ comedit me, dicit Glosa, quòd bono zelo comeditur ille, qui quælibet praua quæ viderit, corrigere satagit, & si nequit, tollerat, & gemit. Et hinc Deus appellatur zelotes, propter multum amorem quem habet ad creaturas. De quibus omnibus, lege Diuum Thomam, vbi supra.

Duplex est amor, Amicitiæ, & concupiscentiæ.

Multiplex, & magnus vis amoris describitur.

Amari, quod est passiuum. De hoc agit S.Thomas 2.2.q.27.art.1.in corpore, dicens, quòd amari non est actus charitatis ipsius qui amatur, sed actus charitatis eius est amare, amari autem competit ei secundùm communem rationem boni, prout scilicet ad eius bonum alius ad actum charitatis mouetur. Vnde manifestum est, quòd charitati magis conuenit amare, quàm amari; magis enim conuenit vnicuique, quod conuenit ei per se, & substantialiter, quàm quod conuenit ei per aliud. Et huius duplex est signum, Primum quidem, quòd amici magis laudantur ex hoc quod amant, quàm ex hoc quod amantur, quinimmo si non amant, vituperantur, præsertim quando amantur. Secundo, quia matres, quæ maxime amant, plus quærunt amare, quàm amari; quædam enim dant filios suos nutrici, & amant, reamari autem non quærunt, si non contingat.

Amans, habet duplicem vnionem ad amatum, vt ait S.Thom. 1.2.q.28.art.1.in corp. Vnam quidem secundùm rem, puta cùm amatum præsentialiter adest amanti, Aliam verò secundùm affectū: quæ quidem vnio consideranda est ex apprehensione præcedenti; nam motus appetitus sequitur apprehensionem. Cùm autem sit duplex amor. s. concupiscentiæ, & amicitiæ, vterque procedit ex quadam apprehensione vnitatis amati ad amantem; cùm enim aliquis amat aliquid, quasi concupiscens illud, apprehendit illud, quasi pertinens ad suum bene esse; similiter cùm aliquis amat aliquid amore amicitiæ, vult ei bonum, sicut & sibi vult bonum, vnde apprehendit eum vt alterum se, inquantum scilicet vult ei bonum, sicut & sibiipsi; & inde est, quòd amicus dicitur esse alter ipse: hinc Augustinus 4. lib. Confess. ait, Bene dixit quidam de amico suo, dimidium animæ suæ. Primam ergo vnionem amor facit effectiuè, quia mouet ad desiderandum & quærendum præsentiam amati, quasi sibi conuenientis, & ad se pertinentis: secundam autem vnionem facit formaliter, quia ipse amor est talis vnio, vel nexus, & iunctura quædam duo

Distinguitur amor, & amans.

duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet, & quod amatur; quod enim dicit copulans, refertur ad vnionem affectus, sine qua non est amor; quod verò dicit copulare intendens, pertinet ad vnionem realem.

Amatum, De quo ait S. Thom. 1.2.q.28.art.2. quod continetur in amante, inquantum est impressum in affectu eius per quandam complacentiam; & hoc quantùm ad vim apprehensiuam, & quantùm ad vim appetitiuam: nam quantùm ad vim apprehensiuam, amatum dicitur esse in amante, inquantùm amatum immoratur in apprehensione amantis, secundùm illud Apost. ad Philip. 1. cap. Eò quod habeam vos in corde. Amans verò dicitur esse in amato secundùm apprehensionem, inquantum amans non est contentus superficiali apprehensione amati, sed nititur singula quæ ad amatum pertinent disquirere intrinsecus, & sic ad interiora eius ingreditur; sicut de Spiritu sancto qui est amor Dei, dicitur 1. Corinth. 2. cap. quod scrutatur etiam profunda Dei. Sed quantum ad vim appetitiuam, amatum dicitur esse in amante, prout est per quandam complacentiam in eius affectu, vt vel delectetur in eo, aut in bonis eius apud præsentiam, vel in absentia, per desiderium tendat in ipsum amatum per amorem concupiscentiæ, vel in bona, quæ vult amato eius per amorem amicitiæ, non quidem ex aliqua extrinseca causa: sicut cùm aliquis desiderat aliquid propter alterum, vel cùm aliquis vult bonum alteri propter aliquid aliud, vel propter complacentiam amati interius radicatam, vnde & amor dicitur intimus, & dicuntur viscera charitatis. Econuerso autem amans est in amato, aliter quidem per amorem concupiscentiæ, aliter per amorem amicitiæ: amor namq; concupiscentiæ non requiescit in quacunque extrinseca, aut superficiali fruitione amati, sed quærit amatum perfecte habere, quasi ad intima illius perueniens: in amore verò amicitiæ amans est in amato, inquantum reputat bona vel mala amici sicut sua, & voluntatem amici sicut suam, vt quasi ipse in suo amico videatur bona vel mala pati, & affici: & propter hoc proprium est amicorum eadem velle, & in eodem tristari, & gaudere, vt sic inquantum quę sunt amici existimat sua, amans videatur esse in amato, quasi idem factus amato. Inquantum autem econuerso vult & agit propter amicum, sicut propter seipsum, quasi reputans amicum idem sibi, sic amatum est in amante. Potest autem & tertio modo mutua inhæsio intelligi in amore amicitiæ, secundùm viam redamationis, inquantum mutuo se amant amici, & sibiinuicem bona volunt & operantur, &c.

Amatum est in amante, & econuerso, inæqualiter, apprehensiuè, & appetitiuè.

Attributa essentialia, quæ sunt proprietates essentiæ, sunt in Deo realiter, & non secundùm rationem; bonitas enim Dei est res quędam, & similiter est sapientia, & ita de alijs, licet ab essentia non differant nisi ratione, vt ait S. Thom. in disputatis de potentia Dei, q.8. art. 2. in resp. ad 7. arg. Et p.p. dicit, ꝙ essentialia attributa sunt nobis magis manifesta secùdùm rationem, quàm propria personarum, quia ex creaturis ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem deuenire in cognitionem essentialiũ attributorum, non autem in cognitionem personalium proprietatum, & hoc q. 39. art. 7. Vbi addit, ꝙ diuinæ personæ possunt dupliciter manifestari per essentialia attributa, Primo per viã similitudinis, sicut ea quę pertinent ad intellectum appropriantur Filio, qui procedit per modum intellectus, vt verbum. Secundo, per modum dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, quia apud nos patres solent esse infirmi propter senectutem, ne tale aliquid suspicetur in Deo: & Spiritui sancto appropriatur bonitas, propter dissimilitudinem ad spiritum terrenum, qui dicit quandam violentiam & impulsionẽ, vt scribitur apud Esai. cap. 26. Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem. Quomodo vnum prędicetur de alio, inferius dicemus loco suo proprio: hic autem obiter loquuti sumus, propter aliquos qui male sentiunt de diuinis attributis. Aiunt enim attributa nõ propriè Deo conuenire, sed translatiuè & metaphoricè; propriè autem conueniunt rebus productis, ex quarum cognitione peruenimus ad Dei notitiã, & ob hoc appellantur attributa, quia sumuntur à creaturis, & accommodãtur Deo, propterea distinguuntur realiter, quia non sunt simpliciter idem in Deo, cùm in eo non sint, sed in creaturis, quemadmodum dextrum, & sinistrum distinguuntur in columna non distinctione existente in ea, sed distinctione reali existente in ipso animali. Et ex hoc prætendunt euadere omnia argumenta, quæ aliquis posset adducere de distinctione attributorum, præsertim illud, Quæ sunt apta fundare prædicata contradictoria circumscripto actu intellectus, differunt ex natura rei, sed attributa sunt apta fundare contradictoria circumscripto omni actu intellectus; puta iustitia, & misericordia, ergo distinguuntur saltem ex natura rei. Concedunt hoc argumentum, quod fundant contradictoria, & distinguuntur realiter, sed

Recitatur & reprobatur opinio male sentientium de attributis.

non

non distinctione reali existente in Deo, sed distinctione existente in creaturis. Sic etiam enadunt illud aliud, Quæ distinguuntur diuersis definitionibus, distinguuntur realiter, vt leo, & homo, sed Dei attributa habent diuersas definitiones, vt potentia & sapientia, ergo nedum ex natura rei, sed realiter distinguuntur. Respondent, affirmando diuina attributa habere diuersas definitiones, & distingui realiter non distinctione existente in Deo, sed in creaturis. Sic & illud aliud argumentum, Deus intelligit essentiam suã vt veram, & vult vt bonã, ergo veritas & bonitas distinguuntur ante actum intellectus, & sic non distinctione rationis, sed distinctione reali distinguuntur. Concedunt et hoc, prout distinctio realis est in creaturis, non aũt in Deo. Sed isti sic loquentes maxime allucinantur. Nam cui dubiũ est, quod iustitia & misericordia realiter distinguuntur in creaturis? de hoc.n. non facimus controuersiam, sed de attributis prout sunt in Deo: nec etiã est verum omnia diuina attributa dici de Deo translatiue & metaphoricè. Propterea scias, Attributum quatuor modis dici posse. Primo pro prædicato aliquo, omne enim quod de aliquo prædicari potest appellatur attributum: vnde solet allegari illa maxima: Quandocunque aliqua duo sunt eiusdem rationis, quicquid attribuitur vni, & alteri attribui potest, idest, quicquid prædicatur de vno & de altero etiam prædicatur. Secundo modo accipitur pro prædicato secundario, vt passiones subiectorum. Tertio dicitur attributum quasi ab alio tributum; & isto modo est perfectio, a qua remota omni perfectione, non eodem modo quo est in creaturis, Deo attribuitur, quoniam Deus dicitur sapiens formaliter. Quarto modo dicitur attributum pro appropriato, & est idem quod pluribus conueniens, sed propter aliquam similitudinẽ vel dissimilitudinem appropriatur vni & non alteri. Hinc non est idem attributum, appropriatum, & proprium. Vnde attributum est superexcellentia perfectionis circunstantis substantiam creaturæ, quam melius est habere per modũ formæ intrinsecę, quã non habere, & est in Deo formaliter non causaliter, vt dixit Rabi Moyses; aut translatiuè, vt voluit opinio recitata, quia tũc Deus non aliter diceretur sapiens & bonus, quam lapis & leo. Et hæc diuina attributa non sunt distincta realiter inter se & ab essentia, vt quidã dixerunt, volentes cum hac distinctione non facere compositionem, quia non sunt componibilia, cũ vnum eorum non se habet vt potentia & alterum vt actus: nec et sunt synonima, vt alij docuerunt, nec distinguuntur tantũ ratione, ita vt nihil eorũ distinctioni correspondeat, vt nonnulli scripserunt, neque distinguuntur distinctione reali existente in creaturis, aut distinctione formaliter ex natura rei secluso opere intellectus. Rei tamen veritas est, quam declaraui. 1. sententiarum, distinct. 8. quæ consistit in tribus propositionibus, quarum Prima est, diuina attributa in Deo nullo pacto distinguuntur actualiter. Secunda est, diuina attributa in Deo distinguuntur virtualiter, seu fundamentaliter. Tertia est, diuina attributa, vt terminant actum nostri intellectus, distinguntur distinctione rationis actualiter. Et hæc est mens S. Th. 1. sen. dist. 2. q. 1. ar. 3. conformis Concilio Florentino, volenti diuinã essentiam, & relationes, sola ratione distingui: sic etiam diuina attributa distinguuntur.

Attributum quatuor modis sumitur.

Amicitia, est amor mutuæ beneuolentiæ, fundatus super aliquam communicationẽ, vt ait S. Th. 2. 2. q. 23. ar. 1. in corpore, & conseruatur, & augetur per exercitium bonorũ operum amicabilium, & meditationem, & recompensatione beneficiorũ, & præponderat consanguinitati, & fundatur supra virtutem: vnde quicquid in amico contrariatur virtuti, est impeditiuum amicitiæ, & quicquid est virtuosum, est prouocatiuũ amicitiæ. Et est duplex, in conuersatione, & in effectu: immò poterit etiam esse quadruplex, sicut quadruplex est communicatio naturalis, domestica, ciuilis, & diuina, & non est ad creaturas irrationales, nec ad virtutes, nec ad aliqua accidentia, nec ad vitiosos per se, sed propter aliud. Et quinque requirit, quæ sunt propria amicitiæ, quorum Primum est, quod vnusquisq; amicus vult suum amicũ esse & viuere, Secundum est, quod vult ei bona. Tertiũ est, quod operetur bona ad ipsum, Quartum est, quod conuiuit ei delectabiliter. Vltimum, quod concordat cum ipso, quasi cum eodem delectatus, & contristatus, vt docet idem S. Tho. vbi supra. q. 25. ar. 3. Possumus etiam dicere, quod amicitia est beneuolentia pacis non latens. Vel, est consensus studiorũ omniumq; voluntatum: de qua amicitia Cicero multa scripsit ad Lælium, quæ spectant ad amicitiã humanã. Sic et Beatus August. in epist. 45. multa scribit pertinentia ad hanc rem: sic & Arist. 8. Ethicorum, per multa capita.

Distingue de amicitia pro respectu, & pro eius fundamento.

Quinque ad veram amicitiam requirit.

Amicus ille dicitur, qui subuenit alteri amico in damnis virtutum magis, quã rerũ temporalium, vt scribit S. Tho. 2. 2. quæstion. 25. artic. 6. in responsione ad secundum. Et est doctrina Aristot. quod amicis peccantibus non sunt subtrahenda amicitiæ benefi-

cia,

cia, quousque habeatur spes sanationis eorum; sed magis est eisdem auxilium dandum ad recuperationem virtutis, quam ad recuperationem pecuniæ si eam amiserint, quanto virtus est magis amicitiæ affinis quam pecuniæ: sed quando in maxima malitia incidunt, & insanabiles fiunt, tunc non est eis amicitiæ familiaritas exhibenda; & ideo huiusmodi peccantes de quibus magis præsumitur nocumentum aliorum quam eorum emendatio, secundum legem diuinam & humanam præcipiuntur occidi. Sed amicus Dei duplicitur aliquis dici potest, Vno modo actu charitatis, & gratia informante ipsius animā; vt quando aliquis est in tanto feruore, quod diligit Deum actu. Aliquis verò potest dici amicus Dei habitu; vt iustus dormiens est amicus Deo carus habitu charitatis & gratię. Aliquis verò dicitur amicus secundum finalem gratiam; vt Petrus prædestinatus. Aliquis potest etiam dici amicus Dei secundum præsentem iustitiam; vt Iudas & Esau quando erant in gratia. De amico humano dat pulchrum exemplum S. Thom. opusculo 20. de regimine Principum cap. 10. narrans quomodo Dionysius Tyrannus Siracusanorum, cum duorum amicorum qui Damon & Phitias dicebantur alterum occidere vellet, is qui occidendus erat inducias impetrauit, vt domum profectus res suas ordinaret, alter verò amicorum sese Tyranno ob fidem pro eius reditu dedit: appropinquante autem promisso die, nec illo redeunte, vnusquisque fideiussorem stultitiæ arguebat, at ille nihil se metuere de amici constantia prædicabat, eadem autem hora qua fuerat occidendus rediit. Admirans autem amborum animum Tyrannus, supplicium propter fidem amicitiæ remisit, insuper rogans, vt eum tertium in gradum amicitiæ reciperent, &c. *Exemplum de vera amicitia.*

Amidum, est ex tritico corrupto, vt docet S. Tho. 3. p. q. 74. ar. 3. in resp. ad 4 vbi ait, quod panis ex eo confectus non potest esse materia sacramenti Eucharistiæ: vbi Caiet. multas inculcat quæstiones: & Primu de pane confecto ex pelta: deinde de ipso amido: tertio de pane siligineo: quarto de pasta: & contrarias ac diuersas narrat opiniones Theologorum de hac materia, sic etiam de pane assato: & dicit, quod sub iudice adhuc lis est. Tamen tenendum est, quod panis qui absolute panis dicitur triticeus consecrandus est, cæteri verò panes non absolutè, sed secundum quid dicuntur, quia non habent veram formam panis, iuxta ritum Ecclesiæ, & sic non debet consecrari.

Analogia est duplex, scilicet, secundum quod aliqua participant aliquid secundum prius & posterius; vel secundum quod vnum imitatur alterum. Secunda est in diuinis non autem prima, vt docet S. Thom. prima part. quæst. 13. art. 5. Potest etiam esse analogia secundum determinatam habitudinem proportionis; sicut est illa quæ est inter substantiam & accidens in ordine ad ens: & poterit esse analogia secundum proportionalitatem, vt illa quæ reperitur inter creaturam & Deum respectu entis. Et quia analogia semper est medium inter purum æquiuocum, & vniuocum, inde nihil pure æquiuoce aut vniuoce dicitur de Deo & creaturis, sed bene analogice, quia hoc vocabulum analogia nil aliud sonat quam proportionem seu proportionalitatem. Et quia apud S. Tho. in diuersis locis præsertim. 1. sen. d. 19. quęst. 5. art. 2. multis modis dicitur, secundum intentionem tantum, vel secundum esse tantum, vel secundum vtrumque, vel duorum ad vnum, vel duorum ad duo, vel vnius ad alterum, vel secundum participationem, vel secundum assimilationem, vel secundum impositionem nominis, & multis alijs modis, quippe qui omnes vt notat Caie. in tract. suo de analogia nominum ad tres modos reducuntur. s. ad analogiam inæqualitatis, & attributionis, & proportionalitatis. Analogia secundum inęqualitatem est, quotiescunque aliquod nomen est commune pluribus, & ratio secundum illud nomen est omnino eadem: inæqualiter tamen participata; vt corpus, est nomen commune corporibus superioribus, & inferioribus, ratio tamen corporeitatis perfectius reperitur in superioribus, quam in inferioribus. Analogia attributionis est, quando nomen est commune pluribus, ratio tamen illius nominis est eadem secundum terminum, & diuersa secundum habitudines ad illum; sicut sanum, est commune medicinę, vrinę, & animali, ratio tñ illorum inquantum sana sunt ad vnum terminum, scilicet sanitatem, dicit diuersas habitudines: si quis enim interroget quid est animal in quantum sanum? debet dicere, quod est subiectum sanitatis; de vrina debet dicere quod est signum sanitatis; & de medicina quod est causa sanitatis: ecce quo idem est terminus, sed diuersę sunt habitudines. Et istę habitudines possunt esse secundum quatuor genera causarum. s. formalis, finalis, efficientis, & materialis, secundum quod diuersimodè potest fieri attributio. Tertius modus analogię, scilicet proportionalitatis, est quando nomen est commune pluribus, ratio tñ illius nominis est proportionaliter, vel similitu- *Triplex huiusmodi analogia modus.*

MAUL C dina-

dinaliter eadem; sicuti hoc quod est videre, competit visui corporali, & visui spirituali qui est intellectus. Et hæc analogia, est cõis Mathematicis, Arithmeticis, Theologis, & omnibus fere scientiis. Vnde in mathematicis, dicimus, quod sicuti se habet linea ad lineam, ita superficies ad superficiem; & in Arithmeticis, quod sicuti se habent octo ad quatuor, ita sex ad tria; & in Theologia, sicuti se habet paterfamilias ad familiam suam, ita Deus ad creaturas. Vnde quia tota ferè sacra scriptura est plena metaphoris, gaudet maxime specie analogiæ; dicimus. n. quod ridere competit homini, & prato florenti, sin istam analogiam quæ est dignior cæteris, quia fit secundum causam formalem. Multa alia essent dicenda de explicatione huius termini, sed vide apud Caietanum loco citato.

Ab æquali, et à commutata proportione, rectè arg. 1. post. cap. 5.

Anathema, Scribit de hoc termino S. Tho. in expositione primæ Epistolæ ad Corinthios, cap. 12. dicens significare separationem: est enim nomen compositum, ab ana, quod est sursum, & thesis, quod est positio, quasi sursum positum, quia olim res quæ ab vsu hominum separabantur suspendebantur in templis, vel in locis publicis. Et quia omne peccatum mortale separat à Iesu, secundum illud, Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum, quicunque ergo mortaliter peccat corde, vel ore, dicit anathema Iesu, idest separationem ab ipso. Et propterea dicebat Apostolus; Nemo enim in spiritu Dei loquens dicit anathema Iesu, idest blasphemiam contra Iesum. Et secundùm hoc Apostolus optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis, quod intelligitur ad tempus, vel sub conditione, videlicet si esset optabile. Sic etiam sacra concilia dicunt, Si quis dixerit tale vel tale, puta non esse septem sacramenta Ecclesiæ, anathema sit, separatus ab Ecclesia, vel excommunicatus, vel maledictus, vel blasphemus, &c.

[illegible] Sunt qui per hyperbolen D. Paulũ sic dixisse contendunt, ad explicandum sui desiderij magnitudinem, de Iudæorum salute.

Angelus est substantia incorporea, intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, Deo ministrans, gratia non natura immortalitatẽ suscipiens, vt refert S. Tho. de mente Damasceni, 1. parte, q. 50. art. 5. argumento 1. Et per immortalitatem, intelligit omnimodam immutabilitatem, quia omnis mutatio est quædam mors. Sed potest etiam dici, quod Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoinquinatum, accipiens totam si fas est dicere speciositatem boniformitatis, & Deiformitatis, & purè declarans in se ipso sicut possibile est bonitatem [illegible] in abditis. Et est nomen officij, vnde Angelus interpretatur nuntius; & sic quicunque aut Episcopus, aut Presbyter, aut etiã Laicus frequenter de Deo loquitur, & quomodo ad vitam perueniatur æternã annunciat; merito Angelus dicitur. Hinc fit quod Ioannes Baptista dictus est Angelus, iuxta illud, Ecce ego mitto Angelum meum, &c. & Christus vocatus est Angelus magni consilij, iuxta Canonẽ Missæ, Iube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui, idest Christi, quia per manus eius, idest merita sua rogamus vt Deus accipiat illud sacrificium. Et Angelus quoq; dicitur ipsamet natura Angelica spiritualis, & incorporea, nullam habens materiam, in magno numero existens, specie differens ac numero ab alia, incorruptibilis, separata ab omni corpore, potens tamen assumere corpus tanquam repræsentatũ per illud, nulliũ opus vitæ propriè valens in eo exercere, sit præsens loco per operationem practicã, non tamen simul existit in pluribus locis adæquatis, nec plures Angeli simul existere possunt in vno. Et eodem loco materialiter localiter potest ipse Angelus moueri, non tamen in instanti, sed semper in tempore, siue discreto, siue continuo: transit medium quando de extremo in extremum mouetur tempore continuo; quando verò tempore discreto mouetur, sine medio de extremo ad extremũ pertransire potest. Eius intelligere non est eius substantia, aut esse, nec etiã potentia intellectiua sua, quæ intellectus agens, & possibilis minime dici põt, nisi æquiuocè est eius substantia, aut esse. Sola intellectiua cognitione gaudet, quia potentia motiua eius coincidit cũ appetitiua. Omnia cognoscit non per eius substantiã, aut p spẽs à rebus acceptas, sed p spẽs congenitas; & quantò Angelus est superior, tantò vniuersaliores spẽs retinet, cognoscit se ipsum p suã substantiã, & aliũ Angelũ p spẽm, alia verò à se per rõnem inditam à Deo aliquo pacto p sua naturalia cognoscit res materiales, oẽs per species intelligibiles existentes in eo, sic et & singularia: futura verò contingentia coniecturaliter agnoscit: cogitationes cordiũ, & mysteria gratiæ non nisi per reuelationẽ, multa per modum multorũ non intuetur, sed tantum per modũ vnius, non discurrit, neq; componit, aut diuidit intelligendo, neque per cognitionẽ matutinam, quæ est cognitio rerum in verbo, neq; per cognitionem vespertinam, quæ est cognitio rerum in propria natura: vnde nullam aliam cognitionem habet Angelus nisi has duas. Fuit creatus beatus beatitudine naturali, & in gratia gratum faciente, meruit

Quæ in Angelo sunt singula declarãtur, Essentia scilicet existẽtia, potentias habuit, & [illegible]

suam beatitudinem, & consequutus est gratiam, & gloriam, iuxta mensuram suorum naturalium, & ille qui Beatus est, peccare non potest, ille autem qui peccauit, superbia peccauit, & in secundo instanti suæ creationis, quia in primo peccare non potuit. Fuit aliqua mora inter creationem, & lapsum eius: plures Angeli permanserunt, quam peccauerunt, illi tamen qui peccauerunt, obstinati sunt in malo, & ratione suæ culpæ competit eis locus inferni, ratione verò humanæ exercitationis debetur eis aer iste caliginosus. Plura alia dicit S. Tho. de missione Angelorum, & de ordinatione eorum, secundum hierarchias, & de ordine & præsidentia super creaturam corporalem, & de custodia hominum de quibus omnibus videre potes in loco proprio primæ partis.

Anima dicitur esse primum principium vitæ in his quæ viuunt apud nos, vt docet S. Th. q. 75. art. 1. Et dicitur ab animando vel adiuuando, quia animat corpus, vel iuuat ipsum ad viuendum. Vel, vt ait Aristotel. 2. de anima, est Actus primus, corporis physici, organici, vitam habentis in potentia, secundùm quod in potentia. Actus enim primus est ipsa forma per quam quis operatur; actus secundus est ipsa operatio puta intelligere. Vel, actus primus, est forma non operans; actus secundus, est forma operans. Vel, anima dicitur esse primum principium quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus: quæ diffinitio traditur ab Arist. etiam in secundo de anima, & notificatur ex hac definitione, anima vegetatiua seu nutritiua quæ est in plantis, & sensitiua quæ est in brutis, & intellectiua quæ est in hominibus. Quæ quidem anima intellectiua est incorporea, & subsistens, & dicitur aliquando homo interior carens compositione formæ & materię, & est incorruptibilis, & vnitur corpori organico, tanquam forma: multiplicatur ad multiplicationem corporum, vnica est in vnico indiuiduo, quod quidem indiuiduum per eandem animam est ens, corpus, viuum, animal, & homo: Non enim sunt multiplicandæ formæ substantiales, aut animę ipsę in eodem composito. Conuenientissimè vnitur corpori organico, vt possit diuersas operationes exercere, & est in triplici genere causæ respectu corporis, qui est eius motor & forma & finis, & est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis. Distinguitur realiter ab eius potentiis tam sensitiuis quam intellectiuis: non est de substantia Dei, aut alicuius corporis, vt aliqui arbitrati sunt, sed est per creationem producta immediate ab ipso Deo, nec pręfuit corpori, vt quidam arbitrantur, vt de numero quorum fuit Origenes, ponens animas nostras omnes cum Angelis ante corpora fuisse creatas, &c.

Dixit Plato animam assistere corpori. Aristo. insistere per informationem Sed Plotinus cum Telesio eam consistere.

Animal, definitur per sensum, idest per animam sensitiuam, sicut per formam essentialem, sed per sensum, idest per potentiam cognoscitur eius definitio, sicut per formam accidentalem, vt scribit S. Th. 4. sentent. dist. 44. q. 1. art. 1. q. 2. ad tertium. Homo aliquando dicitur animalis ab ipso animali, vt scribit Apostolus primæ ad Corinth. c. 2. Animalis homo non percipit quę Dei sunt, ille homo dicitur animalis qui habet animam depressam ad carnalia. Corpus etiam animale, dicitur ab animalitate, & à motu animali, qui reperitur in aliquo qui mouetur fortius, secundum impetum sensualitatis, quam secundum dictamen rationis; & corpus dicitur spirituale, quia est subiectum spiritui. Animal quoque est genus, quod dicitur de pluribus differentibus specie, in eo quod quid: & tandiu viuit animal, quandiu durat motus cordis, secundum pulsum, & tactum; & quando est animal perfectum, mouetur motu progressiuo, & habet memoriam, & pugnat propter cibum, & coitum. Reperiuntur tamen quædam animalia, quæ abhorrent coire cum matre; vt equus, & camelus, & non prosequuntur conueniens, nec fugiunt nociuum rationis deliberationem, sed per naturalem instinctum; sicuti & pueri facere solent, nec delectantur visibilibus vel odoribus, aut sonis, nisi in ordine ad substentationem, &c.

Anna, habuit tres maritos, ex quibus genuit tres Marias, vt docet S. Th. in expositione Epist. ad Gal. cap. 3. Primus vocabatur Ioachim, de quo habuit matrem Dei. Secundus vocabatur Cleophas, de quo habuit matrem Iacobi minoris. Tertius vocabatur Salome, de quo habuit matrem Ioannis Euangelistę, &c.

Anna tres mariti.

Annexum spiritualibus potest esse aliquid dupliciter, vel ex spiritualibus dependens; sicut habere beneficia Ecclesiastica dicitur spiritualibus esse annexum, quia non competit nisi habenti officium Clericale; vnde huiusmodi nullo modo possunt esse sine spiritualibus, & ob hoc talia vendere vel emere non licet, quia committeretur Symonia. Quædam autem sunt annexa spiritualibus, inquantum ordinãtur ad spiritualia; sicut ius patronatus; qui ordinantur ad pręsentandum Clericos ad Ecclesiastica beneficia; & sicut vasa sacra, quæ ordinantur ad sacramentorum vsum, & in ipsis sacra fiunt: vnde

huiusmodi non præsupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis præcedunt, & ideo aliquo modo vendi possunt, non autem inquantum sunt annexa spiritualibus; sic etiam & sacella, & sartatecta Ecclesiarum, vt scribit S. Th. 2. 2. q. 100. ar. 4. Consecratio enim vasorum non venditur, sed ipsa vasa fracta, quæ habentur pro puro metallo venduntur.

Annihilatio, De hac scribit S. Thom. prima parte, quæst. 104. ar. 3. & 4. num Deus possit aliquid in nihilum redigere? & respondet affirmatiuè, quia sicut antequam res essent, potuit eis non communicare esse, & sic eas non facere, ita postquam iam factæ sunt potest eis non influere esse; & hoc est res ipsas annihilare: vnde de potentia absoluta potest res annihilare, sed de potentia ordinaria eas non annihilat. Eandem doctrinam docet idem S. Thom. in disputatis de potentia Dei. q. 5. art. 3 & in multis alijs locis, quod ipsa annihilatio non est motus, nec mutatio, nec aliquod malum, & secundum rigorem iustitiæ debetur cuilibet peccato; (etiam peccato originali,) cui datur pro pœna carentia visionis diuinæ, sed ex hoc bona naturalia conseruantur in pueris non baptizatis, puniuntur citra condignum, & propterea de eis intelligi potest illud Hieremiæ, Misericordia domini quod non sumus consumpti.

De cæteris adhuc verificatur, quia vniuersa via domini, Misericordia, & Veritas.

Antichristus, De hoc scribit S. Tho. 3. p. q. 8. art. 8. & dicitur Antichristus quasi caput omnium malorum, propter malitiæ perfectionem; quia sicut in Christo omnis plenitudo diuinitatis inhabitauit; ita in Antichristo omnis malitiæ plenitudo, non quidem ita, quod humanitas eius sit assumpta à diabolo in vnitate personæ, sicut humanitas Christi à filio Dei, sed quod diabolus suam malitiam eminentius ei influet suggerendo, quam omnibus alijs, & ideo dicitur Antichristus quasi contra Christum. Dicuntur multa de ipso, sed vt plurimum sunt apocripha, de quibus videri potest apud S. Thom. in expositione secundæ epistolæ ad Thessal. cap. 2. vbi dicit, quod veniet insignis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis.

Appetitus est multiplex, scilicet naturalis, animalis, & rationis. De quo appetitu scribit S. Thom. prima parte, quæstione 19. art. 1. & Caietanus in expositione illius articuli, Appetitus enim naturalis, est inclinatio alicuius rei in suam perfectionem; sicut materia inclinatur ad formam sine cognitione, & graue appetit deorsum per grauitatem & leue appetit sursum per leuitatem: & hic appetitus grauis & leuis sequitur formam, appetitus autem consequens materiam, est inclinatio eius ad formam. Appetitus animalis est ille, qui præsupponit apprehensionem sensitiuam appetentis, natus tendere in obiectum apprehensiuè, aut in eo quiescere necessariò, & non liberè. Appetitus rationalis est, præsupponens iuditium intellectus, natus libere actum suum eligere; & vocatur appetitus rationalis, vel intellectualis, vel voluntas, aliquando habitualis, vel actualis, quo homines appetunt beatitudinem. Multas differentias ponit Caietan. inter hos appetitus, præsertim inter naturalem, & animalem. Animalis namq; est speciale genus potentiæ animæ. Naturalis verò est communis omnibus. Secundò appetitus animalis sequitur naturam inquantum est apprehensiua: naturalis consequitur rationem formalem rei absolutę. Tertiò animalis non potest exire in actum, nisi ex apprehensione: naturalis autem est actu ex sola natura. Deinde, appetitus naturalis est ad vnum: animalis verò ad multa, iuxta multitudinem apprehensorum bonorum; vt latius annotauimus in nostra dilucidatione super 1. Metap. dilucidando maximam illam Aristot. Omnes homines naturâ scire desiderant, quæ non de appetitu naturali, sed de appetitu elicito intelligenda venit, de mente S. Th. &c.

Duplex est appetitus naturalis & animalis diuiditur, in rationalem, & sensitiuum.

Apostoli facti sunt sacerdotes à Christo in Cœna, quo ad actum principalem, qui est sacramenta conficere, sed post resurrectionem quo ad actum secundarium qui est ligare & soluere, vt docet S. Thom. 4. sent. dist. 24. q. 2. ar. 3. ad tertium. Et dicuntur Dij, propter potestatem iudiciariam; & fortes, propter constantiam eorum in passionibus. & fratres Christi, propter naturam assumptam; & per gratiam adoptionis & vocationis ad Apostolatum, dicuntur ossa Christi, quia sustentant alios; & corona Christi, & lapides preciosi, & cœli, propter sublimitatem conuersationis, & virtutum abũdantiam; lucidi propter doctrinam; mobiles propter obedientiam; nubes propter fertilitatem terræ, & luminis diffusionem & motus velocitatem, & impletionem diuinæ voluntatis. Loquebãtur omnibus linguis, & tanquam simplices, & idiotæ, ac sine literis, quasi didicissent humanitus destruxerunt omnes inimicos Christi: bis vocati sunt, primo ad familiaritatem Christi, secundò ad sequendũ cum reliquerunt omnia propter Christum: poterant peccare venialiter, non autem mortaliter: postquam confirmati sunt, conuenerunt cum

Encomia Apostolorum, atq; cum laude virtutis, & appropriata.

multis discipulis ad videndum corpus Beatæ Virginis in eius transitu: nullum sacramentum instituerunt: fuerunt baptizati à Christo, & confirmati; dicuntur pueri ratione puritatis, simplicitatis, & humilitatis: exaltati sunt tripliciter, scilicet prædicatione, miraculis, & gloria, & fuerunt bases Ecclesiæ, sed non legislatores.

Aqua de se non nutrit, sed cum aliis humoribus admixta. Scribit hoc S. Thom. 4. sententiarum, distin. 8. quæst. 1. art. 4. in responsione ad secundum argumentum, vbi narrat, quomodo aliqui dicebant aquam nullo modo nutrire, aut naturę, vel Ecclesiæ ieiunium soluere. Quam opinionem improbat asserens, quod quamuis aqua in se non nutriat, commixta tamen nutrit: in stomacho autem oportet quod alijs humoribus admisceatur, & ideo in nutrimentum cedere potest. Et propter hoc probabilius, & securius dicitur, quod etiam post aquę potum, corpus Christi non est sumendum. Habet sex proprietates, quia est diaphana, humida, frigida, generatiua, abundans vbique, & sine pretio haberi potest. Est quintuplex, scilicet aqua lachrymarum, aqua doctrinæ, spiritualis gratię, baptismalis munditię, diuinę sapientię: & potest esse viua, quando est continuata suo principio cum fluxu; & mortua, quando est stans. Non cooperit totam terram contra naturam, propter vinentia super eam: in profundo maris reperitur aqua dulcis; separatur à vino, quoad substantiam aqueam, non tamen eodem numero, quia primo facta est vinum. Aqua aliquando significat tribulationes, quia impellunt irruendo, extinguunt ignem concupiscentię: & Deus liberat sanctos suos, ab aquis carnalis voluptatis, terrenę cupiditatis, diabolicę aduersitatis, & mundanę potestatis, &c. *De causa salsednis maris, vide 2. metheororũ cap. 2.*

Appropriatum. De hoc prima parte, q. 39. ar. 7. in responsione ad tertium asserit S. Th. quod absolutè loquendo est posterius ipsa persona, sed secundum modum intelligendi est prius; sicut color est posterior corpore, inquantum corpus, est tamen prior naturaliter corpore albo inquantum album. Et appropriatio est alicuius prędicati communis tribus personis, vni soli attributi, propter conuenientiam illius prędicati cum proprio illius personæ, vel propter erroris amotionem ab intellectu viatoris; vt amor conuenit cum proprio Spiritus sancti, ideo appropriatur ipsi, sapientia conuenit cum proprio filij, ideo appropriatur ei; & potentia appropriatur patri; quia potentia habet rationẽ principij; & quia pater est principium totius Deitatis, idcirco secundum rationem similitudinis optimè ei appropriatur, vt est videre apud ipsum Diuum Thomam, artic. 8, per totum, vbi plura appropriata diuinarum personarum declarat, quia appropriatio est manifestatio ipsarum personarum, per attributa essentialia: & appropriari nil aliud est quam commune trahi ad proprium, non quod magis conueniat vni personæ quam alij, sed quia maiorem similitudinem habet cum proprio vnius personæ quam alterius. Et dupliciter fieri potest hæc appropriatio, scilicet ex parte creaturarum, & ex parte Dei essentialiter & causaliter.

Argumentum. De hoc S. Th. scribit 1. par. q. 1. ar. 8. vbi quærit si sacra doctrina sit argumentatiua: & dicit, quod spectat ad hanc doctrinam argumentari ex authoritatibus sacræ scripturæ, & Sanctorum patrum, & Philosophorum, & vti etiam rationibus humanis: sed argumentum sumptum ab authoritate Dei est firmissimum, ab authoritate verò humana est debilissimum, & sumitur ex solo sensu litterali. Et multipliciter dicitur: nam aliquando argumentum est pocessus rationis, aliquando medium, aliquando breuis prologus, aliquando lumen mentis, aliquando signum euidens sensibile, & aliquando ratio rei dubiæ, quæ diuiditur in syllogismum inductionem enthymema & exemplum. Argumentum quoque aliquando dicitur omne illud, quod arguit mentem, & illuminat ad videndum aliquid occultum, vt Fides, est argumentum rerum non apparentium, &c.

Ars aliud non est, quam ratio recta aliquorum operum faciendorum, quorum tamen bonum non consistit in eo, quod appetitus humanus aliquo modo se habet, sed in eo qđ ipsum opus quod fit, in se bonum est: non enim pertinet ad laudem artificis, inquantũ artifex est, qua voluntate opus faciat, sed quale sit opus quod facit. Propterea, ars propriè est habitus operatiuus, vt scribit S. Tho. prima secundæ, quæst. 57. ar. 3. in corpore: & habet multas species, vt sunt artes Mechanicæ: & ars Magica, puta pyromantia, quę est diuinatio facta circa ignẽ: & Aerymantia, quę est diuinatio facta per aerem: & Hydromantia, quæ fit per aquam: & Geomantia quæ fit per terram: & Aurispicium, quod fit in gutture, vel in visceribus pullorum: & Negromantia, quę fit per cadauera mortuorũ: & Augurium, quod fit in garritu auium: & Sortilegium, quod fit per sortes: & præstigium, quod fit per illusionem sensuum humanorum: & maleficium, quod fit per diuersas res. Hæ artes *Cõsule de his S. Tho. 2. 2. q. 95. artic. 3.*

non

non possunt sine peccato exerceri ab aliquo viro Catholico, vt notum est omnibus ferè Doctoribus, &c.

Articulus, De hoc S. Tho. scribit. 2. 2. q. 1. art. 6. asserens, nomen articuli ex Græco esse deriuatum. Arthon enim in Græco, quod in Latino articulus dicitur, significat quandã coaptationem aliquarum partium distinctarum: & ideo particulæ corporis sibi inuicem coaptatæ dicuntur membrorum articuli. Et similiter in Grammatica, quædã partes orationis coaptatæ aliis dictionibus ad exprimendum eorum genus, numerum vel casum. Et similiter in Rethorica articuli dicuntur, quædam partium coaptationes. Vnde Tullius in secundo Rethoricæ, ait, quod articulus dicitur, cum singula verba interuallis distinguuntur cæsa oratione, hoc modo. Acrimonia, voce, vultu, aduersarios perterruisti. Vnde & credibilia fidei Christianæ dicuntur distingui per articulos, inquãtum in quasdam partes diuiduntur, habentes aliquam coaptationem adinuicem; & non sunt de quacunque veritate, sed de summa, &c.

Assimilatio est secundum conuenientiã in forma eiusdem rationis, vel nõ ex quo habetur latitudo similitudinis.

Assimilatio potest esse secundum conuenientiam in genere, vel in specie, aut in accidente, vt superius habet similitudinem, cum inferiori; vt Sol cum igne, vt docet S. Tho. 1. par. q. 57. ar. 2. ad secundum argumentum. Et assimilari, & adæquari important motum, ac similitudinem, & æqualitatem, non aũt æquale, & simile; ideo filius Dei est similis, & æqualis patri, & assimilatur ei, nõ autem è conuerso. Et assimilatio dicit comparationẽ, & similitudinem; & potest esse triplex: Vna, qua receditur à Deo, quam voluit Lucifer, de quo dicitur, Ponam sedem meam in Aquilone, & similis ero altissimo: Hanc appetunt multi, qui peruerse imitantur Deum, desiderantes per fas & nefas honores & diuitias. Alia est assimilatio, qua acceditur ad Deum; & hanc habent homines iusti, qui virtutibus sunt pleni, vt dicit Beatus August. 8. de trin. cap. 6. Non locorũ interuallis, sed similitudine acceditur ad Deum; de qua dixit Christus: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Tertia est assimilatio, quia sistitur in Deo; & hæc propria est comprehensorum, de qua scribitur prima epistola Ioannis cap. 3. : Scimus quod cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, quod Deus nobis concedat, &c.

Assumere dicitur tripliciter: Vno modo communiter pro sumere; & sic tota trinitas assumpsit humanam naturam filio. Secundo dicitur propriè, vt sibi quocunque modo vniatur; & sic dicitur quasi ad se sumere, & hoc modo natura diuina in persona filii assumpsit humanam naturam. Tertio dicitur propriissimè quasi ad se & in se sumere; & sic conuenit tantum personæ, in qua facta est vnio, vt dicit S. Thom. 3. sententiarum, dist. 5. q. 1. art. 2. Et addit in tertia parte, quod in verbo assumptionis duo importantur, videlicèt principium actus, & terminus. Principium quidem huius assumptionis est diuinum verbum, & sic etiam & terminus, propterea vnio facta est in persona, & non in natura, nisi secundario, dicendo quod natura diuina assumpsit naturam humanam ad personam verbi. Et differt assumptio ab vnione, & incarnatione, & humanatione non realiter, sed ratione tantum, &c.

Distingue de attributis obiectiuè, & subiectiuè: ac ex primo ratione illimitationis diuinæ essentiæ, habes identitatem cum virtuali distinctione eorum; ex secundo ratione finitatis intellectus nostri, habes formalem distinctionem.

Attributa diuina prædicantur de se inuicem nominibus primæ intentionis, non autẽ secundæ intentionis. Docet hoc S. Tho. p. p. q. 32. art. 3. ad tertium argumentum: vnde ista propositio est vera, Scientia Dei est potentia, sed ista est falsa. Attributum potentiæ, est atiributum scientiæ; & sic ipsa diuina attributa includunt se, & sunt vnum, inquantum diuina, sed vnum eorum non est aliud inquantum tale; bonitas enim Dei, est sapientia, inquantum diuina, sed non inquantum bonitas. Et ista sunt in intellectu nostro, vt in subiecto, in essentia verò diuina, vt in repræsentato, & in fundamento proximo. Nec sunt synonima, sed analogicè dicuntur de Deo, & creaturis, naturaliter cognoscuntur à nobis, sed non personalia, nec distinguuntur ab essentia diuina nec inter se realiter, sed virtualiter, & secundum rationem, quia diuina essentia tanquam vnum simplex excedens omnem nostram intellectionem correspondet diuersis conceptibus. Nec oportet ipsa diuina attributa formaliter ex natura rei actualiter distingui, vt aliqui dicunt, de quorum opinione latius scripsimus supra eodem verbo Attributum.

Auaritia est immoderatus amor habendi; & consistit in excessu mensuræ habendi diuitias; & cõnumeratur inter specialia peccata, vt docet Apostolus. Repletus omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia &c. ita scribit S. Thom. 2. 2. quæst. 118. & opponitur liberalitati. Et iuxta istam oppositionem habet vitiũ prodigalitatis, quia potest esse auaritia insatiabilitas inhonesta cupido rerum quarumlibet, quia potest esse auaritia non solum pecuniæ, sed etiam scientiæ & altitudinis cum supra debitũ modũ sublimitas ambitur

bitur; Vel, est vehemens opinio de pecunia quasi valde expectanda sic inhærens, & penitus insita. Et est grauius peccatum prodigalitate, & est radix omnium peccatorum. & reperitur præsertim in maritimis, & in his qui intenti sunt mercationibus, & in senibus præsertim propter defectum naturæ eorum. & est medium inter peccata purè spiritualia, & facta purè carnalia. & est contra Deum, contra se, & contra proximum. & habet species suas, quæ sunt parcitas, & tenacitas & chimibilitas; quia cum magna difficultate dat, & de paruis magnam vim facit; & talis actus vocatur chimibilis. Alia dicitur species quæ est turpe lucrum, latrocinium, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, &c. vt videre poteris apud D. Th. 2.2.q.55.art.8.

Audacia, est passio, quæ aliquando est moderata secũdum rõnem, & sic dicitur virtus; quandoq; aũt est superabundans sine moderatione, & opponitur fortitudini, quæ est circa timores, & audacias, & sic est peccatum, vt ait S. Th. 2.2.q.127.ar.1.& 2.& propterea reperitur aliquando quod ipsa audacia sumitur in bonum, & quandoque in malum.

Audaces illi dicuntur, qui habent paruum cor secundum quantitatem. & habentes magnum pulmonem sanguineum sunt audaciores propter caliditatem cordis; exinde consequentem: & vini amatores sunt magis audaces propter caliditatem vini, vt docet S. Th. prima secundæ.q.45.ar. 3.& sunt promptiores in principio quam in ipsis periculis: vnde ipsa audacia dicitur esse subiectiue in irascibili, & contrariatur timori secundum accessum & recessum, &c.

Pulchra de auditoribus doctrina.

Auditor diuersorum magistrorum tenentium contrarias opiniones, potest sequi quã velit, nisi altera determinetur esse contra fidem ab Ecclesia. vt docet S. Thom. quolib. 3. art. 10. & addit, quod ille qui assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestũ scripturæ testimonium, siue contra id quod publice tenetur secundum Ecclesiæ authoritatẽ, non potest ab errore ignorantiæ excusari: & non solum tenet hoc de auditore qui est discipulus in scolis, sed etiam de scriptore qui scribit aliena, & de Comentatore qui sua & aliena dicit, & de compilatore qui scribit aliena addendo, sed non sua; & de autore qui ponit sua vt principalia, & aliena pro confirmatione illorum, &c.

Auerti à fine commutabili est dupliciter, vel in habitu vel in actu tantum. Secundum habitum auertitur, qui sibi alium finem contrarium ponit; & hoc est in peccato mortali: vnde qui peccat mortaliter, est sicut recedens à via. In actu verò tantum aliquis auertitur, quando actu aliquem facit quo in Deum non tendit, ex eo quod inordinatè ei quod non est ad finem inhæret, non tamen ita, vt illud quod est ad finem, quasi finem constituat; & hoc est in peccato veniali. Vnde peccans venialiter, assimilatur ei qui nimis moratur in via, & hoc non est auerti secundum quid; sicut etiam quod retardat motum corporis grauis, non aufert grauitatem suam & inclinationem in finem: auferret autem si contrarium sibi motum daret, vt quando ex graui leue generatur, vt scribit S. Thom. 2. sent. dist. 42. q. 1. ar. 3. ad secundum; addendo etiam, quomodo auerti & conuerti, seu auersio, & conuersio sunt idem re, sed differunt ratione, scilicet secundum respectum ad diuersos terminos, &c.

De omni augmento est sermo, quantitatiuo, & virtuali, cũ motu, & sine motu.

Augmentum per se, inuenitur in corporibus quæ per se augentur; & hoc contingit dupliciter vt ait S. Thom. 1. sent. dist. 17. q. 2. ar. 1. quia aliquando illud quod sumit maiorem quantitatem mouetur de quantitate minori in maiorem: aliquando etiam & sine motu ipsius quod augeri dicitur, vnde non quælibet pars augetur, sicut quælibet pars moti per se mouetur: & hoc contingit quando efficitur maior quantitas per additionẽ quantitatis; sicut quando additur lignum ligno, vel linea lineæ, vnde hoc est augumentum, sed non motus augumenti. Quod autem moueatur aliquid ad maiorem quantitatem contingit dupliciter, Vel ita quod quantitas sit per se terminus motus, Vel quod consequatur terminum: quando per se quantitas est terminus motus, oportet quod sit ibi additio ad totum, & ad quamlibet partẽ vt totum augeatur, & quælibet pars eius, sicut est in animali & in planta, & tunc propriè est motus augmenti, & tunc est quod motus augmenti non est nisi in viuentibus. Augmentum verò formarum terminatur tripliciter, scilicet ratione formæ, agentis, & subiecti. Scientia verò augetur secundum intentionem actus dupliciter; Ex parte subiecti, Secundum numerum obiectorum, sed virtus tantum primo modo, &c.

Augustinus. valde imbutus erat doctrinis Platonicorum, & ideo signa quæ inuenit fidei accommoda in eorum dictis, assumpsit: quæ verò inuenit fidei nostræ aduersa in melius commutauit suscipiendo ab ipsis, tanquam ab iniustis possessoribus. Scribit hoc

S. Tho.

S.Thom.p.p.q.84. art. 5. in corp. addendo quod in multis quæ ad Philosophiam pertinent, August.vsus est opinionibus Platonis, non asserendo, sed recitando: vnde 12. confess. dixit, Duo reperio quæ fecisti, vnum quod erat formatum, alterum quod erat informe, & hoc dicit esse terram inuisibilem & incompositam, per quam dicit significari materiam rerum corporalium; & sic vna est materia omnium corporalium: & in hoc ait S. Tho.p.p. quæst.66. art. 2.ad primum, sequutus est opinionem Platonis non ponentis quintam essentiam, &c.

Aurea vel corona, metaphoricè dicitur præmium essentiale hominis; & hoc tum ex parte meriti, quod cum quapiam pugna agitur, tum etiam ex parte præmij per quod homo efficitur quodammodo diuinitatis particeps, & per consequens regiæ potestatis. Corona autem est proprium signum regiæ potestatis & dignitatis, & eadē ratione præmium quod essentiali additur coronæ, rationem habet beatitudinis. Significat etiam corona perfectionem quandam, ratione figuræ circularis, vt ex hoc etiam competat perfectioni beatorum, &c. Scribit hoc S.Th.4.sent.d.49.q.5.art.1.in corp.

Tribus debetur aureola, Virginibus, Martyribus, & Doctorib.

Aureola, est quoddam priuilegiatum præmium priuilegiatæ victoriæ respondens: & ideo secundum priuilegiatas victorias in tribus pugnis quæ cuilibet homini imminent, tres aureolæ sumuntur. Vna quæ est contra carnem, debita Virginibus. Secunda est contra mundum vsque ad effusionem sanguinis, debita Martyribus. Tertia contra diabolū debita Doctoribus, & Prædicatoribus. Vel sunt tres, secundum tres animæ potentias. s. rationalem, irascibilem, & concupiscibilem. Vel secundum triplicem conformitatem ad Christum, ūt ait S.Tho. 4.sent.dist.49.q.5.ar.3.in corp. Adde quod Christus nullam habuit aureolam, sed tantum auream. quia aureola est præmium accidentale beatorum de operibus perfectionis secundum perfectam victoriam: & propriè est in mente, sed secundum redundantiam fulget decor in corpore, & illa quæ est martyrum est simpliciter potior cæteris. Sed martyr sola voluntate non habet aureolam, vt fuit Beatus Dominicus, qui fuit martyr voluntate. S. Petrus martyr triplici aureola fuit decoratus. s. virginitatis, martyrij, & Doctoratus, &c.

Martyr effectu, non autē affectu potitur aureolā.

DE LITERA B.

B HANC literam dicunt Grammatici esse mutam, quia non in sonum suum, sed in sonum alterius terminari existimant. Sed quia Theologi non curant de literis, aut syllabis, sed de rebus ipsius; vt sunt Deus, aut Dei, à Deo, & ad Deum, propterea de Baptismo primo venit considerandum, de quo S.Tho.3.p.q.66.ar.11.ait esse triplicem, fluminis, sanguinis, & flaminis: licet plurimi alij notentur; vt tempore Noe fuit baptismus diluuij, & tēpore Moysi fuit baptismus maris rubri; vt scribit Apost.1.Corin.10.cap. Omnes baptizati sunt in nube, & in mari, &c. Tertius fuit baptismus lustrationis, quia fiebat ex aqua, & cineribus vitulæ rufæ combustæ; & significat passionē Christi. Quartus est baptismus Ioannis, qui non conferebat gratiā vt ipse testatus est, Ego baptizo vos in aqua, ille baptizabit vos in Spiritu sancto; &c. Quintus est baptismus Christi passiuè, quando scilicet fuit baptizatus à Ioanne. Sextus est baptismus pœnitentiæ, qui est purgatiuus à culpa, & non à pœna. Septimus est baptismus fluminis institutus à Christo, qui purgat à culpa & à pœna. Octauus est baptismus in linguis igneis quem receperunt Apostoli in die Pentecostes. Nonus est baptismus sanguinis quē sumpserunt martyres, & baptizati hoc baptismo statim volant ad cœlum; sicuti qui baptizantur baptismo aquæ, quæ est ablutio, seu lotio, vel lauatio exterior facta cum determinata forma verborum: quia sacramentum baptismi non perficitur in ipsa aqua, sed in applicatione aquæ ad hominem, quæ est ipsa ablutio; sicut baptizare est abluere & lauare. Et materia propria huius sacramenti est aqua elementaris, etiam quod sit qualitercunq; transmutata, dummodo non sit soluta species aquæ. Forma verò apud Latinos est, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Apud Græcos est ista; Baptizetur seruus Christi, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Et tripliciter differt à nostra. Primo quia non exprimunt personam ministri. Secundo quia baptizatus ponitur in nominatiuo. Tertio quia verbum exprimitur in subiunctiuo, vel optatiuo modo. Sed latina est melior, perfectior, & magis consona verbis Euangelij. Habet Baptismus duplicem effectum; Primum, qui est character; & secundum, qui est gratia: hinc est, quòd per

Nonnulli Græci Iuniores in præsenti exprimunt formā baptismi dicentes, Baptizatur &c.

ipsum

ipsum homines regenerantur ad vitam spiritualem, & adoptantur in filios Dei. Et si pueri sunt qui baptizantur, sortiuntur æqualem gratiam; si verò sunt adulti, inæqualem, secundùm gradus deuotionis. & mundantur ab omnibus pœnis, & infectionibus peccati originalis, quoad personam, non autem quoad naturam, propterea illuminantur, & fœcundantur ad bona opera, ascribuntur ad cœtum fidelium, & ad Sacramentorum participationem.

Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus, vt refert S. Thomas de mente Boetij p.p. q.25.art.1. & non consistit in diuitijs, neque in honoribus, aut in fama, siue in gloria, siue in potestate, vel in aliquo alio bono corporis, neque etiam in voluptate, aut bono animæ, & denique in nullo bono creato, sed consistit in operatione intellectus, non autem voluntatis, licèt ad voluntatem pertineat delectatio consequens beatitudinem, vt dicit Augustinus 10. confessionum, Beatitudo est gaudium de veritate, quia scilicet ipsum gaudium est consumatio beatitudinis, vt glosat S. Tho. 1.2.q.3.art.4. & loquitur de beatitudine formali, quæ est perfectissimus actus nobilissimæ potentiæ animæ, non de beatitudine obiectiua, quæ est diuina essentia, & beatitudo increata, neq; de beatitudine subiectiua, quæ est natura beatificabilis, quæ impropriè dicitur beatitudo; sed propriè dicitur beata; sicut subiectum albedinis non dicitur albedo, sed album, ita natura beatificabilis non dicitur propriè beatitudo, sed beata, &c.

Multa in concreto de subiecto dicuntur, quæ in abstracto repugnãt.

Beatus dupliciter dicitur aliquis. Vno modo in spe, vt habẽtes operationes virtutum, & donorum, secundùm illud Psalm. Beati immaculati in via, &c. & aliquis dicitur beatus in re, vt ille qui iam actu videt Deum facie ad faciem, vt docet S. Thom. 12.q.69. & hic talis prius fertur ad contemplandum diuinitatem, quàm humanitatem Christi, quia sic est Deo coniunctus, quòd Deus est ei ratio cuiuslibet cognitionis, & operis, & est certus de perpetuitate suæ beatitudinis: propterea dicitur, quòd beatus est ille, qui habet omnia quæ vult, & nihil mali vult, &c.

Benedicere, ait S. Tho. in expositione 12. ad Rom. lect. 3. est bonum dicere, & contingit tripliciter: Primo enunciatiuè seu enunciando, puta cùm quis bonum alterius laudat. Secundo imperatiuè seu imperando, & sic benedicere per auctoritatem est proprium Dei, cuius imperio bonum ad creaturas deriuatur, ministerialiter verò spectat ad ministros Ecclesiæ, qui nomen Domini super populum inuocant. Tertio optatiuè seu optando; & secundùm hoc benedicere est bonum alicui velle, & quasi bonum pro aliquo precari; & sic ait Apostolus, Benedicite persequentibus vos, quia etiam ad inimicos, & ad persecutores debemus esse beneuoli, eis bona optando, & pro eis orando, iuxta illud, Diligite inimicos vestros, & benefacite &c.

Beneficium, vt ait S. Thomas 22.q.106.art.4. est recompensatio quædam: in qua duo considerantur, affectus, & donum, & quantum ad affectum statim fieri debet, vt ait Seneca; Vis reddere beneficium, accipe benignè: quãtum ad donum debet expectari tempus quo recompensatio sit benefactori opportuna; quia si statim aliquis munus pro munere velit reddere, non videtur esse recompensatio virtuosa, sed inuita. Et ista recompensatio beneficij potest pertinere ad tres virtutes, scilicet ad iustitiam, ad gratiam, & amicitiam. Ad iustitiam spectat recompensatio debiti legalis, secundùm quantitatem dati: Ad Amicitiam, & Gratiam spectat recompensatio debiti moralis, &c.

Blasphemia est, tribuere Deo quod ei non conuenit, vel detrahere ab eo quod ei conuenit, & importat quandam derogationem alicuius excellentis bonitatis præcipuè diuinæ, vt scribit S. Tho. 2.2.q.13.art.1. Et hæc potest esse in corde, vel in ore, vel in opere: & est contra primum præceptum decalogi, & simpliciter est grauior homicidio, & periurio, sed secundùm quid est econuerso. Et quando est ex deliberatione, oritur ex superbia; quando verò est perturbatione, oritur ex ira. Si aliquando contingit ex lapsu linguæ, est peccatum veniale, si hoc non intendebat, &c.

Blasphemia Fidei confessioni opponitur.

Blasphemia in Spiritum sanctum, vt docet S. Thom. 2.2.q.14.artic.1. potest tripliciter intelligi: Primo capiendo Spiritum sanctum, vt est nomen essentiale, conueniens toti Trinitati, & sic Filius est spiritus, & est sanctus; Iudæi blasphemabant Christum vt erat homo, & dicebant blasphemiam in Filium hominis, quando dicebant ipsum esse voracem, & potatorem vini; peccabant autem in Spiritum sanctum, quando dicebant Christum eiecisse Dæmones in Beelzebub. Secundo peccatum in Spiritum sanctum est finalis impœnitentia; quando aliquis perseuerat in peccato mortali vsq; ad mortem, quod quidem fieri poterit verbo cordis, & oris, & operis; & hoc tale peccatum dicitur blasphe-

Peccare per malitiam est peccatum in Spiritum sanctum.

mia in Spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quæ fit per Spiritum sanctum, qui est charitas Patris, & Filij. Tertio dicitur peccatum seu blasphemia in Spiritum sanctum esse, quando aliquis peccat per malitiam, quæ est contra bonitatem, quæ appropriatur Spiritui sancto; sicuti qui peccat per fragilitatem, peccat contra potentiam, quæ appropriatur Patri; & qui peccat per ignorantiam, dicitur peccare contra Filium, cui appropriatur sapientia. Et tale peccatum dicitur irremissibile, quantum est ex natura sua, non tamen per hoc præcluditur via remittendi, & sanandi ipsum omnipotentiæ & misericordiæ Dei. Species huius peccati sunt sex, scilicet desperatio, præsumptio, impœnitentia, obstinatio, impugnatio veritatis agnitæ, & inuidentia fraternæ gratiæ.

Bonitas, De hac scribit Sanctus Thomas 1. parte, quæst. 6. art. 1. dicens esse quodam appetibile; & quia res appetendo proprias perfectiones, appetunt ipsum Deum, inquantum perfectiones omnium rerum sunt quædam similitudines diuini esse: vnde ipse Deus vult quod sua bonitas multiplicetur ex sui similitudine, propter se, sicut propter finem operantis, & propter vtilitatem creaturæ, sicut propter finem operis. Et bonitas Dei acquiritur à creatura rationali tanquam perfectio eius obiectiua; ab alijs autem secundùm similitudinem tantum. Et quia quælibet creatura potest deficere à sua bonitate, non autem ipse Deus, & creatura ipsa dicitur bona bonitate Dei, tanquam principio effectiuo exemplari, & finali. Et hinc est, quòd inter bonitatem Dei, & creaturarum est triplex differentia; Primo, quia bonitas Dei est sua essentia, sed non est ita de creaturis, quarum essentia non est idem quod suum esse; Secundo, ipsi Deo nullum accidens aduenit; oppositum autem est in creatura; Tertio, quia creatura ordinatur ad Deum tanquam ad finem, & Deus in se permanet finis omnium; & propterea dicitur, quòd Deus est sua bonitas essentialiter, & est verè & propriè bonus; non est autem ita de creaturis, &c.

Multiplex est bonũ, Increatum, & creatum transcendens & in genere moris, vel naturæ, apparens, & verum.

Bonum consistit in modo, specie, & ordine, vt docet S. Thomas 1. par. q. 6. ar. 5. & hoc est verum de bono creato, vt deducitur ex Augustino in libro de natura boni, in quo ait, Hęc tria, modus, species, & ordo, tanquam generalia bona sunt in rebus à Deo factis: & ita hæc tria, vbi magna sunt, magna bona sunt; vbi parua, parua bona sunt; vbi nulla, nullum bonum est, quod non esset, nisi ratio boni in eis consistat: Et datur bonum delectabile, quod nullam aliam rationem habet appetibilitatis, nisi delectationem. Datur etiam & bonum vtile, quod in se non habet vnde desideretur, sed solum vt ducit ad finem; veluti sumptio medicinæ amaræ. Datur etiam bonum honestum, quod per se desideratur, tanquam id quod terminat motum appetitus. Deus autem est summum bonum, immo & bonus per essentiam, tanquam bonum vniuersi separatum, ad differentiam boni intra vniuersum, quod est eius ordo: & habet bonum, quoniam est appetibile rationem causæ finalis, & conuertitur cum ente.

Brachium Dei, non est membrum aliquod in ipso Deo quòd sit corporale, sed id quod per hoc membrum significatur, scilicet virtus operatiua, vt scribit S. Tho. p. p. q. 1. art. 10. ad 3. arg. & hæc virtus operatiua est ipse Christus, iuxta illud, Fecit potentiam in brachio suo, scilicet ad flagellandum dæmones, ad confortandum debiles, & ad defendendum fideles, &c.

DE LITERA C.

C LITERA est muta, vt dicunt Grāmatici, & profertur sub voce g, vnde dicitur quadrigenti, pro quadricenti: aliquando etiam ponitur pro s, vt parco, parsi: aliquando pro x, vt duco, duxi; noceo, noxa; &c.

Sapiens est Deus, et absq. electione maioris boni, non permittit malum.

Cadere, Deus non permittit aliquos cadere, nisi alios erigat, vt ait S. Thomas p. p. q. 23. art. 6. ad 3. nam in locum Angelorum cadentium, substituti sunt homines; & in locum Iudęorum, Gentiles: & sic ait Iob cap. 34. Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis. Et Apoc. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Et August. dicit, quod alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, &c.

Calor naturalis agit ad generationem carnis, inquantum est instrumentum animæ, accidens verò non agit propria virtute. Nec est contra rationem accidentis, quod excedat suum subiectum in agendo, sed quod excedat in essendo, nisi forsan quis imaginetur

idem

idem accidens numero defluere ab agente in patiens, sicut Democritus ponebat fieri actionem per defluxum athomorum, vt ait S.Thom.p.p.q.115.art.1.ad 2.arg. propterea calor ipse naturalis non est forma substantialis ignis, sed disponit ad formam ignis, & manet post eius aduentum, non quidem idem numero, sed idem specie; & de natura eius est consumere humidum quodcunque indifferenter.

Character est quædam potentia spiritualis, ordinata ad ea, quæ sunt diuini cultus, & non propriè est in genere, vel in specie, sed reducitur ad secundam speciem qualitatis, vt docet S.Thomas 3.parte, q.63.art.2. vnde character Baptismi est potentia passiua; character Confirmationis, & Ordinis, est potentia actiua. & iste character Ordinis præsupponit characterem Confirmationis de congruitate, non autem de necessitate; & semper manet, etiam in damnatis, quia est indelebilis: & per ipsum conformamur Trinitati in sapientia per Baptismum, in potentia per Ordinem, in bonitate per Confirmationem: per ipsum quoque adscribimur Primo, quasi filij Patri, in Baptismo; quasi summo Sacerdoti in Ordine; & quasi milites Regi, in Confirmatione, &c. *Character reducitur ad secundam speciem qualitatis.*

Charitas non solum significat amorem Dei, sed etiam amicitiam quandam ad ipsum, quæ quidem super amorem addit naturam redamantem, cum quadam communicatione mutua, vt dicitur 1.Ioannis 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Et est habitus creatus in anima, & radix omnium virtutum, vt ait S.Thomas 12.q.65. ar.5.& q.62.ar.4. Est etiam forma omnium virtutum effectiuè, quia imponit eis formã, non autem exempla riter, vel essentialiter, vt habetur 22.q.23.art.8. & de ratione ipsius est prius facere Deum nobis charum, quàm facere nos charos Deo. Alia est charitas increata, quæ est Deus ipse: vnde prout ipsa charitas dicitur in diuinis, potest sumi essentialiter; & est illa dilectio qua quælibet persona in diuinis diligit se, & alias personas: Alio modo sumitur notionaliter, & est ipsa spiratio actiua, qua Pater, & Filius spirant Spiritum sanctum concorditer. Dicitur etiam & personaliter, vt producitur per actum voluntatis; Pater enim & Filius, habentes eandem voluntatem, & essentiam diuinam, sibi præsentem, spirant Spiritum sanctum, qui est amor, & charitas. Datur etiam charitas infusa, quæ ab increata charitate, hoc est à Deo infunditur; vocatur infusa, quasi intus fusa; vel effusa, quasi extra fusa, vt relucet in bonis operibus; vel diffusa, quasi de intus fusa, quia diffunditur ad interiora. Et sic triplex erit charitas, Increata, vt Deus: Creata infusa, vt in pueris baptizatis: Et acquisita per frequentationem actuum. Hinc ponitur triplex gradus charitatis, scilicet incipientium, perficientium, & perfectorum. *Charitas essentialiter, notionaliter, et personaliter sumpta in diuinis reperitur.*

Casus, & fortuna sunt tantùm in contingentibus, & materialibus, vt ait S. Thomas 2.contra gentes, cap.32. propterea nihil est à casu, vel à fortuna respectu Dei, sed respectu cæterarum causarum: vnde casus est repentinus rei euentus, qui nec prouideri potest, nec ei resisti; vt incursus hostium, vel incendium, euersio domus ex terræ motu, tempestate, & ventorum impetu. Vel casus dicitur inopinatus rei euentus. Hinc Aristoteles 2.Physicorum, tex.61. ait, illud euenit à casu, quod in paucioribus euenit, non habens causam determinatã, propter Ecclipsim Solis, & Lunæ, quæ licet in paucioribus eueniat, tamen habet causam determinatam, quæ est interpositio terræ, &c. Differt casus, & fortuna in hoc, quia casus dicitur causa per accidens in his quæ fiunt à natura: fortuna verò est causa per accidens in his quæ fiunt à proposito. Apud Iuristas casus dicitur à cadendo, quoad mores, & nomine casus non venit intelligendum peccatum, sed dicitur omnis quæstio de moribus facta, siue quæsita, pertinens vel ad peccata, vel ad iuramenta, aut vota dispensanda, vel relaxanda, siue ad Excommunicationes, & alias censuras, siue ad quodcunque aliud, dicitur casus conscientiæ, &c.

Caro dicitur tripliciter, vt ait Sanctus Thomas in expositione Epist. ad Hebr.cap. Primo pro natura. Secundo pro vitio. Tertio pro passibilitate. Dicitur etiam totus homo, iuxta illud Ioannis primo, Verbum caro factum est. Et caro de se non habet bonum virtutis, sed vt subest rationi, & in eodem semper est eadem secundùm speciem, non autem secundùm materiam; & ob hoc capitur aliquando pro quodam transitorio, iuxta illud, Omnis caro fœnum; quia non permanet semper in eodem statu, &c. *Caro de se nõ habet bonum virtutis.*

Causa, vt ait S.Thomas 2.2.q.27.art.3. in corp. est quadruplex, Finalis, Formalis, Efficiens, & Materialis, vt latius etiam docet Arist.2.Phys.& 5.Metaph. Dicitur etiam causa prima, & causa secunda; prima poterit esse primitate perfectionis, vel illimita-

Exprimit causarum numerum, haud causalitates: ubi adde causas essentialiter ordinatas, vel accidentaliter, in actu, & in potentia.

tionis, vel durationis; vt Deus est causa omnibus his tribus modis. Dicitur etiam causa principalis, & instrumentalis: principalis per exclusionem causæ superioris agentis; & sic causa principalis & independens coincidunt: & poterit etiam esse efficiens principalis, vt Deus qui dat gratiam, & gloriam. Est etiam causa dispositiua, siue moralis; vt quando aliquis deuotus Sacerdos orat vt aliquis suus pœnitens consequatur gratiam. Est & causa excitatiua; vt prædicatio alicuius magni concionatoris, est causa. s. excitatiua conuersionis aliquorum. Est & causa per se, quæ actione propria producit effectum; vt fabricator respectu domus. Est & causa per accidens; vt album est causa ipsius domus. Est causa sine qua non; vt approximatio est causa sine qua ignis non combureret. Est causa æquiuoca, quæ non est eiusdem denominationis, & rationis cum suo effectu; vt Sol causans animalia genita ex putri materia. Est & causa vniuoca, quæ est eiusdem denominationis, & rationis cum suo effectu; vt homo generans & homo genitus. Est & causa vniuersalis; vt ædificator, respectu domus. Est & causa particularis; vt Policletus. Est & causa intrinseca; vt materia & forma, quæ sunt de essentia, & quidditate rei productæ. Est & causa extrinseca, quæ non est de essentia rei productæ; vt efficiens, & finalis. Semper autem causa naturaliter est notior suo effectu, qui quanto est remotior à causa, tanto est debilior &c.

Cœlum dicitur tripliciter, vt ait S. Thom. p. p. q. 62. art. 4. Primo propriè, & naturaliter; & sic nihil aliud est nisi quoddam corpus sublime, & luminosum actu vel potentia: incorruptibile est autem per naturam. Et secundùm hoc ponuntur tres cœli; Primum totaliter lucidum, quod vocant Empireum; Secundum totaliter diaphanum, quod vocant cœlum aqueum, & Cristallinum; Tertium, partim diaphanum, & partim lucidum actu, quod vocant cœlum sydereum. Et diuiditur in octo sphæras. s. in sphęram Stellarum fixarum, & septem sphęras Planetarum, quæ possunt dici septem cœli, vel septem sphęrę. Secundo dicitur cœlum participatiuè seu per participationẽ alicuius proprietatis cœlestis corporis. s. sublimitatis, & luminositatis actu vel potentia; & sic totum illud spatium quod est ab aquis vsque ad orbem Lunæ dicitur cœlum aereum: Tertio dicitur cœlum metaphoricum; & sic quandoq; ipsa Sancta Trinitas dicitur cœlum, propter eius spiritualem sublimitatem, & lucem. de quo cœlo exponitur Diabolum dixisse, In cœlum ascendam .i. ad æqualitatem Dei, &c. Dicitur etiam cœlum aliquando ipsa clara visio Dei, quam habent Beati in patria; & de hoc cœlo intelligitur, quòd B. Paulus fuit raptus vsque ad tertium cœlum, quia vidit diuinam essentiam per modum cuiusdam passionis transeuntis: quia tria genera spiritualium visionum. s. corporalis, imaginaria, & intellectualis, tres cœli nominantur, secundùm August. Bona quoque spiritualia, in quibus est Sanctorum remuneratio; propter eorum eminentiam, Cœli nominantur, vbi dicitur, Merces vestra multa est in cœlo. Cęlum adhuc dicitur quælibet anima iusti existens in gratia, iuxta illud, Cęlum mihi sedes est. Cęlum dicitur sanctus & innocens, secundùm illud, Pater noster, qui es in cęlis. i. in sanctis. Cęlum dicitur quoque à viris doctis notitia Fidei, quæ habetur per reuelationem; & hoc ad differentiam notitiæ quæ habetur lumine naturæ, quæ dicitur terrena, &c.

Sicut multiplici lumine gloriæ gratiæ & naturæ cõtingit cognosci, ita multiplex est certitudo.

Certitudo, vt scribit S. Thomas 3. sent. dist. 23. q. 2. art. 2. q. 3. nihil aliud est, quàm determinatio intellectus ad vnum; tanto autem maior est certitudo, quanto est fortius quod determinationem causat. Vel certitudo est firmitas adhęsionis virtutis cognitiuæ in suum cognoscibile, quia principaliter & essentialiter est tantum in cognitione, sed secundùm similitudinẽ & participatiuè est etiam in alijs, vt in operibus naturę vel artis. Et diuersimodè reperitur in Deo, in Angelis, & in hominibus. & potest esse ex duobus, ex causa, & ex subiecto, quia nihil prohibet id quod est certius secundùm naturam, esse quoad nos minus certum; propter debilitatem intellectus nostri, qui se habet ad manifestissima rerum sicut oculus noctuę ad lumen Solis. Hinc dubitatio, quæ accidit in aliquibus circa articulos Fidei, non est propter incertitudinem rei, sed propter debilitatem intellectus humani: & tamen minimum quod potest haberi de cognitione rerum altissimarum desiderabilius est, quam certissima cognitio, quę habetur de minimis rebus, vt ait S. Thom. p. p. q. 1. art. 5. ad primum arg. de mente Arist. &c.

Chrisma, vt docet S. Thom. 3. p. q. 72. artic. 2. est materia Sacramenti Confirmationis, in quo datur plenitudo Spiritus sancti, ad robur spirituale, quod competit perfectę ętati: homo autem cùm ad perfectam ætatem peruenerit, incipit iam communicare actiones suas ad alios, antea verò quasi singulariter sibiipsi viuit. Et gratia Spiritus sancti in oleo designatur:

designatur: vnde Christus dicitur esse vnctus oleo lætitiæ, propter plenitudinem Spiritus sancti quam habuit. Et ideo oleum competit materiæ huius Sacramenti. Admiscetur autem balsamum propter fragrantiã odoris, quę redundat ad alios; vnde Apostolus dicit 2. ad Cor. 2. Christi bonus odor sumus Deo, &c. & licet multa alia sint odorifera, tamen præcipuè accipitur balsamum, propter hoc, quia habet præcipuum odorem, & quia etiã incorruptionem præstat. & hoc Chrisma debet esse benedictum ab Episcopo antequàm adhibeatur ad vsum Sacramenti, sicuti etiam & ipsum oleum infirmorum, &c.

Circuncisio, vt ait S. Thom. 3. p. q. 70. artic. 1. erat præparatoria ad Baptismum, & præfiguratiua ipsius, secundũ quod antiquis Patribus omnia in figura futuri contingebant. Et conferebat gratiam, & erat meritoria ex opere operante tantùm, idest inquantùm erat fidei signum passionis Christi futuræ; non autem ex opere operato, idest ex virtute circuncisionis. Ante circuncisionem sola Fides saluabat, & tollebat peccatum originale. Christus nihil accepit à Circuncisione secundùm animam, sicuti nec ab alijs legalibus, sed bene secundùm corpus: & ideo voluit circuncidi, vt ostenderet veritatem carnis humanæ, & approbaret Circuncisionem, quam olim Deus instituerat, & probaret se esse de genere Abrahæ, qui circuncisionis mandatum acceperat; & Iudæis excusationem tolleret ne eum reciperent, si non esset circuncisus, & obedientiæ virtutem nobis suo commendaret exemplo, & quia in similitudinem carnis venerat, remedium quo caro peccati consueuerat, mundari non respueret; & vt legis onus in se sustinens, alios à legis onere liberaret; & quia circuncisio solis maribus competebat, &c.

Claritas quam Christus in transfiguratione assumpsit, fuit claritas gloriæ, quantùm ad essentiam, non quantum ad modum essendi, vt ait S. Thom. 3. p. q. 45. art. 2. quia claritas corporis gloriosi deriuatur ab animę claritate; & similiter claritas corporis Christi in transfiguratione deriuata est à diuinitate ipsius, & à gloria animæ eius. Quod autem a principio conceptionis Christi a gloria animæ, non redundaret ad corpus, ex quadam dispensatione diuina factum est, vt in corpore passibili nostræ redemptionis expleret misteria. Nomen autem claritatis a qua deriuatur clarum, importat proprietatem luminis, sicut & suum oppositum importat proprietatem priuatiuam luminis, quę dicitur obscuritas, & tenebrositas: vnde claritas corporis gloriosi erit septuplum maior claritate Solis, & non erit æqualiter in omni corpore glorioso, nec in omni parte eiusdem corporis: & in potestate Beatorum est ostendere & occultare seipsos, & claritatem suorum corporum. &c.

Miraculosa fuit claritas corporis Christi in transfiguratione ad corpus relata, sicut naturalis respectu animæ.

Cogitatio, vt ait S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 5. vbi disputat, si pollutio nocturna sit peccatum, quandoque est purè speculatiua; puta cùm aliquis causa disputationis cogitat de peccatis carnalibus: quandoque autem est cum aliqua affectione, vel concupiscentia, & ex hac concupiscentia remanet quoddam vestigium, & inclinatio in anima, ita quod dormiens facilius inducitur in sua imaginatione ad assentiendum actibus ex quibus sequitur pollutio; quia cogitare dicitur tripliciter. s. actualis consideratio intellectus, discursus eius, & operatio potentiæ cogitatiuæ. Potest etiam esse respectus animi pronus ad euagationem, sicut meditatio est intuitus occupatus in inquisitione veritatis, & contemplatio est liber animi contuitus in res. Consideratio est omnis operatio intellectus vel processus rationis ex principijs pertingentibus ad contemplationem veritatis: vnde non semper cogitatio de opere illicito est peccatum, nec semper est de necessitate confessionis, nisi quando ex nimia mora facta in cogitatione illa homo sentiret se inclinari ad faciendum vel perficiendum cogitatum, si opportunitatem haberet quam vellet: & tale peccatum cogitationis est vanitas secundùm se, sed ratione obiecti est in genere obiecti. &c.

In genere moris actus ex obiecto specificatur.

Cognitio est triplex, vt scribit S. Thom. p. p. q. 56. art. 3. per essentiam, vt Angelus cognoscit seipsum: per speciem propriam, vt lapis videtur ab oculo: & per speciem alterius, vt homo videtur in speculo. & poterit esse de re quo ad an est, vel quid est, & quo ad ea quæ rem consequuntur. Et poterit esse etiã naturalis, & per gratiam, & vtraq; duplex, purè speculatiua, & effectiua, siue experimentalis, siue directa, siue indirecta, approbationis, & apprehensionis, in se & in suo effectu. & aliquando est intuitiua qua attingitur obiectum in sua existentia actuali. vel erit abstractiua, quando. s. est de re in aliquo repræsentatiuo, quia res præsens haberi non potest, vt cognitio rosæ in hyeme. Datur & notitia arguitiua seu discursiua, quando per magis notum cognoscitur minus notum, vt per creaturam cognoscimus Deum. Datur & cognitio confusa actualis, quando citra

penetra-

penetrationem cognoscitur id quod actualiter in obiecto inuenitur. Datur & cognitio confusa virtualis, quando obiectum, secundùm quod virtualiter in ipso includitur, non perfectè cognoscitur, & per oppositum se habet cognitio distincta actualis, & distincta virtualis, vt docet Caiet. in principio libelli de Ente, & essentia.

Debilitatio naturæ vnde sequatur. Coitus, de hoc ait S.Thomas 2.sent.dist.30.q.2.art.2. ad 3.argumentum, quòd si per coitum emitteretur solum illud seminis quod residuum est ab opere nutritiuæ, & augumentatiuæ potentiæ, nunquam sequeretur debilitatio, sed ex immoderato coitu aliquando emittitur, etiam id quod necessarium erat ad membrorum nutrimentum, adeò quod propter immoderantiam coitus loco seminis aliquis sanguinem emittit; ideo oportet quod debilitas naturæ sequatur. Nec mirum, cùm ex superflua egestione, vel vrina debilitetur corpus, sicut ex moderata alleuiatur: vnde narrat Hippocrates de quodã equo, qui propter nimium coitum inuentus est sine cerebro, vt scribit idem S.Thom. de potentia Dei q.3.art.12. ad 9. &c.

Columba, de qua ait S.Thom.3.p.q.39.art.6. habet septem proprietates, ad designandum septem dona Spiritus sancti .s. quia columba secus fluenta habitat, meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, non lacerat rostro, felle caret, in cauernis petræ nidificat, & habet gemitum pro cantu. Affirmat etiam S.Thom. ar.7. quòd columba illa quæ apparuit super Christum baptizatum, fuit verum animal, de mente Augustini, in libro de Agone Christiano, licèt 3.sent.dist.16. tenuerit oppositum, sequens opiniones aliorum: & Caiet. soluit rationem S.Thomæ, quod Spiritum veritatis non decet aliqua fictio, & tenet cum aduersarijs S.Tho. quòd illa columba non fuit verum animal, propterea quia Matthæus, & Lucas dicunt, sicut columba, Marcus tamquam columba, Ioannes quasi columba; & non aduertit Caietanus, quòd S.Thom. soluit rationem hanc in responsione ad primum, glosando Euangelistas, vtendo illo aduerbio, sicut, vel tamquam vel quasi, non ad excludendum veritatem columbæ, sed ad ostendendum quod ipse Spiritus sanctus non apparuit in specie suæ substantiæ. Prætrea dici etiam potest, quòd illa columba fuit verum animal veritate essentiæ, sed non veritate omnium proprietatum columbæ; & sic intellexit 3.sent &c.

Defenditur D.Th. contra Caiet.

Comprehensio, de qua S.Thom.p.q.14.art.3.ad primum, ait, quòd duo sunt de ratione comprehensionis .s. continere fines rei, & nihil eius esse extra; & tale comprehensum est finitum, quia comprehensio est duplex, vt q.12.art.7. clarius docet; Altera propriè; & de hac verificantur illa duo, qua comprehensione nullus intellectus creatus nec in via, nec in patria comprehendit Deum, qui est infinitus, bene autem apprehendit, vel attingit, quia sic attingere mente Deum magna est beatitudo. Alia est comprehensio communiter accepta, quæ inscrutioni opponitur; & sic Beati comprehendunt Deum, iuxta illud Apostoli 1.Cor.9. Sic currite vt comprehendatis; & talis comprehensio est vna de tribus dotibus animæ, quæ respondet Spei, sicut visio Fidei, & fruitio Charitati, vnde comprehensio sic non est alia operatio à visione, &c.

Concupiscentia, ait S.Thom.12 q.36.art.2. de mente Aug. est primus effectus amoris, sic etiam & cupiditas. Et aliquando dicitur esse sine ratione, non quidem quod totaliter auferat iudicium rationis, sed quia in nullo procedit secundùm iudicium rationis, nisi sit tanta vt faciat insanire, tunc enim ligat totaliter rationem; & non reprimitur, satisfaciendo ei, sed magis augetur secundùm se, vt ordinatur ratione, reprimitur quo ad corruptelas eius, &c.

Confessio triplex. Confessio, De hac scribit S.Tho.22.q.3.art.1.ad primum, dicens esse triplicem, Vnam esse eorum quæ sunt Fidei, vt puta relata ad fidei finem; Alia est confessio gratiarũ actionis, siue laudis, & ista est actus latriæ, ordinatur enim ad honorem Deo exterius exhibendum, quod est finis latriæ; Tertia est confessio peccatorum, & hæc ordinatur ad deletionem peccati, quæ est finis pœnitentiæ: vnde pertinet ad pœnitentiam, quæ est duplex, scilicet interior Deo, & exterior Sacerdoti, quę est latentis peccati manifestatio. Vel, vt alij dicunt, est per quam morbus latens spe veniæ aperitur. Siue etiam dicere possumus, quòd Confessio sacramentalis, est secreta delinquentis accusatio suorum commissorum peccatorum coram Sacerdote, iurisdictionem in eum habente, spe veniæ consequendæ, habens aliquas conditiones de necessitate, aliquas de congruitate, quæ exprimuntur his verbis.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,

Integra,

Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Confessor, vt ait S. Thom. 4. sent. dist. 16. q. 3. art. 2. debet interrogare confitentes, non de quolibet peccato, sed secundùm conditiones singulorum: non enim oportet, quòd à milite quæratur de peccato clericorum, aut religiosorum, aut èconuerso, sed de peccatis præcipuè carnalibus. Debet interrogare à longinquo, cautè, & non descendendo nimis ad particularia, nisi in his, quæ in aliquam speciem peccati mortalis trahunt; vt si commisit dicat, & si non commisit non adiscat; & ideo potest contingere, vt Confessor talia nimis quærens, & sibi, & confitenti noceat. Confessor est iudex quantum ad ligandum, & soluendum ministerialiter à culpa, & à pœna æterna, sed quantum ad pœnam temporalem taxandam, in hac vita soluendam, est arbiter: propterea debet habere quinque conditiones. s. potestatem, scientiam, prudentiam, bonitatem, & sigillum, quod quidem adeo custodiendum est, vt non solum vitetur fractio, immo etiam dignum est vt tollatur de hoc omnis suspicio, ne in contemptum veniat confessio, &c.

Confiteri peccatum in casu est de necessitate naturali. s. cum quis in iudicio constitutus, à iudice interrogatur, tunc enim non debet mentiri, peccatum excusando, vel negando: de quo Adam, & Chaim vituperantur, vt ait S. Thom. 4. sent. dist. 17. quæst. 3. ar. 1. q. 2. vnde confiteri idem est quod veritatem spontè fateri. Confiteri Fidem in periculo mortis non est tantum Fidei, sed indiget auxilio virtutis fortitudinis, & gratia sacramentali Confirmationis. & confessio Fidei per verba est necessaria, non autem per facta, &c.

Confirmatio, vt scribit S. Thom. 3. p. q. 65. art. 4. non est de necessitate salutis, sed est Sacramentum necessitatis, quoad bene esse spiritualis vitæ: & tamen contemptus huius Sacramenti est periculosus. Fuit autem immediatè instituta à Christo, quando imposuit manus super pueros, non exhibendo, sed promittẽdo; licet impositio manus Christi super pueros non fuerit Sacramentum Confirmationis, quia non erat dandum ante Ascensionẽ eius, sed fuit institutio eius, vel talis qualis fit in cathecismo, & exorcismo, cœpit enim Confirmatio in aduentu Spiritus sancti, sicut Sacramẽtum Baptismi in Baptismo Christi. Et confertur tale Sacramentum tantum ab Episcopis. Potest etiam conferri à simplici Sacerdote ex commissione solius Papæ, non autem à Diacono. Et confirmandus debet teneri ab alio confirmato cuiuscunque ætatis, aut sexus. Et datur tantum in fronte ad liberam confessionem nominis Christi, & ad fortiter defendendum dignitatem acceptam. Et habet determinatam formam, quæ est, Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen, &c.

Conscientia, vt ait S. Thomas p. p. q. 79. art. 13. non est potentia, nec habitus, sed actus; vnde secundùm proprietatem vocabuli importat ordinem scientiæ ad aliquid; nam conscientia dicitur cum alio sciẽtia, applicatio autem scientiæ ad aliquid per aliquẽ actum; & ideo ex ratione nominis apparet conscientiam esse actum. Et conscientia dicitur res conscita, lex naturalis, consideratio conclusionis practicæ. Dicitur quoque spiritus, corrector, & pedagogus animæ, idest dictamen rationis: hinc est, quòd dicitur accusare vel excusare, inquantum cognoscimus nos bene, vel male fecisse: dicitur testificari, inquantum cognoscimus nos aliquid fecisse: dicitur instigare, vel ligare, inquantum iudicamus aliquid esse agendum, vel non. Et est duplex, recta, & erronea. Conscientia recta dicitur, quæ est conformis legi: erronea, quæ est difformis legi; recta obligat, & est quasi preco legis, ostendit enim nobis legis dictamina, dictans hæc vel illa esse legis præcepta, prohibitiones, vel consilia; & ita ligat auctoritate legis quam nobis insinuat. Conscientia erronea obligat non ad faciendum quod dictat; sed ad deponendum errorem, vel sic intelligendum, quòd faciens contra, peccat, tamen quia illa obligatio nociua est, cùm diuina lege homo ad contrarium obligetur, Deus obligationem quæ est per conscientiam erroneam non acceptat: vnde concludit S. Thom. 2. sent. dist. 39. q. 3. art. 3. quòd dictamen conscientiæ plus obligat, quàm præceptum Prælati. Lege ipsum, &c. *Conscientia diuersimode appellatur.*

Consilium est ipsa quæstio, quæ vertitur inter consiliantes, & consilium habens, vt docet S. Thom. p. p. q. 22. art. 1. Consilium est de rebus dubijs inquisitio; & secundùm istam rationem Deo non competit consilium, licet ratio rerum agendarum possit dici cõsilium in Deo, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perueniunt: & sic intelligitur illud ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Et sic consilium sicut & consulere dupliciter dici potest: Vno modo consulere dicitur accipere consilium; alio modo cõsulere dicitur dare consilium;

consilium; & sic dicit scientiam, primo autem modo dicit ignorantiam. Consilium sine dubitatione conuenit etiam Christo, vt ait S. Thom. 3. p. q. 11. art. 3.

Contritio rei materialis importat alicuius duri & integri comminutionem; sed contritio spiritualis est dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi & satisfaciendi. Et dat etiam quatuor alias diffinitiones de contritione S. Thomas 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 1. & habet votum confessionis sibi annexum, & secundùm essentiam est in corde; & pertinet ad pœnitentiam interiorem, virtualiter ad exteriorem, inquantum implicat propositum confitendi. Et eius dolor est duplex. s. sensitiuus, & intellectiuus s. displicentia voluntatis; primus est tantum effectus eius; secundus autem est ipsa contritio. & primus dolor debet esse moderatus secundùm conditiones personarum; secundus verò debet esse maximus, nec potest esse nimius. & vterque dolor vt est de singulis peccatis, quæ occurrunt memoriæ, debet esse actualiter maior de maiori, sed vt est simul de omnibus tantum virtualiter. & vterque dolor debet durare vsque ad mortem. & primus debet continuari quantum possibile est, seruatis actibus aliarum virtutum, & sanitate; non autem secundus. Dolor secundus. s. intellectiuus causatur ex primo per redundantiam, vel ex electione contriti, qui debet velle magis omnem pœnam, etiam ipsam pœnam inferni sufferre, quàm peccare, tamen nullus est de hoc tentandus, vt ait S. Thom. 4. sent. dist. 17. quæst. 2. art. 1.

Dolor duplex sensitiuus, & intellectiuus.

Contumelia, vt scribit S. Thomas 22. q. 72. art. 1. importat dehonorationem alicuius; & est ducere contra honorem alicuius id quod erat occultum, in notitiam ipsius dehonorati, siue in notitiam aliorum. & fit principaliter per verba, secundo per aliqua facta, & importat peccatum semper. Et quia hoc pendet ex animo dicentis, si id quod profertur est ex aliqua animi leuitate, vel ex leui ira, absque firmo proposito aliquem dehonestandi (puta cùm aliquis intendit aliquem per verba, quæ dicit, leuiter contristare) est peccatum veniale; si verò intentio proferentis ad hoc feratur, vt aliquis per verba, quę profert, honorem alterius auferat, hoc propriè & per se est dicere contumeliam, & hoc est peccatum mortale, non minus quàm furtum, vel rapina; non enim minus homo amat suum honorem, quàm rem possessam. Si verò aliquis verbum conuicij vel contumeliæ alteri dixerit, nõ tamen animo dehonorandi, vel forte propter correctionem, vel propter aliquid huiusmodi conuicium, & contumeliam formaliter, & per se, sed per accidens, & materialiter, inquantum. s. dicit id quod potest esse conuicium, & contumelia, & hoc potest esse quandoque peccatum veniale, quandoque etiam absque omni peccato. Et contumelia est tantum de culpa, conuicium etiam de pœna, sed improperium est de indigentia: tamen quandoque vnum ponitur pro alio, quia contumeliosus dicitur aliquis, quia velox est, & tumet verbis iniuriæ, &c.

Cor nō est primū vitæ principium in animali.

Cor est principium vitæ in animali, non tamen est primum principium, quia tale est anima, ait S. Thom. p. p. q. 75. art. 1. & cor est primum quod generatur in ipso animali, & est primum principium membrorum, & virium vitalium, quantum ad esse, sed caput est principium sensuum & motuum. & cor dicitur esse in medio animalis, vt conseruetur, & vitam influat in omnes partes; & magis conformatur Deo, quando mouetur, quàm quando quiescit, quia perfectio eius est in moueri, & quies est eius destructio: vnde omnis bona dispositio corporis redundat ad cor; sicut ad principium & finem corporalium motionum; & nunquam cor est susceptiuum infirmitatis, nec in homine infirmo & curabili est pars corruptioni subiecta. Cor Dei est Patris archanum: ex quo Verbum. i. Filium suum impassibiliter sine initio genuit, vt Dauid cecinit in Psal. Eructauit cor meum verbum bonum, &c.

Corpus, vt scribit S. Thomas p. p. q. 18. art. 2. sumitur tripliciter, pro genere animalis, pro parte eius, & prout est species quantitatis. Et vt est genus, prima sui diuisione diuiditur in corpus simplex, & mixtum. & quodlibet compositum ex materia & forma, dicitur corpus. & habet duplicem terminum. s. essentiæ, & quantitatis: & vt est in genere substantiæ cum propensione ad motum, consideratur à Physico; vt verò est in genere quantitatis, & quid mensuratum, consideratur à Geometra. Et corpus comparatur ad locum non sicut materia ad formam, sed magis sicut subiectum ad accidens. & quanto corpus est superius. s. locum & situm, tanto est formalius, & continens, & actiuius, & locus inferioris, & si mouetur motu recto, & est corruptibile, indiget loco, non autem si mouetur circulariter, & sit incorruptibile, quia corpus illud quod mouetur motu recto, mutat locum subiecto & ratione; sed illud quod mouetur tantum circulariter, non mutat locum subiecto,

sed

sed ratione. & nullum corpus agit, nisi tangendo, & mouendo. & semper corpus viuum est nobilius corpore non viuo; corpus verò hominis componitur ex contrarijs propter tactum. & duo corpora possunt esse simul in eodem loco virtute Dei, non autem naturaliter.& vnum corpus potest esse simul in duobus locis sacramentaliter, non autem localiter,& dimensionaliter,&c. vt ait S.Thom.1.sent.dist.37.q.3.art.2.

Correctio, vt scribit S.Thom.2.2.q.33.at.1.est duplex.s.coactiua & ostensiua; tantum prima pertinet ad Prælatos,secunda verò ad omnes:& vtraque est in præcepto,sed secunda solum quando delinquentes occurrit commoditas corripiendi, & spes emendationis, & superior deest; Verum correctio fraterna est actus charitatis, coactiua autem est actus iustitiæ. Corripere propriè est ostendere turpitudinem peccati, hortando ad emendationem; sed corrigere est cogere ad aliquid per pœnas; licet quandoque vnum pro alio ponatur; & correctio est vtilis ad emendationem, ad quam tamen non sufficit sine auxilio Dei, 12 q.109.art.8.

Corruptio est separatio formæ à materia, vt ait S.Thom.p.p.q 50.art.5. vbi disputat, num Angeli sint incorruptibiles? corruptio quoque non potest esse,nisi vbi est contrarietas, quia omnis generatio & corruptio est ex contrario: & est duplex, per se compositorum, & per accidens formarum. Et per corruptionem res reducuntur de actu in potentiam,sicut in generatione est econuerso. Et contingit corruptio primo propter defectum virtutis,vt in omni corruptibili; secundo per excessum contrarij,vt in omni mixto; tertio per consumptionem humidi à calido, vt in omni animato; quarto per violentiam, vt in occisis. Et contra hoc datum fuit quadruplex remedium.s. quia contra vtrunque illorum primorum defectuum subueniebatur homini per quandam virtutem animæ collatam ad hoc, vt secundùm conditionem suam materiam suam perficeret, vt sicut ipsa anima habet esse indeficiens, indeficiens esse corpori tribueret, & propter inæqualitatem, æqualitatem complexionis; sed contra tertium defectum subueniebatur sibi duplici beneficio,per esum ligni vitæ,& aliorum lignorum: à quarto modo corruptionis conseruabatur homo illæsus diuina prouidentia,&c.vt ait S.Thom. 2.sent.dist.19. Corruptio quoque est mutatio de esse ad non esse,sicut generatio est econtratio, vt idem S. Thomas ait 5.Phys. lect.2.

Creatio est productio rei secundùm totam substantiam suam nullo præsupposito, vt scribit S.Thomas p.p.q.65.art.3.& est duplex, actiua, quæ est essentia Dei cum relatione rationis ad creaturas; passiua verò est in creatura, & est accidens eius de prædicamento relationis.s.habitudo habentis esse ab alio,& consequens operationem Dei,& est aliquid inter creata. Dicitur etiam creatio actiua,actio transiens grammaticaliter,quia relinquit effectum exteriorem, & est creatrix Dei essentia, nulli creaturæ communicabilis etiam instrumentaliter: quia creare dicit potentiam infinitam agentis, vt idem S.Thomas ait 2.sent dist.1. *Quid est creatio.*

Credere,vt ait S.Thom.2.2.q.2.art.2. dicitur tripliciter.s. Deo,credere in Deum,vt est motum à voluntate;& credere Deum,prout intellectus per aliquod medium adhæret credibili: vnde credere est actus intellectus assentientis diuinæ veritati ex imperio voluntatis motæ à Deo per gratiam,& consistit in secunda operatione intellectus,& dependet à tribus.s.ab intellectu,voluntate, & ratione: vnde est donum Dei, propterea est de necessitate salutis sicut & Fides. Hinc dicitur, quòd credere est cum assensu cogitare,& habet firmam adhæsionem ad vnam partem,in quo conuenit credens cum sciente,& intelligente, & tamen eius cognitio non est perfecta per maximam visionem, in quo conuenit cum dubitante, suspicante, & opinante: & sic proprium est credentis,vt cum assensu cogitet: & propter hoc distinguitur iste actus,qui est credere, ab omnibus alijs actibus intellectus,qui sunt circa verum & falsum, &c. *Credere Deo, Deum, & in Deum, distinguuntur.*

Cultus Dei,vt scribit S. Thomas 2.2.q.101.art.2. est duplex, interior,& exterior,quia homo compositus est ex anima & corpore; vtrunq; debet applicari ad colendum Deum, scilicet vt anima colat interiori cultu,& corpus exteriori: vnde dicitur in Psal. Cor meũ & caro mea exultauerunt in Deum viuum. & sicut corpus ordinatur ad Deum per animam, ita cultus exterior ordinatur ad interiorem; & hinc est, quòd cultus Dei dicitur religio, pietas, latria, & seruitium. & debetur Deo vt omnium primo principio, & vt significetur omnia esse à Deo. Potest in cultu Dei esse aliquid superfluum, non secundùm quantitatem absolutam, sed quia non proportionatur fini, tam in deuotione mentis, quàm in sacrificijs,& oblationibus,&c. vt idem S.Thom. ait 2.2.q.81.art.7.

Curam Animarum Diaconus habere poterit quantum ad ea quæ sunt iurisdictionis, non autem quantum ad ea quæ sunt Ordinis, vt docet S. Thom. 4. sent. dist. 13 q. 1. ar. 3. q. 2. ad 2. & 2. 2. q. 184. ar. 6. ait, quòd in presbyteris, & diaconibus curam habentibus animarum duo possunt considerari; scilicet Ordo, & cura; Ordo autem ipse ordinatur ad quendam actum in diuinis officijs, & ideo ex hoc quòd aliqui suscipiunt sacrum Ordinem, accipiunt potestatem perficiendi quosdam actus sacros, sed non obligantur ex hoc ipso ad ea quæ sunt perfectionis, nisi quatenus apud occidentalem Ecclesiam in susceptione sacri Ordinis emittitur votum continentiæ, quod est vnum eorum quæ ad perfectionem pertinent; & propterea ex hoc, quòd aliquis accipit sacrum Ordinem non ponitur simpliciter in statu perfectionis, quamuis interior perfectio ad hoc requiratur, quòd aliquis dignè huiusmodi actus exerceat; similiter etiam nec ex parte curæ quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis; non enim obligantur ex hoc ipso vinculo perpetui voti, ad hoc quod curam animarum retineant, sed possunt eam deserere, vel transeundo ad religionē (etiam absque licentia Episcopi) vt habetur in decretis 19. q. 2. Etiam cum licentia Episcopi potest aliquis Archidiaconus Archidiaconatum vel parochiam dimittere, & simplicem præbendam accipere sine cura, quòd nullo modo liceret, si esset in statu perfectionis, Nemo enim manum mittens ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. Episcopi autem, quia sunt in statu perfectionis, non nisi auctoritate Summi Pontificis, ad quem solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt Episcopalem curam deserere, & ex certis causis, &c.

DE LITERA D.

DAMNATIO est extrema miseria hominis, in hoc quod intellectus totaliter diuino lumine priuatur, & affectus à Dei bonitate obstinatè auertitur, sicut per oppositum vltima hominis felicitas quãtum ad intellectum consistit in plena Dei visione; quantum ad affectum verò in hoc, quòd voluntas hominis in prima bonitate sit immobiliter firmata, vt ait S. Thom. in opusculo 3. cap. 74. & 1 sent. dist. 48 q 1. ar. 3. ait, quòd pœna principalis damnatorum est æterna priuatio visionis Dei, & obstinata auersio à Deo; maxima enim afflictio est separari à Deo, & subdi corporalibus, & infimo, & abiectissimo loco; & qualibet pœna damni, vel sensus damnatorum, excedit omnem pœnam, & dolorem cuiuscunque viatoris, etiam Christi, &c.

Damnati in inferno maiorem pænã ex visione beatorum habebūt.

Damnati ante diem iudicij videbunt Beatos in gloria, non hoc modo quòd gloria eorum qualis sit cognoscant, sed solum cognoscent eos esse in gloria quadam inæstimabili; & ex hoc turbabuntur, tum propter inuidiam dolentes de felicitate bonorum; tum propter hoc, quòd ipsi talem gloriam amiserunt; sed post diem iudicij omnino Beatorum visione priuabuntur, nec tamen ex hoc eorum pœna minuetur, sed augebitur, quia memoriam habebunt gloriæ Beatorum, quam in iudicio viderunt, vel ante iudicium, & hoc erit eis in tormentum, quia vident se esse indignos videre gloriam illam quam Sancti habent, ita scribit S. Thom 4. sent. dist. 50. q. 2. art. 2. & vellent omnes damnari, quia perfectissimo odio dolent de omnibus bonis, & maxime de beatitudine Sanctorum; gaudent de pœnis inimicorum suorum, quos secum vident in inferno, quia impletur voluntas eorum, sed dolent de impletione voluntatis Dei, & de suo gaudio, per vermem, idest remorsum conscientiæ. Blasphemant semper Deum mente, & voce, licet cognoscant, & diligant Deum naturaliter, idest inquantum est principium naturalium, non autem secundùm se, nec vt est principium gratuitorum, quia cogitant de ipso Deo vt est affligens eos, non autem vt est fons totius bonitatis.

Decimæ dabantur in veteri lege ad sustentationem ministrorum Dei, vt ait S. Thomas 2. 2. q 87. art. 1. & dicitur decima, quasi vna portio ex decem; vel decima est omnium bonorum iustè quęstorum pars Deo debita, & est de iure naturæ, quòd Deus honoretur de propria substantia: vnde spectat ad præceptum morale: spectat etiam ad præceptum iudiciale, quantum ad determinationem decimæ partis, & quia etiam figurabat perfectionem Christi; hinc homines tenentur soluere decimas de iure naturæ, & ex præcepto Ecclesiæ de omni re possessa, secundum consuetudinem, scilicet de omni lucro prædiali, & personali, & de meretricio, & histrionatu (licet ecclesia non deberet recipere quandiu sunt in peccato) de rapina tamen, & furto, & vsura, & de alijs rebus obnoxijs restitutioni

Ex quibus bonis decimæ dari debent.

non

non tenentur soluere, sed bene de fructibus rei emptæ ex vsuris: de herbis, & alijs, non tenentur soluere, nisi de consilio; nihilominus non debent soluere, deductis expensis, aut tributis, vel mercede operariorum. & debent dari his quibus solent dari secundùm consuetudinem, licet personales magis conueniant Ecclesiæ parochiali, prædiales verò Ecclesiæ vbi est ager. Clerici quoque tenentur dare decimas Papę, si petat.

Dęmon, de hoc loquens S.Tho.p.p.q.51.ar.1.ad 1. ait, quòd D.August. super Genesim ad literam vtens opinione Platonicorum, dicit, Dęmones esse animalia aerea, animo passiua tempore æterno. Et secundùm Porphyrium, sunt natura fallaces, & sensitiui. Et dicuntur demones quasi scientes, cacodęmones.i. male scientes, & calodęmones.i. bene, seu bonum scientes, qui vigent acumine scientiæ. & lumen intellectuale in eis est perspicuum: vnde cognoscunt veritatem tripliciter, scilicet per naturam, reuelationem, & experientiam: hinc possunt cognoscere cogitationes cordium, quæ manifestantur per aliquos corporis motus, sicut & medici; sed non habent cognitionem matutinam, aut vespertinam, sed nocturnam; vnde cognouerunt Christum esse Messiam promissum in lege, non autem diuinitatem eius, nisi per coniecturam. Prohibiti sunt virtute diuina ab inuestigatione Beatæ Mariæ; confitebantur tamen diuinitatem Christi, suspicando. maximè anhelant vt eis exhibeatur diuinus cultus. veniunt ad inuocationem diuinæ virtutis, ne omnino credantur exclusi à diuina iustitia: veniunt etiam vocati per mendacia, & vana, vt faciant ea credi. si vocentur à virginibus, tanto citius veniunt, vt ducant homines in opinionem suæ diuinitatis, quasi munditiam ament. faciunt quasdam lenitates, vt sint familiares hominibus, quos conantur decipere. fingunt quoque se esse animas defunctorum, vt inducant homines in errorem. Hæc omnia habet S.Thom. in diuersis locis suæ doctrinæ, &c. *Dæmones diuinitatē Christi non cognouerunt tempore Incarnationis ipsius.*

Desperatio, De hac loquens S.Thomas 2.2.q.20.art.1.ait, quòd motus desperationis spectat ad vim appetitiuam, & opponitur spei, idcirco est vitiosus, & peccatum, cùm prouceniat ex hoc, quòd homo non sperat se bonitatem Dei participare. Et est minus graue peccatum infidelitate, & odio Dei, sed periculosius. & non importat solam priuationem spei, sed recessum à re desiderata propter impossibilitatem æstimatam. & non respicit malum sub ratione mali, sed per accidens quandoque, inquantùm facit impossibilitatem adipiscendi. & potest esse aliquando firma credulitas, qua quis credit se esse damnandum, vel diffidit se esse saluandum: aliquando verò poterit esse credulitas, qua quis credit, quòd si faciat quod in se est, pro statu viæ ad habendam beatitudinem, adhuc non habebit eam. Et oritur non ex pusillanimitate, sed ex certa, & diffinita malitia, in qua vult vitam finire, præferendo iniquitatem suā diuinæ misericordię, vt fecit Cain, dicens, Ecce à facie tua eijcis me hodie, vagus, & profugus, &c. maior est iniquitas mea, &c.

Detractio, De hoc termino loquitur S.Thomas 2.2.q.73. per totam, dicens, quòd est denigratio famæ per occulta verba, & est maius peccatum, quàm furtum, minus tamen quàm homicidium, vel adulterium, quia peccata quæ committuntur in proximum, sunt pensanda per se quidem secundùm nocumenta, quę proximo inferuntur, quia ex hoc habent rationem culpæ: tanto autem est maius nocumentum, quanto maius bonum demitur; cùm autem sit triplex bonum hominis.s. bonum animæ, bonum corporis, & bonum externarum rerum; bonum animę, quod est maximum, non potest alicui ab alio tolli, nisi occasionaliter, puta per malam persuasionem, quæ necessitatem non infert; sed alia duo bona.s. corporis, & externarum rerum, possunt ab alio violenter auferri. Sed quia bonum corporis præeminet bono externarum rerum, graniora sunt peccata quibus infertur nocumentum corpori, quàm ea quibus infertur nocumentum exterioribus; vnde inter cætera peccata, quæ committūtur in proximum, homicidium est grauius, per quod tollitur vita proximi, iam actu existens, consequenter autem adulterium, quod est contra debitum ordinem generationis humanæ, per quam est introitus ad vitam; consequēter autem sunt exteriora bona, inter quæ fama pręeminet diuitijs, eò quod propinquior est spiritualibus rebus seu bonis: vnde Prouerb.22. Melius est nomen bonum, quàm diuitię multę; & ideo detractio secundùm suum genus est maius peccatum, quàm furtum, minus tamen quàm homicidium, vel adulterium, &c. *Maius peccatum est detractio, quàm furtum.*

Deus est sphæra intelligibilis, cuius centrum est vbique, circumferentia verò nusquā. de Ver.q.2.art.3.arg.11. refert S.Thom. de mente Trimegisti. & 1.par.q.2.ar.1. Deus est quo maius cogitari non potest. & est substantia nullius indigens, quia Bonorum nostro- *Deus est id quo maius excogitari nō potest.*

rum non indiget. & suum proprium nomen dicitur, qui est, cùm totum quod in ipso est comprehendat, veluti quoddam pelagus substãtiæ, infinitum, & indeterminatum: & dicitur Atheyn, quod est curare, & fouere vniuersa, vel ab ethyn, hoc est ardere. & est omnino simplex, actus purus, & efficiens, forma, exemplaris, & finis omnium, perfectus, bonus per essentiam, infinitus, immobilis, vbique existens per potentiam, præsentiam, & essentiam, æternitate mensuratus, maxime vnus, incomprehensibilis à creatura, nominabilis tamen nominibus significantibus habitudinem principij, & per modum excellentiæ, & remotionis, omnisciens, non tamen omniuolens; veritas, & vita, atque idea omnium, & iustitia, & misericordia secundùm effectum, amor vero, iuxta illud Ioan. 4. Deus charitas est: omnibus prouidens, eligens creaturas aliquas intellectuales ad vitam æternam, aliquas verò ab ea deficere permittens, beatus, & solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium. Et aliquando hoc nomen Deus, supponit pro essentia, vt cùm dicitur Deus creat; aliquãdo supponit pro vna persona, quando dicitur, Deus generat; aliquã do pro duabus, quando dicitur, Deus spirat; aliquando verò pro tribus, vt quando dicitur, Regi seculorum, immortali, inuisibili soli Deo: vt scribit S. Thom. p. p. q. 39. art. 4. Et nota, quòd omnibus istis modis captus, est hoc nomen Deus naturaliter, & essentialiter, ad differentiam illorum modorum, quibus Deus dicitur nuncupatiuè, vel abusiuè, vt scribitur Psal. 95. Omnes Dij gentium Dæmonia. & 1. Cor. 8. Si quidem Dij multi, & Domini multi. Capitur aliquando hoc nomen Deus adoptiuè, vt habetur Psal. 8. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes; quandoque significatiuè pro hominibus in dignitate existentibus, vt habetur Exod. 22. Dijs non detrahas, idest Prælatis; quandoque potestatiuè, vt habetur Exod. 7. de Moyse, cui dixit Deus, Ecce constitui te Deum Pharaonis; quandoque sollicitudinaliter, vt dixit Apostolus ad Philipp. 3. Quorum Deus venter est, tales quidem tantam sollicitudinem habent de ventre, vt obliuiscantur Dei.

Deitas significat essentiam diuinam, vt formam abstractam; & ideo non habet ex modo suæ significationis, quod supponat pro persona, licet sit idem realiter quod Deus: quia tamen non est idem modus significandi vtrobique, hæc est vera, Deus genuit Deum; hæc autem est hæretica, Deitas genuit Deitatem, vt scribit S. Thom. p. p. q. 39. art. 5. & habetur in principio Decretalium contra Abbatem Ioachim: & hic modus significandi non est distinctus ex natura rei, vt dicit Scotus 1. sent. dist. 8. q. 4. quia si Deitas formaliter ex natura rei nullo intellectu cogitante esset distincta à bonitate, tunc Deitas non esset formaliter, & ex natura rei bona, diuina bonitate; quæ est propositio condemnata in Concilio Remensi contra Gilibertum Porrectanum, vt refert S. Bernardus in quodam sermone super Cantica Canticorum: consequentia probatur, quia Deitas est formaliter distincta à bonitate; de qua etiam quæri potest, Aut hæc bonitas, vt est distincta à Deitate, est superior Deitate, aut inferior, aut æqualis; si primo, tunc dabitur aliquid superius Deitate, & sic Deitas non erit Deitas, quia Deus est quo maius cogitari non potest; si secundo, ergo diuina bonitas erit creatura, quia sola creatura est inferior Deitate; si tertio, ergo dantur duo summa bona, quia Deitas est summum bonum, & diuina bonitas est summum bonum. Et confirmatur, quia Gilibertus Porrectanus non ponebat ista abstracta, ita vt quando reperitur, Deus est sapientia, debet exponi. i. Deus est sapiens, sicuti & Præpositiuus attendens simplicitatem Dei, dixit, nõ esse ponendas notiones in diuinis: & si alicubi inueniatur, exponendum est abstractum pro concreto, sicuti consueuimus dicere, rogo benignitatem tuam, idest te benignum. Ex quo elicitur, quòd apud Gilibertum, & Præpositiuum hæc est falsa, Deus est bonus sua bonitate; propterea Concilium Remense condemnauit ipsam. Sed idẽ sequitur apud Scotum, posita distinctione ex natura rei inter diuinas perfectiones: ergo est condẽnanda hæc positio, vt illa Giliberti: patet, quia Deitas ex natura rei formaliter est distincta à sapientia, ergo Deus ex natura rei non est sapiens sua sapientia; quia nulla res denominatur talis ab eo quod est distinctum ab ipsa; sicuti nõ dicitur paries albus ab albedine distincta ab eo; sic etiã Deus est distinctus ex natura rei à sua sapientia, ergo non est sapiens sua sapientia; sic etiam voluntas in Deo non est intellectualis, quia voluntas & intellectus distinguuntur ex natura rei per Scotum. Et si dicatur, quòd voluntas dicitur intellectualis radicaliter à diuina essentia: ergo saltem habetur, quòd voluntas Dei non est formaliter intellectualis, quòd non bene sonat.

Error Abbatis Ioachim.

Error Præpositiui & Giliberti condemnatur.

Diaconus, De hoc S. Thom. ita scribit 3. par. q. 67. ar. 1. in corpore. Dicitur Diaconus quasi minister, quia ad Diaconum non pertinet aliquod Sacramentum principaliter, & quasi ex proprio officio præbere, sed adhibere ministeriũ alijs maioribus, in exhibitione

Sacramen-

Sacramentorum; & sic ad Diaconum non pertinet quasi ex proprio officio tradere Sacramentum Baptismi, sed in collatione huius Sacramenti, & aliorum assistere, & ministrare maioribus; propterea non licet ei tangere corpus Christi, quia non habet manus consecratas, pertinet tamen ad eum purgare tantum, idest eijcere immundos, & disponere Fideles per admonitiones, & dispensare sanguinem Christi, non autem corpus (nisi in necessitate iubente Episcopo, vel Presbytero) & hoc ideo, quia sanguis Christi continetur in vase, vnde non oportet, quòd tangatur à dispensante, sicut tangitur corpus Christi: deinde sanguis designat redemptionem à Christo in populum deriuatam: vnde & sanguini admiscetur aqua, quæ significat populum; & quia Diaconus est medius inter Sacerdotem, & populum, magis conuenit Diacono dispensatio sanguinis, quàm corporis, &c.

Diacono cõue nit assistere Sacramento, non illud ministrare.

Dialectica, de qua scribit S. Thom. super 4. Metaph. in expositione tex. 5. dicens, quòd potest considerari secundùm quod est docens, & secundùm quod est vtens; Primo modo habet considerare de intentionibus secundis, instituens modum quomodo per ens procedi possit ad conclusiones, in singulis scientijs, probabiliter ostendendas; & hoc demonstratiuè facit; & secundùm hoc est scientia. Alio modo potest considerari secundùm quod est vtens; & sic vtitur modo adiuncto ad concludendum aliquid probabiliter in singulis scientijs; & sic recedit à modo scientiæ: Similiter dicendum est de Sophistica, quia prout est docens, tradit per necessarias, & demonstratiuas rationes, modum arguendi apparenter; secundùm verò quod est vtens, deficit à processu veræ argumentationis, &c.

Dicere, De hoc termino loquens S. Thom. 2.2. q. 76. ar. 1. ait, quòd dicere, tripliciter se habet ad id quod dicitur, Enunciatiuè, causatiuè seu imperatiuè, & optatiuè. Et de potentia Dei, q. 2. ar. 4. ad 8. asserit, quòd hoc verbum dicere, potest accipi dupliciter, strictè, & largè. Strictè accipiendo, dicere idem est, quòd verbum à se emittere, & sic est notionale, & conuenit tantùm Patri, qui solus dicit se. Alio modo potest accipi communiter, prout dicere idem est quod intelligere; & sic est essentiale; & hoc modo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dicunt se. Capitur etiam dicere aliquando pro creare; & est quoque essentiale, vt habet idem S. Thom. 1. sent. dist. 27. q. 2. ar. 2. iuxta illud, Dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt, &c.

Dici, De hoc quoque asserit S. Thom. p. p. q. 34. ar. 1. quòd conuenit cuilibet personæ: dicitur enim non solum verbum, sed res quæ verbo intelligitur, vel significatur: vnde eo modo quo dicitur res in verbo intellecta, cuilibet personę conuenit dici; Pater enim intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia continentur, concipit Verbum, & sic tota Trinitas, & etiam omnis creatura: hinc est, quòd dicere non est agere, sicuti neque dicere est pati, propterea differunt dicere verbum, & dicere Verbo, sic etiam operari: vnde Pater in diuinis operatur aliquid Verbo, quia dat ei vim operatiuam, tamen Spiritus sanctus nihil operatur Verbo, sumpto secundùm suam proprietatem, quia Spiritus sanctus nihil dat Verbo, cùm producatur ab ipso, &c.

Dici, conuenit cuilibet personæ.

Dies, De hoc 3. p. q. 53. ar. 2. ad 3. ait S. Thom. quòd est duplex, naturalis. s. continens vigintiquatuor horas, & artificialis à claritate Solis; nam tunc dies est, quando Sol est super terram, & habet duodecim horas non æquales secundùm circulum ęquinoctialem, sed inæquales sm ascensiones Zodiaci per sex signa. Et dicitur dies aliqua clara dupliciter. s. ex institutione Dei, & statuto hominum, additur quoque & lumine Solis: & dicitur dies malus, aliquando non ratione sui, sed quia est mensura malæ actionis, iuxta dictum Apostoli ad Ephes. 5. Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Dicitur etiam dies tempus gratiæ, sicuti & nox dicitur lex vetus, iuxta illud Rom. 13. Nox præcessit, dies autem appropinquauit; sed hoc dicitur allegoricè. Potest quoque moraliter dies sumi pro prosperitate, sicuti & nox pro aduersitate, &c.

Dies duplex.

Differentia, De hac loquens S. Thom. p. p. q. 50. ar. 2 ad primum, dicit, quòd constituit speciem, quia vnumquodque constituitur in specie secundùm quod determinatur ad aliquem specialem gradum in entibus, quia species rerum sunt sicut numeri, qui differunt per additionem, & subtractionem vnitatis; sed in rebus materialibus aliud est quod determinat ad specialem gradum. s. forma, & aliud quod determinatur. s. materia; vnde ab alio sumitur genus, & ab alio differentia; sed in rebus immaterialibus non est aliud determinans, & determinatum, sed vnaquæque earum secundùm seipsam tenet determinatum gradum in entibus, & ideo genus & differentia in eis non accipitur secundùm aliud & aliud, sed secundùm vnum & idem, quæ tamen differunt secundùm considerationem nostram; inquantum enim intellectus noster cõsiderat illam rem vt indeterminatè accipitur

pitur

pitur in eis ratio generis;inquantum verò confiderat vt determinatè accipitur ratio dif-
ferentiæ, quæ cùm fit nobis ignota, præfertim quando eſt eſſentialis, nominatur ex ac-
cidentibus. & importat ſemper diſtinctionem formæ, quia eſt completiua ſpeciei. & ſu-
mitur à forma,ſicut genus à materia.& ſecundùm conſiderationem realem & metaphyſi-
calem fundatur neceſſariò ſuper diuerſam naturam à genere, non autem logicè: Hinc
dantur diuerſæ diffinitiones de differentia. &c.
Diffinitio,vt docet S.Thom.ſuper 8.Metaph. lect.2. dicitur eſſe triplex.ſ.cum materia
tantum, ſicut quando diffinitur domus per cementum, & lapides, & ligna, quæ ſunt eius
materia: quædam eſt cum forma tantum, vt quando dicitur, quòd domus eſt coopertura
pecuoiarum & corporum: quædam eſt cum forma & materia ſimul, vt quando diffinitur
per vtrumque: & propterea dicitur, quòd vnius rei eſt vna diffinitio perfectiſſima.ſ.per
omnes cauſas, ſed ſunt plures per diuerſas cauſas, vel proprietates. Et ſolet eſſe duplex;
Definitio quid nominis, & quid rei. quid rei, & quid nominis, vt quando diffiniuntur formæ, & accidentia, per aliquid quod
eſt extra eſſentiam ipſorum, & hæc vocatur diffinitio per additamentum: ſed aliquando
ponitur ſubiectum informe,vt in illa diffinitione, Motus eſt actus exiſtentis in potentia;
aliquãdo ponitur ſubiectum formatum,vt in diffinitione luminis, Lumen eſt actus lucidi;
&,Anima eſt actus corporis phyſici,organici,quia anima facit ipſum corpus organicum;
ſicut lumen facit aliquid eſſe lucidum. Negationes,& priuationes,habent modum diffini-
tionis incompletiſſimum,quaſi expoſitionem ſignificationis nominis.Relatiua diffiniuo-
tur ad aliud. Diffinitio quoque dicitur terminus, quia rem totaliter includit, nihil rei eſt
extra,cui non conueniat,nec aliquid eſt intra, cui conuenit. & includit principia ſpeciei,
non indiuidui; & quando eſt logica, dicitur formalis, quia Logicus conſiderat genus ſe-
cundùm ſuum formale; quando eſt phyſica, dicitur materialis, quia in eius diffinitione
ſemper apparet materia: hinc dicitur, quòd diffinitio eſt oratio indicans quid ſit res per
eſſentialia, &c. Hæc omnia collecta ſunt ex diuerſis locis doctrinæ S.Thomæ.
Dimenſio eſt duplex, vt ait S.Thom.4.ſent.diſt.12.q.1.art.2.q.4. Interminata,quæ eſt
in genere quantitatis,vt eſt imperfectum;Terminata verò,vt eſt ens perfectum.Et quali-
bet dimenſio conuenit per ſe quantitati dimenſiuæ; ſi eſt longitudo,conuenit lineæ; ſi la-
titudo ſimul cum longitudine, ſuperficiei; ſi longitudo, latitudo,& profunditas, ipſi cor-
pori. & corrumpuntur tripliciter, per additionem, diuiſionem, & diminutionem. & im-
plent locum, dimenſiones verò ſeparatæ non implent, &c.
Diſpenſatio, vt ait S.Tho.1.2.q.97.ar.4.in corp. importat commenſurationem alicuius
communis ad ſingula: vnde etiam gubernator familiæ dicitur diſpenſator, inquantum
vnicuiq; de familia ſua cum pondere, & menſura diſtribuit,& operationes, & neceſſaria
vitæ. Dicitur etiam diſpenſatio iuris, relaxatio facta cum cognitione cauſæ ab eo qui
habet ius diſpenſandi; vnde diſpenſare propriè dicitur diuerſa penſare: hinc nunquam
diſpenſandum eſt in præiudicium boni communis, quia omnis diſpenſatio debet fieri à
Diſpenſatio in leges. Prælato ad honorem Chriſti,vel ad vtilitatem Eccleſiæ: propterea infidelis eſt,qui diſpē-
ſat, non habens intentionem ad bonum commune, imprudens autem non habens ratio-
nem diſpenſandi. & non poteſt fieri contra communia præcepta iuris naturalis, ſed tan-
tum contra ea quæ ſunt concluſiones eorum: & tunc debet in præceptis fieri diſpenſatio,
quando occurrit aliquis caſus,in quo ſi verbum legis obſeruaretur,contrarietetur inten-
tioni legiſlatoris: intentio autem legiſlatoris cuiuslibet ordinatur primo quidẽ & prin-
cipaliter ad bonum commune, ſecundo autem ad ordinem iuſtitiæ,& virtutis, ſecundùm
quem bonum commune conſeruatur, & ad ipſum peruenitur: ſi ergo præcepta dentur,
quæ contineant ipſam conſeruationem boni communis, vel ipſum ordinem iuſtitiæ &
virtutis,huiuſmodi præcepta continent intentionem legiſlatoris,& ideo indiſpenſabilia
ſunt; puta ſi poneretur hoc præceptum in aliqua communitate, quòd nullus deſtrueret
Rempublicam, nec proderet ciuitatem hoſtibus; ſiue quòd nullus faceret aliquod iniu-
ſtum, vel male, huiuſmodi præcepta eſſent indiſpenſabilia; ſed ſi aliqua alia præcepta
traderentur ordinata ad iſta præcepta, quibus determinantur aliqui ſpeciales modi, in
quibus præceptis diſpenſatio poſſet fieri, inquantum per omiſſionem huiuſmodi præcep-
torum in aliquibus caſibus non fieret præiudicium primis præceptis, quæ continent in-
tentionem legiſlatoris,&c. ar.8.q.100.a.2.
Diſpoſitio, ait S.Thom.1.2.q.49.ar.2.ad primum, quòd importat quendam ordinem:
vnde non dicitur aliquis diſponi per qualitatem, niſi in ordine ad aliquid; & ſi addatur
bene vel male, quod pertinet ad rationem habitus, oportet, quòd attendatur ordo ad
naturam,

naturam, quæ est finis, vnde scilicet figuram, vel calorem, vel frigus, non dicitur aliquis disponi bene vel male, nisi secundùm ordinem ad naturam rei, secundùm quod est conueniens vel non conueniens: vnde ipsę figuræ, & passibiles qualitates secundùm quod considerantur conuenientes, vel non conuenientes naturæ rei, pertinent ad habitus, vel dispositiones: nam figura prout conuenit naturæ rei, & color, pertinet ad pulchritudinem; calor autem & frigus secundùm quod conueniunt naturæ rei pertinent ad sanitatem; & hoc modo caliditas & frigiditas ponuntur à Philosopho in prima specie qualitatis, quæ dicitur habitus & dispositio. Quæ dispositio potest capi dupliciter, Primo generaliter pro omni qualitate qua disponitur subiectum ad operandum operationes sibi debitas, siue sint perfectæ, siue imperfectæ. Secundo particulariter pro omni qualitate, qua imperfectè disponitur subiectum ad operandum operationes sibi debitas, licet imperfectas: in primo sensu dispositio est genus ad dispositionem particulariter dictam, & ad habitum; & sic omnis habitus est dispositio, quia omnis habitus disponit subiectum ad operandum: in secundo sensu est species qualitatis, distincta contra habitum, sicut distinguitur perfectum contra imperfectum, & non prædicatur de habitu affirmatiuè, sed negatiuè. *Dispositio sumitur dupliciter.*

Disputatio, vt docet S.Thom. opusc. 39. cap. 1. est actus syllogisticus vnius ad alterum ad aliquod propositum ostendendum. Et quatuor sunt species eius, scilicet doctrinalis, dialectica, tentatiua, & sophistica. In Theologia datur disputatio magistralis, quæ procedit per rationes naturales receptas ab omnibus Hereticis, & Infidelibus, & disputatio per auctoritates receptas ab aduersarijs, vel non receptas; & hæc est solutiua rationum ipsorum: & si fit cum infidelibus ad confutandos eorum errores, vel etiam causa exercitij, semper est laudabilis, præsertim quando absunt rudes, ne detur eis scandalum; quia etiam in scholis disputatio de Sacramentis, vel de articulis Fidei quando fieret cum scandalo, vel cum praua intentione, esset peccatum; sicuti etiam disputare de peccatis, cum actu voluntatis appetendo ipsa, peccatum est; sed speculatiuè tantum disputare de ipsis, & nullo actu voluntatis mouendo ad ea, nullum peccatum est; veluti cogitans Dei bonitatem, & non mouetur actu charitatis circa eam, non actu diligit ipsam, quia speculatiuè tantum cogitat ipsam. propterea optimè dicebat Greg. Nazianzenus, disputationem esse coaceruatam sapientiam, atque doctrinam, & disciplinam, sæpius repetitam. Ob hoc dixit Arist. disputare de singulis non est inutile; & sapientissimus Salomon disputauit tria milia parabolarum, quinque milia carminum, & de iumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus, atque lignis, à Cedro, quæ est in Libano, vsque ad hysopum, quę egreditur de pariete; sic Archangelus Michael disputauit cum Diabolo de corpore Moysi; & Paulus disputauit cum Græcis de regno Dei; & Iob cum amicis Sophar, & Elipham, cupiens etiam cum Deo disputare, vt Ieremias Deo loquens aiebat, Si disputem tecum, veruntamen iusta loquar ad te, &c. *Disputationes quando scandalum nō datur, semper sunt laudabiles.*

Distinctio duplex est, ait S.Thomas p.p.q.47.art.1. & de ver. q.12.art.13. Formalis, idest specifica; & materialis.i. numeralis; Distinctio numeralis est propter specificam, quia specifica est nobilior. Aliqui dicunt distinctionē formalem esse, quando vnum nō est per se de intellectu alterius, & aliquid competit vni aliquo modo quod non competit alteri; sicuti essentia & relatio formaliter distinguuntur in diuinis, vnde distinctio formalis non dicit conditionem rei, sed propositionis, in qua termini significatiuè sumpti de seinuicem prædicantur, & tamen de altero eorum significatiuè sumpto aliquid affirmatur, quod non eo modo præcisè affirmatur de reliquo significatiuè sumpto; vt Pater, & essentia distinguuntur formaliter, quia aliquid attribuitur Patri, puta generare, quod non attribuitur essentię, ipsa enim neque generat, neque generatur, vt habetur de sum. Trin. & Fide Catholica, contra errores Abbatis Ioachim, & 1. parte, quæst. 39. art. 5.

Distinctio personarum diuinarum, vt scribit S.Thom. 1. par. q. 40. ar. 2. ad 3. est minima secundùm quantitatem, & est maxima secundùm dignitatem & causalitatem, quia quanto distinctio est prior, tanto propinquior est vnitati, ideo debet esse minima; hinc distinctio diuinarum personarum debet esse per id quod minimum distinguit, scilicet per relationem, ob hoc distinctio realis in personis diuinis stat cum identitate diuinę essentiæ, quia non est nisi per oppositas relationes originis, propterea Spiritus sanctus distinguitur à Filio, quia procedit ab eo; quia si non procederet ab eo non distingueretur, præsertim quia si ab vna persona Patris procederent duæ personæ .f. Filius, & Spiritus sanctus, oporteret esse aliquem ordinem eorum ad inuicem, nec potest aliquis ordo alius

assignari,

assignari, nisi ordo naturæ quo alius est ex alio, nō est igitur possibile dicere, quòd Filius, & Spiritus sanctus sic procedant à Patre, quòd neuter eorum procedat ab alio, nisi quis poneret in eo materialem distinctionem, quod est impossibile. Falsa ergo est opinio illa, quæ dicit Filium, & Spiritum sanctum distingui in hoc, quòd Filius est à Patre nascendo, & Spiritus sanctus non nascendo, sed procedendo, quia hæc verba non verificantur, nisi radicaliter, non autem de reali distinctione, quæ ponitur inter diuinas personas, &c.

Diuinatio, De hac ait S.Tho. 2.2. q.95. art.2. ad primum, quòd spectat ad curiositatem, quantum ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum; sed pertinet ad superstitionem quantum ad modum operationis. & spectat ad cultum Dęmonum, inquãtum aliquis vtitur quodam pacto tacito vel expresso cum Dęmonibus. & non dicitur diuinatio quando quis prænunciat ea quæ ex necessitate eueniunt, vel vt in pluribus, quæ humana ratione prænosci possunt: neque etiam si quis futura alia contingentia Deo reuelante cognoscat: tunc enim non ipse diuinat, idest quod diuinum est, facit, sed magis quod diuinum est suscipit. Ille ergo solum dicitur diuinare, quando sibi indebito modo vsurpat prænunciationem futurorum euentuum, quod spectat ad peccatum: vnde diuinatio semper est peccatum, vt scribit D. Hieronymus super Micheam. Diuinatio semper in malam partem accipitur, & multæ sunt species eius, quia aliquando fit per oculorum perstrictionem; & sic dicitur præstigium: quandoque per somnia; & sic dicitur diuinatio somniorum: aliquando per apparitionem mortuorum; & dicitur nigromantia: aliquando per homines viuos; & sic dicitur arreptitium: aliquando per figuras terrestres; & dicitur geomantia: aliquando per aquam; & dicitur hydromantia: aliquando per aerem; & vocatur aetromantia: aliquando per ignem; & appellatur pyromantia: aliquando per viscera animalium; & sic dicitur aurispicium: aliquando per voces auium; & sic dicitur augurium: aliquando ex lineamentis manuum; & dicitur chyromantia: aliquando per verba hominum absque intentione dicta; & vocatur omen: aliquando per quædam signa existentia in spatula alicuius animalis; & talis diuinatio vocatur spatulamantia: hæc omnia habes à Diuo Thoma in 2.2. q.95. per totam.

Prænuncians ea quæ necessariò eueniunt, non est diuinator.

Diuinationis species.

Diuinus, Hunc terminum exponit S.Thom. 2.2. quæst. 95. art.1. de mente Isidori in lib. Ethimolog. dicens: quòd diuinus nominatur, quasi Deo plenus. Sed aduerte, quòd diuinus aliquando dicitur ille, qui habet diuinam essentiam, in vnitate essentiali, & reali; & sic Pater, & Filius, & Spiritus sanctus dicuntur personæ diuinæ: Aliquando diuinum dicitur id, quod in quoddam attributo repræsentat ipsum Deum; sicuti Prælati repræsentantes Dei potentiam, vel Philosophi repræsentantes Dei sapientiam, propterea Plato dicitur Diuinus; vel viri probi repræsentantes Dei bonitatem. Diuini quoque dicuntur illi, qui per quandam abstractionem à sensibus, secluso speciali Dei influxu, prædicunt futura; diuinitate enim se plenos simulant, & astutia quadam fraudulentiæ hominibus futura prædicunt, vt scribitur 1. Regum, cap.28. de Phytonissa, cui apparuit non vere spiritus Samuelis, sed illusio quædam facta machinationibus Diaboli, & sic prædixit futurum euentum: vide 2.2. q.95. art.4. ad 2.

Sauli non verè spiritus Samuelis apparuit.

Diuisio, vt ait S.Thom. p.p. q.30. art.3. est duplex; vna materialis, quæ fit per diuisionem continui, & hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis: vnde talis numerus, non est nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est diuisio formalis, quæ fit per oppositas vel diuersas formas; & hanc diuisionem sequitur multitudo, quæ non est in aliquo genere, sed est de transcendentibus, secundùm quòd ens diuiditur per vnum & multa; & talem multitudinem solam contingit esse in rebus immaterialibus. In diuisione continui, non fit aliquid de nouo, sed quod erat multa in potentia, & vnum in actu, fit multa in actu. Diuisio secundùm rationem est duplex; generis in species, & speciei in genera: & semper pluralitas sequitur diuisionem.

Materialis, et formalis diuisio.

Docere, vt scribit S. Thomas 2.2. q.181. art.3. est actus vitæ actiuę, qua homo concipit veritatem, & dirigit eam exteriori actione ad alios. Est etiam actus vitæ contemplatiuę, quia concipiendo veritatem intelligibilem, delectatur in amore & consideratione illius. Est etiam actus charitatis & misericordiæ, & principaliter infundendo lumen, conuenit soli Deo, de quo sicut dicitur, Qui sanat omnes infirmitates tuas, ita etiam dicitur, Qui docet hominem scientiam. Instrumentaliter autem infundendo lumen, & dirigendo, conuenit Angelis, illuminando alios de reuelatis, exterius adminiculando, proponendo exēpla, vel applicando principia conclusioni. Conuenit homini, qui mouet discipulum per suam doctrinam ad hoc, vt ipse per virtutem sui intellectus formet intelligibiles conceptiones.

tiones, quarum signa ei proponit exterius, &c. 1. parte, quæst. 117. artic. 1.

Doctrina, vt notat S. Thom. 1. Post. lect. 1. est actio eius, qui aliquid cognoscere facit: disciplina est receptio cognitionis ab aliquo. & tam doctrina, quàm disciplina pertinet ad inquisitionem veritatis: & est duplex. s. rerum, vt de Fide, & moribus, & rebus naturalibus; & verborum, vt expositio scripturæ. & potest occultari tripliciter. s. ex intentione agentis, propter inuidiam vel turpitudinem rei; secundo, quia paucis ostenditur; tertio, ex modo, quia figuraliter traditur: prima est malorum hominum; secunda est Aristotelis; tertia fuit Christi Domini nostri. *Duplex doctrina, rerum, & verborum.*

Dolor, ait S. Thom. 1. 2. q. 3 o. art. 1. secundùm quòd est in appetitu sensitiuo proprijssimè dicitur passio animæ, sicut molestiæ corporales propriè passiones dicuntur. Et sicut ad delectationem duo requiruntur. s. coniunctio boni, & perceptio huiusmodi coniunctionis; ita ad dolorem duo requiruntur. s. coniunctio alicuius mali, & perceptio huiusmodi coniunctionis. Et est duplex, interior, & exterior; & primus simpliciter & per se, est potior secundo, quia apprehensio rationis, & imaginationis est altior, quàm apprehensio sensus tactus, &c.

Dolor Christi, vt scribit S. Thom. 3. p. q. 46. art. 6. fuit verus dolor, & sensibilis, causatus ex corporali nociuo, & ex apprehensione alicuius nocumenti. & fuit maximus, iuxta illud Trenorum 1. cap. Attendite, & videte si est similis sicut dolor meus, quia peruenit vsq; ad rationem superioris. Et doluit de omnibus peccatis simul. & magis dolebat de miserijs nostris, quàm de passione sua, cum hoc tamen stabat delectatio fruitionis, quæ non impediebatur à tanto dolore: vnde tota anima fruebatur diuinitate, & hoc secundùm essentiam, non autem secundùm potentias, & redundantiam, &c. *Dolor Christi vnde causatus fuit.*

Dominium, vt notat S. Thomas de mente Boetij, est potestas quædam qua seruus coercetur, de potentia Dei, q. 7. art. 10. ad 4. & fuit introductum ex iure humano: sic etiam & prælatio, distinctio fidelium & infidelium, est ex iure diuino. Ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione; ideo distinctio fidelium & infidelium secundùm se considerata, non tollit dominium, & prælationem infidelium, supra fideles. Et est ordinatum ad bonum subditorum: vnde nullum præiudicium vel detrimentum facit libertati; sed qui vi surripit dominium, non est verè dominus.

Dominus, ait S. Thom. vbi supra, tria in suo intellectu includit. s. potentiam coercendi subditos; & ordinem ad subditos, qui consequitur talem potestatem; & terminationem ordinis subditorum ad dominum: in vno enim relatiuo est intellectus alterius relatiui. Et sic significatio huius nominis Domini, saluatur in Deo, quantum ad primum, & tertium, non autem quantum ad secundum: vnde Ambrosius dicit, quòd hoc nomen Dominus, est nomen potestatis; & quia Deus est principium & finis omnium, ideo est realiter Dominus, cùm omnia ei realiter subijciantur. *Deus verè est Dominus independenter.*

Donum, De hoc S. Thom. p. p. q. 38. art. 1. ait, quòd tripliciter sumitur: Primo per identitatem, & sic conuenit diuinæ essentiæ, & sic donum non distinguitur à dante, sed ab eo cui datur, vt docet idem S. Tho. de mente Aug. in resp. ad primum illius articuli. Secundo, donum dicitur esse alicuius per originem, & sic Filius est donum Patris, & Spiritus sanctus est donum Patris, & Filij; & sic donum distinguitur à dante personaliter. Tertio, donum dicitur alicuius per subiectionem, & sic competit creaturis, & est datio irredibilis, quia non datur intentione retributionis, vnde importat gratuitam donationem: verùm quia ratio gratuitæ donationis est amor, ideo enim damus gratis aliquid alicui, quia volumus ei bonum, primum ergo quod damus ei est amor, quo volumus ei bonum, &c.

Dos, ait S. Thom. 4. sent. dist. 49. q. 4. art. 1. in corp. est perpetuus ornatus animæ & corporis, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine perseuerans; & differt realiter a beatitudine. & est triplex respectu animæ. s. visio, fruitio, comprehensio. Ipsius autem corporis est quatruplex. s. agilitas, subtilitas, claritas, & impassibilitas. & dotes animæ correspondent virtutibus Theologicis, scilicet Fidei, Spei, & Charitati: dotes autem corporis correspondent virtutibus Cardinalibus, &c. *Dotes animæ tres, corporis verò quatuor.*

Dubitatio, ait S. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. ad 2. est duplex, Infidelitatis, & admirationis, seu discussionis, quę fuit in Beata Virgine, vt docet Aug. in lib. veteris, & noui Testamenti, dicens, quòd Beata Virgo in morte Domini stupore quodam dubitauit, nam post ingentem miraculorum ostensionem animo fluctuabat, ex vna scilicet parte videns eum pati abiecta, & ex alia parte considerans eius mirifica, propterea fuit in ea dubitatio admirationis. Dicitur etiam dubitatio dupliciter; scilicet motus rationis supra vtramque partem

F tem

tem contradictionis, cum formidine determinandi alteram partem eius; & formido affectus ad aliquod terribile sustinendum, prima non fuit in Christo, sed secunda; & hoc non secundùm rationem, sed secundùm sensualitatem: in Deo tamen, & in Angelis nulla dubitatio esse potest, &c.

Dulia, vt scribit S. Thom. 2. 2. quæst. 103. ar. 3. in corpore, Græcè seruitus dicitur, vnde exhibet debitam seruitutem homini dominanti: propterea est alia virtus à latria, quæ exhibet debitam seruitutem diuino dominio. Et idem Aug. de ciuitate Dei, aiebat, Alia est seruitus, quæ debetur hominibus, secundùm quam præcipit Apostolus seruis, dominis suis subditos esse, quæ s. græcè dulia dicitur; alia verò latria, quæ dicitur seruitus pertinens ad colendum Deum Creatorem omnium, &c.

DE LITERA E.

HÆc litera est quinta in ordine nostri Alfabeti, & aliquando ponitur pro propositione ab; vt è Roma venimus Neapolim: aliquando significat priuationem, vt quãdo dicitur elinguis, exanguis, quæ dictiones significant sine lingua, & sine sanguine.

Ebrietas, De hac scribit S. Thom. 2. 2. q. 150. art. 1. quod dupliciter sumi potest; Vno modo vt significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato, ex quo fit vt non sit compos rationis; & secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum pœnalem, consequentem ex culpa; Alio modo ebrietas potest nominare actum, quo quis in hunc defectum incidit qui potest causare ebrietatẽ dupliciter, Vno modo ex nimia vini fortitudine, præter opinionem bibentis; & sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, præcipuè si non ex negligentia bibentis contingat; & sic creditur Noe inebriatus fuisse (vt legitur Genesis 9.) Alio modo ex inordinata concupiscẽtia, & vsu vini; & sic ebrietas ponitur esse peccatum, & continetur sub gula, sicut species sub genere: diuiditur enim gula in commessationem & ebrietatem, quæ prohibet Apostolus ad Romanos 13. Non in cõmessationibus & ebrietatibus: vnde per se loquendo de ebrietate, hoc modo est peccatum mortale, præsertim quando aliquis vult magis incurrere in ebrietatem, quàm abstinere à potu.

Noe quomodo inebriatus fuit.

Ebrius, vt ait S. Thomas 1. 2. q. 66. art. 4 ad quartum, meretur duplices maledictiones, propter duo peccata quę committit, scilicet ebrietatem, & aliud peccatum quod ex ebrietate sequitur, tamen ebrietas ratione ignorantiæ adiunctæ diminuit sequens peccatum, & fortè plus quàm sit grauitas ipsius ebrietatis: vnde Aristoteles in 2. Ethicorum ex lege cuiusdam Pythaci legislatoris, dicit istam sententiam, quòd ebrius meretur duplices maledictiones, vt statuit ille Pythacus, ebrios si percusserint, amplius puniendos, non ad veniam respiciens, quam ebrij debent magis habere, sed ad vtilitatem, quia pluries iniuriantur. Et nota, quòd differt ebrius, & ebriosus; nam ebrius dicitur ille, qui vino plenus est actu; ebriosus verò, qui consuetudine est assuetus vt incurrat ebrietatem, sed non actu est impeditus, & alienatus mente, sicut ebrius: propterea docet S. Thom. 4. sent. dist. 6. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3. quod ebriosus potest baptizari, sed non ebrius.

Ebrij, et ebriosi differentia.

Ecclesia, vt ait S. Thom. 3. p. q. 8. art. 2. est corpus mysticum, secũdùm similitudinem ad naturale corpus hominis, quod secundùm diuersa membra habet diuersos actus: vnde Christus est caput eius secundùm similitudinem humani capitis, quod in corpore est superius omnibus alijs membris, & perfectius, quia in eo vigent omnes sensus. Habet etiam virtutem motiuam, & gubernatiuam cæterorum membrorum. Et quia hoc nomen Ecclesia, significat congregationem, congregatio verò est duplex, militans, & triumphans; propterea Ecclesia dupliciter dicitur. s. corpus Christi mysticum tantum, & corpus cum Capite. s. Christo: Primo modo dicitur Sponsa, & ideo Christus non dicitur membrum Sponsæ, sed caput, licet dicatur membrum Ecclesiæ secundo modo, sed impropriè. Et est eadem numero nunc, & tempore Apostolorum, sicut eandem potestatem habet statuendi, & condendi legem, in pertinentibus ad cultum Dei, & ad subiectionem infidelium. Et est ædificata per totum mundum, cuius ministerium commissum est Petro, & successoribus eius, in ædificationem, & non in destructionem. Et dicitur magna, tripliciter, dilatatione, potestate, & dignitate. Et illuminatur sex luminibus; scilicet sacræ doctrinæ, spiritualis intelligentiæ, gratiarum, æternæ gloriæ nostræ, lætitiæ, & diuinæ gloriæ. & est vna omnium fidelium, noui, & veteris Testamenti, consistens ex hominibus, & Angelis, ex viatoribus,

Ecclesia corpus Christi mysticum, et corpus cũ capite.

Ecclesia ex hominibus, Angelis, & Beatis constituitur.

ribus, & Beatis. Synagoga non fuit vera sponsa & vxor Christi, sed concubina, propterea dicitur Ecclesia malignantium, iuxta illud, Odini Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo,&c.

Ecclypsis, De qua S.Thomas 3.par.q.44.art.2. in responsione ad secundum, dicit, esse interpositionem Lunæ inter nos & Solem;& quando apparuit in Passione Christi,fuit miraculosa multis modis. Primo, quia secundùm Astrologos naturalis Ecclypsis Solis per interpositionem Lunæ nunquam accidit, nisi tempore coniunctionis Solis, & Lunæ, quæ tunc non fuit.Secundo,quia cùm circa horam sextam Luna fuisset,simul cum Sole in medio Cœli in vesperis apparuit in suo loco.s.in Oriente, opposita Soli. Tertio, quia tunc Luna iam pertransierat Solem, & distabat quasi per medietatem circuli in oppositione existens. Quarto, quia tunc Luna miraculosè ab Oriente versus Occidentem rediens non pertransiuit Solem,vt esset eo occidentalior, sed postquam peruenit ad terminum Solis,reuersa est versus Orientem. Quinto,quia tribus horis tunc tenebræ remanserunt, cùm Ecclypsis Solis in momento pertranseat. *Ecclypsis quæ in Passione Christi apparuit, miraculosa erat propter multa.*

Electio, vt scribit S.Thomas 1.2.q.82.art.1. in responsionē ad tertium, non est de fine, sed de his, quæ sunt ad finem. & pertinet ad vnam potentiam.s.ad voluntatem, in ordine ad intellectum. Et est triplex, quædam spectans ad diuinam voluntatem, quæ est eius præoptio, qua præoptat vitam æternam aliquibus creaturis rationabilibus, & non alijs, dando eis finalem gratificationem, iuxta illud Apostoli ad Eph.1. Elegit nos Deus ante mundi constitutionem; & ista electio est tantum hominum, & differt à prædestinatione, in hoc, quòd prædestinatio est hominum, & eorum quæ eis conferuntur; & vt est in proposito Dei, dicitur æterna, vt verò in executione, est temporalis. Alia est electio nostra, quæ est de actibus humanis, vel de alia re, cum actu humano, & est de possibilibus, requirens primo intentionem debiti finis, per virtutes morales, & rectam præacceptionem eorum quæ sunt ad finem, per prudentiam. Tertia est electio prælationis, & est collatio alicuius dignitatis vel eminentiæ alicui creaturæ rationali; & in foro contentioso sufficit, ꝙ electio fiat alicuius boni, sed in foro conscientiæ requiritur, quòd electus sit optimus, vel simpliciter, vel ad regimen. Et melius est hominibus recusare prælationem ad quam aliquis eligitur, quàm ei consentire, vel eam acceptare (dummodo non imponatur ei necessitas à superiori) consentiens verò in electione intentione honoris, vel lucri, vel cuiuscunque rei temporalis, peccat, non autem si propter aliquid spirituale; vt scribit ipsemet S.Thom.quolib.5.q.11. *Melius est prælationē recusare, quàm acceptare.*

Elementum, De hoc dicit S.Thom.5.Metaph.in expositione quarti textus, quòd quatuor requirit; Primo,vt sit illud ex quo aliquid fiat in genere causæ materialis. Secundo, vt primo fiat aliquid ex illo: propter quod cuprum ex quo fit statua non est eius elementum.Tertio,vt sit inexistens,siue intrinsecum,per quod differt à priuatione.Quarto,quòd habeat aliquam speciem,quæ non diuidatur in diuersas species, per quod differt elementum à materia prima. Dicitur etiam elementum Grammaticè;vt sunt literę ex quibus cōponuntur dictiones; dicitur etiam Logicè,& sic termini sunt elementa propositionum,& propositiones syllogismorum; dicitur Physicè, vt prima corpora ex quibus componuntur mixta,vt videre poteris apud expositores supradicti contextus.

Elemosina est opus in quo datur aliquid indigenti, ex compassione, propter Deum, vt scribit S.Thomas 2.2.q.32.art.1. & est quasi oblatio facta Deo. Et omne obsequium impensum próximo propter Deum potest dici elemosina. & est actus misericordiæ principaliter,secundariò est actus charitatis, latria verò imperatiuè, est actus liberalitatis, inquantùm aufert impedimentum eius.s.superfluum amorem diuitiarum, est actus iustitiæ ratione tantùm suæ partis.s.liberalitatis: sed dare elemosinam de superfluo,vel in extrema necessitate,est de præcepto, in alijs verò est tantùm de consilio. Non est facienda de necessarijs sibi,& familiæ, & statui, nisi velit mutare statum. & quilibet potest facere elemosinam corporalem, vel spiritualem, vel saltem cum voluntate. Filijfamilias, & serui non possunt dare Elemosinas sine consensu dominorum, nisi de paruis, vel suis; sic etiam & vxor sine consensu viri,nisi habeat aliqua præter dotem,vel nisi lucretur: sic religiosus sine licentia sui Prælati,nisi de modicis, sub ratihabitione. & debent dari elemosinæ magis indigentibus, melioribus, propinquioribus, benefactoribus, & dantibus spiritualia, & si aliquando dantur clericis non indigentibus, dantur tamen ipsis vt ministris pauperum, & dispensatoribus earum. Et valent ad omnia peccata delenda, & ad omnia bona promerenda,& ad specialem Dei misericordiam promerēdam. Et spirituales elemosinæ *Elemosina à quibus conferenda est.*

F 2 sunt

sunt simpliciter meliores, quàm corporales. s. in ratione dati finis, & actus; licet respectu alicuius alterius sit econuerso. & debent fieri abundanter secundùm facultatem dantis. Sunt etiam meliores, quàm oratio, & ieiunium, & magis satisfactorię, vt ipsemet S.Tho. 4. sent. dist. 15. ait, & in pluribus alijs locis.

Embrio, vt scribit S.Thom. de potentia Dei, q. 3. art. 9. in responsione ad decimum, dicitur, antequam habeat animam rationalem, non est ens perfectum, sed in via ad perfectionem: vnde non est in genere, vel in specie, nisi per reductionem, sicut incompletum reducitur ad genus, vel ad speciem sui completi; quia in semine à principio quamuis nō sit anima, est tamen ibi virtus animæ, quæ quidē virtus fundatur in spiritu, qui in spermate continetur, & dicitur virtus animæ, quia est ab anima generantis.

Entis diuersa proprietates. Ens multipliciter dicitur, vt docet S.Thom. in disputatis de veritate, q. 21. ar. 4. in responsione ad quartum. Dicitur enim ens primo, quia in se subsistit, vt Sortes, & Plato. Secundo dicitur ens, quia est principium subsistendi, vt forma. Tertio dicitur ens, quia est dispositio subsistentis, vt qualitas. Quarto dicitur ens, quia est priuatio dispositionis subsistentis, vt cęcitas, & surditas. Dicitur etiam ens, quod significat essentiam rerum. & diuiditur in decem prædicamenta secundùm diuersos modos prædicandi. & dicitur analogicè de ipsis, puta de substantia, quantitate, & qualitate, &c. necnon de Deo & creaturis, & de actu & potentia. & prædicatur per se de substantia cuiuslibet rei, nihil addens ei, sed idem significans cum nomine, quod imponitur ab essentia.

Enunciatio, vt ait S.Thomas in expositione libri Perihermenias, lectione 13. diuiditur tripliciter. Primo secundùm vnitatem, vt aliqua dicatur enunciatio vna simpliciter, vel coniunctione vna. Secundo diuiditur secundùm qualitatem, vt aliqua dicatur affirmatiua, & aliqua negatiua. Tertio diuiditur secundùm quantitatem, vt aliqua dicatur vniuersalis, aliqua particularis, aliqua indefinita, & aliqua singularis. Quarto diuiditur secundùm tempus, vt aliqua sit de præsenti, aliqua de præterito, & aliqua de futuro. Et est instrumentum rationis, propterea dicitur, quòd enunciatio est illa, in qua verum vel falsum reperitur. Ex quo dicuntur excludi enunciationes illæ, in quibus non reperitur verum vel falsum, vt deprecatiua, imperatiua, interrogatiua, & vocatiua.

Episcopus, vt scribit S.Thom. 1. 2. q. 185. art. 1. ad primum, est nomen operis, & non honoris; vnde Episcopin, latinè est superintendere: hinc dicitur Episcopus ab epi, quod est super, & scopin, quod est intendere, quia vigilare tenetur super gregem suum: & propterea Apostolus dixit, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quia eo tempore quo hæc verba dixit Apostolus ille, qui præerat plebibus primo ducebatur ad tormenta martyrij: & sic appetere Episcopatum tunc temporis, erat appetere martyrium, quod est bonum opus. Et repræsentat Christum, pręsertim in hoc, quòd alios ministros instituit, & fundauit Ecclesiam. Sacerdos autem repræsentat etiam Christum in hoc, quòd per seipsum ministerium impleuit. & accipit potestatem indelebilem in sua ordinatione ipse Episcopus, sed non characterem. & est propriè Prælatus Ecclesię, & quasi sponsus eius, propterea accipit nouem ornamenta supra Sacerdotes, scilicet Caligas, Sandalia, Succinctorium, Tunicam, Dalmaticam, Mitriam, Chirotecas, Baculum, & Annulum, propter nouem prærogatiuas, quia habet Clericos ordinare, & eos deponere, Virgines benedicere, Basilicas dedicare, Synodos celebrare, Crisma conficere, vestes & vasa consecrare.

Episcopus nouē ornamenta in cōsecratione accipit.

Æqualitas, vt docet S.Thom. p. p. q. 42. art. 1. ad primum, est duplex, molis & virtutis: sicut quantitas est duplex, molis seu dimensiua, quæ reperitur in rebus corporalibus, & virtutis quæ attenditur secundùm perfectionem naturę alicuius, vel formæ. Et importat duo ipsa ęqualitas, distinctionem personarum, quia nihil sibi ipsi dicitur æquale; & vnitatem essentiæ, quia ex hoc personę sunt sibi inuicem æquales, quia sunt vnius magnitudinis, & essentiæ: vnde æquale dicitur quasi per negationem minoris & maioris. Datur etiam ęqualitas quantitatis, & proportionis, & ęquiparātiæ. & in creaturis ęqualitas, similitudo, & identitas differunt realiter; in diuinis secundùm rationem tantum. Et quando Angelus & homo appetierunt ęqualitatem Dei, non appetierunt æqualitatem secundùm æquiparantiam naturæ, sed secundùm similitudinem imitationis, vt docet ipsemet S.Thom. p. p. q. 61. art. 4. ad tertium.

Esse, vt dicit S.Thomas 1. sent. dist. 33. q. 1. art. 1. ad primum, dicitur aliquando ipsa quidditas, vel natura rei; sicut dicitur, quòd diffinitio est oratio significans quid est esse, diffinitio enim quidditatem rei significat. Alio modo dicitur esse, ipse actus essentiæ, sicut

ficut viuere quod eft effe viuentibus, eft actus animæ, non actus fecundus, qui eft operatio,fed actus primus. Aliquando effe dicitur, quod fignificat veritatem compofitionis in propofitionibus, fecundùm quod,eft, dicitur copula ; & fecundùm hoc eft in intellectu componente & diuidente, quantum ad fui complementum,fed fundatur in effe rei, quod eft actus effentiæ : & illud effe, quòd vnaquæque res habet in fui natura, eft effe fubftantiale,& prædicatum fubftantiale; fed effe quod fignificat veritatem propofitionis,prædicatur per accidens. Et res quælibet habet triplex effe, in fuppofitis, in caufis, & in intellectu. Et folus Deus dat effe independenter, aliæ caufæ determinant illud,folus enim Deus caufat effe per creationem, nullo agente mediante, licet forma fit medium in hoc quod eft principium effendi, & complementum fubftantiæ: tripliciter enim terminatur, fecundùm durationem totius,vel partium, vel quia recipitur in alio; primum conuenit corruptibilibus,fecundum fucceffiuis,tertium omnibus creaturis, cùm fit vltimus actus participabilis ab omnibus nihil participans, &c. *Effe indepen-dēt à folo Deo eft, ab alijs terminatur.*

Effentia, vt fcribit S.Thomas in 1.cap.de ente & effentia, idem eft quod quidditas,& quod quid erat effe,hoc eft,illud per quod aliquid habet effe quid. Dicitur etiam forma, fecundùm quod per formam fignificatur perfectio, vel certitudo vniufcuiufque rei. Significatur etiam nomine naturæ,quæ natura dicitur fpecifica differentia, & in abftracto non eft neque genus, neque fpecies, fed fignificatur vt pars, in concreto verò fignificatur vt totum: quando verò additur,diuina, tunc fignificat naturam fimpliciffimam, infinitam,fummè perfectam,fummè bonam, exiftentem in tribus perfonis, identificantē fibi omnia,vt quoddam pelagus infinitæ fubftantiæ, de qua dicitur,quòd neque generat, neque generatur, &c. & eft caufa eorum quæ funt extra in genere caufæ finalis, quandoquidem caufalitas prima & perfectiffima, eft attribuenda primæ & perfectiffimæ perfectioni,fed caufalitas finalis eft perfectiffima:effentia autem diuina eft perfectiffima perfectio,ergo &c. Adde etiam,quia nulla habet rationem fummi boni,nifi effentia diuina, fed ratio finis eft ratio fummi boni,ergo ratio finis competit diuinæ effentiæ præfertim cùm fit fummè appetibilis ab omnibus,& fit obiectum beatificum quietans Beatos,vt ait ipfemet S.Thomas p.p.q.12.art.2. *Effētia idem eft quod quidditas,forma, & natura.*

Effentiale,vt ait S.Tho.in difputatis de veritate, q.10.art.2. in refponfione ad 4.arg. dicitur aliquando,quod nunquam effentiam relinquit,ficuti & Auer.etiam dixit 1.Poft. cap.de per fe,quod effentiale & per fe idem funt. Per fe autem dicitur duobus modis ad præfens, In primo modo dicendi per fe, quod eft pars effentię, vt animal vel rationale, vel tota ipfa definitio; Alio modo dicitur per fe in fecundo modo dicendi, vt propria paffio, quę nunquam relinquit effentiam; & tale dicitur etiā effentiale, fed communiter, quia propriè effentiale eft illud,quod diftinguitur contra accidentale. Effentialia in diuinis funt illa quæ de qualibet perfona dicuntur figillatim, & de tribus coniunctim in fingulari, non tamen in plurali; vnde Pater eft ens, Filius eft ens, Spiritus fanctus eft ens, non tamen tria entia, fed vnum ens: ita Deus, fapiens, fpiritus, iuftus, bonus, & fimilia. Effentialia abfoluta dicentia perfectionem ad intra, funt priora ipfis notionalibus,feu proprietatibus relatiuis dicentibus refpectum ad intra, vt generare & generari,fpirare & fpirari: fed hęc notionalia pręcedunt effentialia ad extra,cuiufmodi funt creare, conferuare, gubernare, & fimilia, vt ait S.Thom.1.par.q.33.art.3. vbi difputat fi Pater perfonaliter fit prior effentialiter,&c. *Quæ funt effentialia in diuinis.*

Ætas fignificat diftinctiones temporum; hinc omnes res illæ,quę tempore menfurantur,quibufdam ętatibus diftinguuntur,& variantur. Ætas ergo alicuius rei fignificat fuā totalem durationem, vel certam aliquam diftinctionem fuæ durationis: vnde S.Thom. fuper Pfalm. 36. diftinguit fex ętates Mundi, ad fimilitudinem fex ætatum hominis. Prima, quę fuit infantia Mundi, durauit ab Adam vfque ad Noe; Secunda, quæ eft pueritia à Noe vfque ad Abraam, in qua fuit deftructio humani generis per diluuium. Tertia adolefcentia, ab Abraam vfque ad Dauid, in qua fuit inftitutio legis,& Circuncifionis; Quarta iuuentus,à Dauid vfque ad tranfmigrationem Babilonis,in qua lex floruit fub Regibus, & Prophetis; Quinta fenectus, à tranfmigratione Babilonis vfque ad Chriftum,in qua fuit populi captiuatio & liberatio; Sexta eft fenilis,à Chrifto vfque ad finem Mundi;& iftę ętates affignantur Mundo quo ad ftatum,quia fic tranfibit,antiquatur,& fenefcit; non autem fecundùm fubftantiam, quia fic durabit in perpetuum,&c.

Æternitas,vt ait S.Thom.de mente Boetij p.p.q.10.ar.1. eft interminabilis vitæ tota fimul & perfecta poffeffio: quæ quidē æternitas conuenit ipfi Deo, quia ratio ęternitatis confe- *Diffinitio æternitatis.*

consequitur immutabilitatem, sicut ratio temporis consequitur motum: vnde cùm Deus sit maximè immutabilis, sibi maximè competit esse æternum; & non solum est æternus, sed est sua æternitas, cùm tamen nulla alia res sit sua duratio, quia non est suum esse: Deus autem est suum esse vniforme vnde sicut est sua essentia, ita est sua æternitas: & hoc est, quod dicit Athanasius, Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus, non tamen tres æterni, sed vnus æternus, &c.

Æterni multimoda acceptio. Æternum dicitur quasi extra terminum, vel terminos: & capitur multis modis, vt docet S.Thom.p.p.q.10.ar.3. Primo capitur essentialiter; & tale non habet nec principium, nec finem: & sic solus Deus est æternus, iuxta illud, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. Secundo dicitur æternum participatiuè, & sic Beati, qui vident Deum, dicuntur habere vitam æternam, secundùm illud Ioannis, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, &c. Tertio pro eo quod non habet finem in humana affectione, iuxta illud 3.Reg.1. Viuat Rex in æternum. Quarto pro eo quod non habet finem in significato; vt Circuncisio data Abrahæ dicitur in fœdus sempiternum; & Sacerdotium Aaron dicitur æternum, quia significat Sacerdotium Christi æternum. Quinto capitur æternum pro incorruptibili, iuxta illud, Terra in æternum stat. Sexto significat diuturnitatem, vt habetur Deut.33. De pomis collium æternorum. Septimo significat interminabilitatem, & sic ignis inferni dicitur æternus. Octauo significat quendam modum veritatis, & sic vera, & necessaria sunt æterna, quia sũt in intellectu æterno, qui est intellectus diuinus solus, &c.

Ethimologia, vt ait S.Thom.2.2.q.92.art.1.ad 2. attenditur secundùm id à quo imponitur nomen ad significandum; significatio verò nominis secundùm id, ad quod significandum nomen imponitur: quæ quandoque diuersa sunt, nomen enim lapidis imponitur à læsione pedis, non tamen hoc significat; alioquin ferrũ cùm pedem lædat, lapis esset, &c.

Eua non dicitur filia Adæ, quia non processit ab eo, modo naturæ, per naturalem generationem, sed sola virtute diuina, vt scribit S.Thomas p.p.q.92.art.2.ad 3. & fuit conueniens eam formari ex viro, vt secũdùm similitudinem Dei, esset & ipse principium totius speciei humanæ, sicut Deus est principiũ totius Vniuersi; & vt vir magis diligeret ipsam dum agnosceret ex se esse productam; & quia per hoc figurabatur Ecclesia, quæ à Christo sumpsit principium, vt ait Apostolus ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia, &c.

Euangelium, vt scribit S.Thom. in Epistolam ad Gal.cap.1. dicitur bona annunciatio, inquantum annunciat quædam bona; & quia lex vetus annunciabat bona temporalia & carnalia, secundùm illud Esaiæ 1. Si volueritis, & audieritis me, &c. dicitur Euangelium, sed non perfectum simpliciter, quia non annunciat perfecta & maxima bona, sed parua & minima; sed lex noua est perfectè & simpliciter Euangelium, idest bona annunciatio, quia annunciat maxima bona, scilicet cœlestia, spiritualia, & æterna; vnde Euangelium nominatur quicquid de Christo dicitur, siue in nouo, siue in veteri Testamento, etiam in Concilijs, & traditionibus, quia Christum descendisse ad inferos non scribitur ab Euangelistis, tamen tenendum est sicut articulus Fidei, quia ponitur in Symbolo Apostolorum, & multa alia de Sacramentis Ecclesiæ non sunt scripta, tamen Ecclesia tenet illa esse tradita certitudinaliter ab Apostolis. De his omnibus dicitur Euangelium, quod prædicatum fuit in toto orbe, tempore Apostolorum, quantum ad diuulgationem notitiæ Christi, licet non fuerit prædicatum cum pleno effectu, ita vt in qualibet gente fuerit fundata Ecclesia, vt latius habet S.Thom.p.2.q.196.ar.4.ad 4.

Euangelium est bona annunciatio.

Euidentia est certitudo rei, vt docet S.Thom.2.2.q.1.ar.4. loquens de assensu qui contingit tripliciter. s. propter euidentiam rei, sicut est habitus primorum principiorum, quę statim cognoscuntur, cognitis terminis ipsorum. Est alius assensus, qui dicitur scientificus, quod habetur in scientijs, & est assensus propter imperium volũtatis, qui dicitur credere; sed primus assensus est euidentia absoluta, quæ est assensus verus sine formidine, causatus naturaliter, quo impossibile est intellectum non assentire, vt quando assentit huic principio, Omne totum est maius sua parte: Alia est euidentia circumstantionata, per imperium voluntatis, qua assentimus veritatibus reuelatis ex lumine diuino, quod decipi nõ potest, aut errare, vti lumen naturale quod errare potest: hinc solet distingui etiam de euidentia obiectali, qua obiectum pauciora includit, & sic Metaphysica est euidentior Mathematica, & Mathematica est euidentior naturali Philosophia, vt scribitur in prologo primi Metaphys. & de euidentia inhęrentia assensus, qua intellectus voluntate imperante, assentit alicui propositioni, &c.

Metaphysica quomodo est euidẽtior Mathematica.

Aeuiternum

Æuiternum est illud, quod mensuratur per æuum, de quo ait S. Thom. quod est medium inter æternitatem & tempus, quia æternitas est mensura esse, quod est omnino immutabile, vt est esse diuinum, de quo dicitur, Immutabileque manens dans cuncta moueri. Æuum est mensura illius, quod non est subiectum transmutationi, tamen habet transmutationem adiunctam, vel in actu, vel in potentia, sicut patet in corporibus cœlestibus, quorum esse substantiale est intransmutabile, cùm hoc tamen habet adiunctam transmutabilitatem, secundùm locum; sic etiam de Angelis, quorum esse est intransmutabile cum transmutabilitate, secundùm electionem intelligentiarum, & affectionum, & locorum, suo modo. Tempus est mensura eorum quæ sunt subiectum transmutationis, vel in transmutatione consistunt, vt motus, & omnia generabilia, & corruptibilia, & hæc est vera differentia inter has tres mensuras, vt ait S. Th. p. p. q. 10. art. 5. & non illa, quæ communiter dicitur, quòd æternitas caret principio & fine; Aeuum habet principium, sed non finem, tempus autem habet principium & finem; Vel illa alia, quòd æternitas non habet prius & posterius; tempus habet prius & posterius cum innouatione, & veteratione; æuum habet prius & posterius sine innouatione & veteratione, &c.

Aeternitatis æui, & temporis differentia.

Eucharistia, vt docet S. Thom. 3. p. q. 63. art. 4. dicitur bona gratia, quia realiter continet Christum, qui est plenus gratia; dicitur sacrificium, inquantum est cõmemoratiuum Dominicæ Passionis; dicitur communio vel synaxis, quia communicamus & vnimur per ipsam; dicitur Hostia & Viaticum, quia datur viatoribus, vt perueniant ad patriam; dicitur Panis vitæ, Panis Angelorum; dicitur Sacramentum corporis & sanguinis Christi; dicitur cœleste edulium, antidotum vitæ spiritualis, mirabilium memoriale, ara animę, dotalitium sponsæ, consecratio, alijs etiam diuersis nominibus secundùm diuersos respectus. Et septem solent considerari de hoc Sacramento. Primo de ipso secundùm se. Secundo de vnitate, & pluralitate, & de materia. Tertio de forma. Quarto de effectibus. Quinto de recipientibus. Sexto de ministro. Septimo de ritu: de quibus omnibus lege D. Thom. vbi supra.

Excommunicatio, vt ait S. Thomas 4. sent. dist. 18. q. 2. ar. 1. est separatio à communione Ecclesiæ, quo ad fructum & suffragia generalia: per fructum intelligitur consortium temporale, & communio fidelium: per generalia suffragia perceptio Sacramentorum. Dicitur etiam quod est censura Ecclesiastica à canone, vel à iudice prolata, priuans à communione hominum, & Sacramentorum; & ista diffinitio competit excommunicationi maiori, quæ priuat fideles à quocũq; legitimo actu etiam politico, qui insinuatur in hoc versu,

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

& hæc excommunicatio dicitur anathema. Excommunicatio minor excludit fideles precisè à participatione & communione passiua Sacramentorum, & à participatione eorum quæ sunt via ad Sacramenta percipienda, quia sic excommunicatus non est eligibilis, nec habilis ad quodcunque Ecclesiasticum beneficium, sed non à Sacramentis conferendis & cętu fidelium.

Excommunicatio est separatio à communione fidelium.

Exorcismus, vt scribit S. Thomas 3. par. q. 71. art. 2. est ordinatus contra potestates dæmonum, & dicitur adiuratio contra diabolum: vnde per ea quæ aguntur in exorcismo duplex impedimentum percipiendę gratiæ salutaris excluditur, alterum extrinsecum prout dæmones hominis salutem impedire conantur, & hoc impedimentum excluditur per exsufflationes quibus potestas dæmonis pellitur; aliud impedimentum est intrinsecũ, prout scilicet homo ex infectione originalis peccati habet sensus præclusos ad percipienda salutis mysteria. Vnde solet distingui de triplici exorcismo; Vnus Salomonis, qui fit per aliqua verba sacra, & per certos characteres, quibus fugantur dęmones; alius est exorcismus benedictionis, & est quando coniuratur aliqua creatura vt ordinetur ad aliquem actum benedictum, & isto modo exorcizatur aqua benedicta; tertius est exorcismus solennitatis, qui est coniuratio diaboli ne noceat baptizando à susceptione Sacramenti, ne etiam habeat tantam potestatem super exorcizatum, quantam haberet si non esset exorcizatus, hoc enim modo exorcizantur pueri, & adulti baptizandi, per coniurationes dęmonũ, &c.

Exorcismus triplex, Salomonis, benedictionis, & solennitatis.

Experientia, vt scribit S. Th. p. p. q. 54. art. 5. est in nobis, dum singularia per sensum cognoscimus; & quia Angeli etiam singularia agnoscunt, ideo tribuitur eis per similitudinem cognitorum, & non per similitudinem virtutis cognoscitiuę; hinc experimentum propriè est ipsius hominis, cùm sit collectio plurium specierum singularium eiusdem rei, reseruatarum in memoria. & aliqualiter participatur à brutis, cùm semper sit cognitio singularium, ars verò vniuersalium, S. Thom. in prologo primi Metaph.

Exemplar

Exemplar propriè si accipiatur, importat causalitatem respectu exemplatorum, quia exemplar est ad cuius imitationem fit aliud; si autem largè dicatur, omne illud quod aliquo modo ab alio repræsentatur. sic etiam essentiæ Angelorum possunt dici exemplaria materialium rerum; sed essentia diuina sicut est propriũ exemplar vniuscuiusque rei per rationem idealem eius quam apud se habet, ita essentia Angeli est propria similitudo rei materialis secundùm formam quam habet apud se, vt notat S. Thomas de ver. q. 8. art. 5. Et est duplex, alterum interius, quod est ratio existens in mente artificis, secundùm quam artifex producit opera sua ad extra, vt domificator per exemplar domus ad intra, producit domum ad extra. Exterius verò est quædam forma exterior, secundùm quam artifices mechanici regulant suas operationes, &c.

Extasis, & raptus differunt. Extasis, vt dicit S. Thom. 2. 2. q. 175. ar. 2 ad primum, importat simpliciter excessum à seipso, secundùm quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur; sed raptus super hoc addit violentiam quandam. potest igitur extasis ad vim appetitiuam pertinere, puta cùm alicuius appetitus tendit ad ea quæ extra ipsum sunt; & sic diuinus amor facit extasim, inquantùm s. facit appetitum hominis tendere ad res amatas: & potest esse duplex secundùm duplicem vim mentis, vnam cognitiuam, quæ facit raptum in spiritu, vel excessum mentis, quia est triplex gradus, videlicet simplex excessus mentis, qui dicitur primum cœlum, extasis secundum, raptus tertium, ad quod raptus fuit Paulus. quando verò fit extasis secundùm vim affectiuam, dicitur raptus extra spiritum, &c.

DE LITTERA F.

Hanc litteram aliqui Auctores numerant inter mutas; aliqui verò inter semiuocales, eò quod à vocali incipit, & in seipsam terminatur: hinc nonnulli loco huius litteræ f. vsi sunt b, dicendo bruges, pro eo quod alij dicere solent fruges, &c.

Fabula, vt scribit S. Thom. in prologo primi Metaphys. constituitur ex quibusdam mirabilibus; & circa ipsam versantur Poetæ; Philosophi quoque dicuntur aliqualiter amatores fabularum. Et dicuntur fabulę à fando, quia quando aliqua fabula continet verum sensum, & repræsentat aliquid vtile & conueniens ei, operatur ad vtilitatem & ad delectationem hominum: aliqua verò non repræsentat veritatem aliquam, & ista est inanis: aliqua autem est inepta, vt fabula Talmuth: hinc Apost. scribens ad Timoth. 1. Epist. cap. 4. docet ipsum vitare ineptas, seu profanas fabulas, & exercere seipsum ad pietatem, &c.

Facere, de hoc S. Thom. p. p. q. 45. ar. 2. ad 2. scribit, quòd facere & fieri important habitudinem causæ ad effectum, & effectus ad causam: & 2. 2. q. 134. ar. 2. ait, quòd facere dupliciter potest accipi, Vno modo propriè, & sic dicitur operari aliquid in exteriori materia, sicut facere domum, vel aliquid huiusmodi; Communiter autem dicitur facere, pro quacunque actione, siue transeat in exteriorem materiam, sicut vrere & secare; siue maneat in ipso agente, sicut intelligere & velle. Facere etiam propriè spectat ad artifices, & est de materia exteriori: communiter verò dicitur quandoque in naturalibus, &c.

Fallacia duplex, in dictione, & extra dictionem. Fallacia, vt ait S. Thom. opusc. 39. c. 2. est locus sophisticus: & est duplex, in dictione, & extra dictionem; quando est in dictione causa apparentiæ, est ex parte vocis: & fit sex modis s. secundùm æquiuocationem, amphibologiam, accentum, compositionem, diuisionem, & figuram dictionis. In fallacia extra dictionem, causa apparentiæ est ex parte rei: & fit septem modis; prima secundùm accidens; secunda secundùm quid, & simpliciter; tertia secundùm ignorantiam elenchi; quarta secundùm petitionem principij; quinta secundùm consequens; sexta secundùm non causam vt causam; septima secundùm plures interrogationes vt vnam: de quibus omnibus vide vbi supra.

Fama dicit S. Thom. 2. 2. q. 73. ar. 1. ad 3. diminuitur dupliciter; Directè, vel indirectè: primo modo quadrupliciter, Primo, quando falsum imponit alteri; Secundo quando peccatum adauget suis verbis; Tertio, quando occultum reuelat; Quarto, quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem, vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, aut minuendo, &c.

Familiaritas, vt ait S. Thom. 2. 2. q. 25. ar. 6. ad 5. vitari debet ab imperfectis, ne habeatur ab eis cum peccatoribus; & hoc propter periculum quod eis imminet, ne ab illis subuertantur; perfectis autem de quorum corruptione non timetur, laudabile est vt cum peccato-

peccatoribus conuerfentur, vt eos conuertant, fic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat, vt dicitur Matth. 9. Familiaritas tamen, & conuictus peccatorum quantùm ad confortium peccati, vitandus est omnibus, & fic dicitur 2. ad Corinth. 6. Recedite de medio eorum, & immundum ne tetigeritis. f. fecundùm peccati confenfum. Abfolutè etiam familiaritas hominum parit contemptum propter imperfectionem eorum, fed familiaritas Dei parit reuerentiam, propter excellentiam eius, cùm familiaritas excedat amicitiam in multis, &c.

Falfitas, De hoc termino fcribens S.Tho. de ver. q. 1. ar. 10. ait, quòd confiftit in rerum inæqualitate, ficut veritas ipfa confiftit in adæquatione rei ad intellectum: illa enim dicuntur falfa, quæ nata funt videri aut qualia non funt, aut quę non funt; vt aurum falfum, in quo exterius apparet color auri, & alia huiufmodi accidentia, cùm tamen interius natura auri non fubfit. Et Beatus Auguft. lib. foliloquiorum dicebat, Verum eft id, quod eft: falfum eft id, quod non eft. Et folet effe quatruplex, Prima in vocis aut fermonis fignificatione, puta quando non eft adæquatio fermonis ad rem, ita quod res non habet vt fermo fignificat. Secunda falfitas eft fermonis ad mentem proferentis, quando mens proferentis diffentit fermoni, hoc eft afferit voce pro vero, quod credit falfum: Tertia falfitas eft in obligatione, vt cùm quis obligat fe ad cuius oppofitum obligatur, vt fi quis promittit fe facturum aliquid illicitum: Quarta falfitas eft indifcretionis, feu periculi, dum fcilicet loquitur feu promittit, in quo eft periculum falfitatis, propterea communiter dicitur, quòd falfitas eft difconuenientia rei & fermonis, vel mutabilitas in cunctis rebus à primo ente, & improprietas rerum exiftentium vel non exiftentium, difconuenientium. & diffimilitudo fignificatorum, eft & falfitas complexa, quæ eft circa compofitionem & diuifionem, &c. Quomodo autem fit in fenfu vel in intellectu, lege D. Th. p. p. q. 17. *Falfitas quadruplex inuenitur.*

Fantafia, ait S.Thom. p. p. q. 78. ar. 4. in corp. eft thefaurus formarum per fenfum acceptarum, componens & diuidens eas; & eft idem quod imaginatiua, & hæc eft determinata, habens organum determinatum, vt in animalibus perfectis. Eft & alia fantafia indeterminata, quæ reperitur in animalibus brutis, etiam imperfectis, vt in parte decifa animalis annulofi. Et quantùm ad nomen dicitur apparitio, quia phanos idem eft quod apparitio; quantùm ad rem docuit eam Arift. 2. de anima, quòd eft motus factus à fenfu fecundùm actum, & per motum intelligit potentiam in qua eft motus: hoc fit vt fimilitudo rei particularis exiftens in ipfa fantafia, vocetur fantafma, quod quidem fantafma illuftratur ab intellectu agente, & intellectus poffibilis abftrahit ab hoc fantafmate fpeciem intelligibilem, qua mediante intelligit naturam vniuerfalem, vt ait idem Sanctus Thomas 1. par. q. 85. art. 1.

Fatum, vt fcribit S. Thomas p. p. q. 116. ar. 1. in corp. eft difpofitio fyderum, in qua quifque natus, vel conceptus eft, & hoc propriè loquendo; quia impropriè dicitur diuina prouidentia, vel potius executio diuinæ prouidentiæ, corporibus cœleftibus infetta, per quā inferiora mouentur in fines fuos præordinatos. Et dicitur fatum à fando. & aliquando fignificat oraculum quod Dij fantur; aliquando pro morte, quia nihil homini tam neceffariò impendit, quàm mors, hinc fatalis dies perniciofus dicitur: & fatiferum, hoc eft mortiferum. & fecundùm hoc Sancti Doctores recufauerunt vti nomine fati, & etiam propter illos qui ad vim pofitionis fyderum hoc nomen retorquebant; hinc Aug. lib. 5. de ciuitate Dei, dicebat, Si propterea quifquam res humanas fato Dei tribuit, quia ipfam Dei voluntatem, vel poteftatem fati nomine appellat, fententiam teneat, & linguam corrigat: & Greg. in Homelia Epiphaniæ dicebat, Abfit à fidelium cordibus vt fatum effe aliquid dicant: quæ verba funt intelligenda fecundùm quod Poetæ, Aftrologi, & Philofophi loquebantur de fato, non autem vt dicunt facri Theologi, quod ratio gubernationis vt eft in mente Dei, dicitur diuina prouidentia, vt verò eft in caufis fecundis, dicitur fatum, &c. *Non femper Sancti Doctores vfi funt nomine Fati.*

Fœlicitas hominis eft in continuatione intellectus poffibilis, ad intelligentiam agentem, fiue talis continuatio fit in vita fecundùm quofdam, fiue poft hanc vitam fecundùm alios: vt fcribit S. Thom. 2. fent. dift. 18. q. 2. ar. 2. in fine corporis art. Terrena verò fęlicitas confiftit in quinque. f. voluptate, diuitijs, poteftate, dignitate, & fama. Secundùm Arift. vltima hominis fœlicitas non quidem fimpliciter, fed ad quam per fua naturalia poteft peruenire eft cognitio fubftantiarum feparatarum, non quidditatiua, fed quid non funt per fenfibilia: fecundùm autem veritatem, non eft in cognitione alicuius creaturæ, fed tantummodo ipfius Dei benedicti, &c.

Fœmina, vt ait S. Thomas p. p. q. 92. ar. 1. ad primum, per comparationem ad naturam

vniuersalem non est aliquid occasionatum, sed est de intentione naturæ ad opus generationis ordinata. intentio autem naturæ vniuersalis dependet ex Deo, qui est vniuersalis auctor naturæ; & ideo Instituendo naturam non solum marem, sed etiam fœminam produxit: per respectum autem ad naturam particularem, fœmina est aliquid deficiens, & occasionatum, quia virtus actiua quæ est in semine maris intendit producere sibi simile, perfectum, secundùm masculinum sexum; sed quod fœmina generetur, hoc est propter virtutis actiuæ debilitatem, vel propter aliquam materiæ indispositionem, vel etiam propter aliquam transmutationem ab extrinseco, puta à ventis Australibus, qui sunt humidi, vt dicitur in lib. de generat. animalium: & quandoque viuit in gemellis, sed mas rarissimè viuit, quia materia male terminatur. In veteri Testamento non offerebatur fœmina in holocaustis, quia est animal imperfectum, & est principium generationis passiuum, vt habetur 3.p.q.67.art.4.

Charitatē remitti, est minus intensos actus charitatis minus delectabiliter elicere.

Feruor charitatis est quædam promptitudo seu conatus voluntatis ad actum charitatis eliciendum, qui est præcisè per habitum charitatis acquisitum ex actibus frequẽtatis: vt ait S. Thom. 4. sent. dist. 16. q. 2 1. art. 1. vnde supponit pro actu charitatis, seu voluntatis connotando voluntatis promptitudinem & facilitatem, ex inclinatione habitus charitatis acquisitæ prouenientem: hinc charitatem remitti quo ad eius feruorem, nihil aliud est, quàm minus feruidos & intensos actus charitatis, & minus feruenter, & minus delectabiliter elicere; & sic diminutio huius feruoris potest per venialia fieri, ita & totalis corruptio, sic quod totus feruor per continuationem peccatorum venialium, & omissionem actuum secundùm charitatem eliciendorum: non tamen charitas tollitur, quæ manet integra, nisi adueniente mortali; sicut feruor seu calor qui est ex igne, per contraria sua, puta per frigora; aliquando diminuitur, aliquando corrumpitur, &c.

Fictio, ait S. Thom. 3. par. q. 69. art. 9. est ostendere dicto vel facto quod non est verum. & est speciale peccatum si hoc intendatur. & multis modis contingit; aliquando dicitur fictus, qui non credit his quæ sunt Fidei; aliquando qui indeuotus accedit ad suscipienda Sacramenta; aliquando, qui aliter celebrat quam Sancta Romana Ecclesia ordinauit; aliquando, qui suscipit Sacramenta contra prohibitionem Ecclesiæ, vel contra eius ritũ: hinc fictus ille dicitur, qui aliud prætendit foris, aliud intus habet, vt si quis vellet suscipere Sacramentum eo modo quo Ecclesia intendit dare, & tamen oppositum habet in animo; vel ostendendo se esse dispositum ad suscipiendum Baptismum, & tamen non est dispositus in anima sua, aut quia non habet rectam Fidem, aut quia habet peccatum mortale in actu, vel in proposito, vel habet complacentiam, vel nullam displicentiam habet de peccato, &c.

Definitio Fidei.

Fides, ait S. Th. 2. 2. q. 4. art. 1. vt est virtus Theologica, est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, vt ait Apost. ad Hebr. 11. ad quam diffinitionem reducuntur omnes aliæ explicationes quæ dantur de Fide, vt est illa Aug. Fides est virtus qua creduntur quæ non videntur: & illa Damasceni, Fides est non inquisitus consensus: & illa alia, Fides est certitudo animi quædam de absentibus supra opinionem, & infra scientiam: & illa quoq; quam tradit Dion. 7. cap. de diu. nom. q. Fides est manens credendum fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipsis veritatem ostendens; Fides enim quo ad nomenclaturam, dicitur quasi fidentissima & certissima. & vocatur aliquando symbolum Fidei, quod creditur, vel pro obiecto Fidei, vt ait Athanas. Hęc est Fides Catholica, &c. quandoque dicitur Sacramentum Fidei, sicut Baptismus, vt scripsit August. ad Bonifatium, Quid est aliud paruulos habere Fidem, nisi Fidei Sacramentum? quandoque sumitur pro habitu informi, vt habet Iacob. in Epist. sua Canonica cap. 2. Fides sine operibus mortua est: quandoque pro habitu formato per charitatem, vt scribitur 1. Rom. Iustus ex Fide viuit: quandoque pro actu credendi, vt habetur Rom. 10. Fides est ex auditu: sumitur quoque aliquando pro intentione faciendi, vt quando dicunt Theologi, quòd in adulto Fides propria requiritur ad suscipiendum Sacramentum Baptismi; in paruulis verò Fides aliena, puta parentum. & multis alijs modis sumitur, vt videre poteris apud Dominicum Bañes 22. ad principium.

Fiducia dicitur à fide, vt eius nomen ostendit, vt habet S. Th. 2. 2. q. 129. art. 6. in corp. ad fidem autem pertinet aliquid & alicui credere: pertinet autem fiducia ad spem, secundùm illud Iob 11. Habebis fiduciam proposita tibi spe: & ideo nomen fiduciæ principaliter significare videtur, quòd aliquis spem concipiat ex hoc, quod credit verbis alicuius auxilium promittentis. & dicit motum irascibilis inæstimatum non excedere facultatem.

& circa

& circa bona est spes, sed circa mala est audacia, & non est propriè virtus, sed conditio eius: ideo est pars integralis fortitudinis, & opponitur desperationi; timori autem secundùm contrarietatem obiectorum, &c.

Fieri, ait S.Tho.1.sent.dist.30.q.1.art.1.ad primum, dicitur dupliciter, secundùm rem & secundùm rationem tantùm: Secundùm rem aliquid dicitur fieri, vel sicut ex contrario, prout dicimus, quòd ex nigro fit album; vel ex negatione, vel priuatione, sicut ex non lucente lucens, & ex non figurato figuratum. & potest esse terminatio motus, & sic fieri & factum esse sunt simul, nec differunt nisi secundùm rationem: si autem erit ipse motus, tunc fieri & factum esse, differunt realiter, & fieri est prius tempore, quàm factum esse, in permanentibus, non autem in successiuis, & sic nullo modo competit Deo. Si autem capiatur fieri secundùm rationem tantùm, sic poterit Deo conuenire, iuxta illud Psalm.89. Domine refugium factus es nobis; sed ex hoc non sequitur, quòd sit mutatus, quia mutatio imponitur pro temotione eius à quo est motus, sed fieri per adeptionem eius ad quod terminatur motus: à Deo autem nullo modo aliquid remouetur, etsi adueniat habitudo aliqua secundùm rationem, vt fieret nobis refugium, &c. *Fieri dicitur dupliciter, secundùm rem, & secundùm rationem.*

Filiatio, vt memoriæ prodidit S.Th.3.par.q.32.art.3. est nomen consequens generationem viuentium, & præcipuè animalium; non enim dicimus, quòd ignis generatus sit filius ignis generantis (nisi forte secundùm metaphoram) sed hoc dicimus in animalibus, quorum generatio est magis perfecta. Nec tamen omne quod in animalibus generatur, filiationis accipit nomen, sed solum illud quod generatur in similitudinem generantis: hinc non dicimus, quòd capillus qui nascitur ex homine sit filius hominis, nec etiam dicimus, quòd homo qui nascitur ex semine, sit filius seminis, quia nec capillus habet similitudinem hominis, nec homo qui nascitur habet similitudinem seminis, sed hominis generantis. & si sit perfecta similitudo, erit perfecta filiatio, tam in diuinis, quàm in humanis; si autem sit similitudo imperfecta, erit filiatio imperfecta, sicut in homine est quædam similitudo Dei imperfecta, &c.

Filius quinque modis dicitur, respectu ipsius Dei, vt ostēdit S.Th.p.p.q.33.ar.3.in corp. nam aliquis dicitur filius Dei propter similitudinem vestigij tantùm, & sic Deus dicitur Pater illius, quo modo creaturæ irrationales dicuntur filij Dei, secundùm illud Iob 38. Quis est pluuiæ pater, aut quis genuit stillas roris? Aliquis dicitur secundo filius Dei propter similitudinem imaginis, & sic creaturæ rationales dicuntur filij Dei, iuxta illud Deuteron.32. Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? Tertio aliquis dicitur filius Dei secundùm similitudinem gratiæ, & hic dicitur filius adoptiuus, quia ordinatur ad hæreditatem æternæ gloriæ per munus gratiæ acceptum, secundùm illud Rom.8. Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filij Dei, si autem filij, & hæredes. Quarto aliquis dicitur filius Dei secundùm similitudinem gloriæ, prout iam possidet gloriæ hæreditatem, secundùm illud Rom.cap.5. Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. Quinto dicitur Filius Dei secundùm perfectam rationem natiuitatis, & sic secunda persona Trinitatis vocatur Filius Dei, vt ostendatur eius connaturalitas ad Patrem; vt autem ostendatur coæternitas, dicitur Splendor; vt ostendatur perfecta similitudo, dicitur Imago; vt ostendatur generatio immaterialis, dicitur Verbum, &c.

Finis, ait S.Tho.1.2.q.1.art.8. dupliciter dicitur. s. cuius, & quo. i. ipsa res in qua ratio boni inuenitur, & vsus siue adeptio illius rei; sicut si dicamus, quòd motus corporis grauis finis est, vel locus inferior vt res, vel hoc quod est esse in loco inferiori; vt vsus & finis auari est, vel pecunia vt res, vel possessio pecunię vt vsus. In vltimo fine hominis quantùm ad rem quæ est finis, omnia conueniunt, quia Deus est vltimus finis hominis, & omnium aliarum rerum; in vltimo verò fine hominis quantùm ad consequutionem finis, sic non omnia conueniunt, nam homo & aliæ creaturæ rationales, consequuntur vltimum finem cognoscendo, & amando Deum, quod non competit alijs creaturis, quæ adipiscuntur vltimum finem, inquantùm participant aliquam similitudinem Dei, secundùm quod sunt, vel viuunt, vel etiam cognoscunt, &c.

Fomes, vt docet S.Thom.1.2.q.91.ar.6.est inclinatio sensualitatis, & per se inclinat ad malum, per accidens ad bonum, cùm sit qualitas quædam ipsius carnis inordinata, inclinans appetitum sensitiuum ad actum difformem, & vitiosum, in habente iudicium rationis: quod sit inordinata, patet, quia non inclinat nisi post peccatum, non enim erat in primis parentibus ante peccatum: nec substantia, quia nec in Christo, in quibus tamen est quicquid est de substantia humanæ naturæ: quod sit qualitas patet etiã, quia est accidens, *Fomes per se inclinat ad malum, per accidens verò ad bonum.*

cùm non ſit ſubſtantia diſponens ſubiectum ad peius: quod ſit in carne, adhuc patet, quia alioquin non contraheretur à parentibus, quorum actio præſertim patris, qui eſt principalior, ceſſat ante infuſionem animę: & in diſp. de malo q.4.ar.6. ait S.Thom. quòd fomes eſt concupiſcentia habitualis, quæ prouenit ex hoc, quòd ratio non habet virtutem totaliter inferiores vires refrenandi.

Forma multipliciter ſumitur.

Forma, vt ſcripſit S.Th.1.ſent.diſt.8.q.5.art.2.ad 5. eſt aliqua ſimilitudo primi principij, qui eſt actus purus: vnde quanto forma magis accedit ad ſimilitudinem ipſius, plus participat de perfectionibus eius. Et poteſt eſſe multiplex: nam poteſt Primo capi pro ſignificato terminorum abſtractorum, ſicut per terminos abſtractos prædicatorum accidentium, & ſicut figura dicitur forma rei figuratæ, & paternitas forma patris. Secundo ſumitur, pro omni eo quod non eſt ſubiectum vel compoſitum; & ſic Deus & Angeli dicuntur formæ. Tertio ſumitur pro eo quod eſt cauſa, quæ dat eſſe rei, & eſt pars eius, & conſeruat ipſam in eſſe, & eſt terminus generationis, & per eam ipſa habet vnitatem; vt anima quæ eſt prima perfectio corporis, dicitur forma informans. Eſt alia forma, quæ dicitur reſultans, vt humanitas quæ eſt forma totius. Alia eſt forma exemplaris, vt Deus dicitur exemplar omnium rerum. Datur forma aſſiſtens, quæ eſt Intelligentia mouens orbem, hæc enim non eſt forma informans reſpectu orbis; nec ſubſtantialis, quia per ipſam Intelligentiam non conſtituitur orbis intrinſecè in eſſe corporis; nec eſt forma reſultans, vt natura aliqua conſtituta ex materia & forma, realiter diſtincta ab eis, vt totum realiter diſtinguitur à partibus ſuis; nec eſt forma qualificans, quia hæc eſt quarta ſpecies qualitatis, hæc enim dicitur quidam decor rei animatæ: nam forma aliqui dicuntur formoſi, ſpecioſi, & pulchri: vnde illud Porphyrij, Species Priami digna eſt imperio; nec eſt forma modificans, quia hæc eſt circunſtantia alicuius actus moralis, vt deuotio ad perſoluendum officium; nec eſt forma accidentalis abſoluta, vt albedo reſpectu parietis; nec forma accidentalis reſpectiua, vt paternitas reſpectu patris; nec eſt forma communiter ſumpta ad omnes formas, vt loquutus eſt Auctor in libro ſex princip. quòd forma eſt compoſitioni contingens, ſimplici & inuariabili eſſentia conſiſtens; vnde relinquitur quod ſit forma aſſiſtens, contra aliquos Auerroiſtas, volentes Intelligentias omnes eſſe formas inform antes: & decepti ſunt iſti, non conſiderantes nomen ipſius formæ, quandoquidem forma dicitur quaſi formatio, ideſt perfectio, quæ dat eſſe rei: vel forma dicitur quaſi foris manens, aut paradigma ſiue exemplar: quæ quidem nomina non poſſunt adaptari ipſis Intelligentijs, niſi (vt dictum eſt) quod ſint formæ aſſiſtentes orbibus, aut mouentes ipſos. Igitur perperam docuerunt illas eſſe formas informantes, &c. & quia à forma venit & deriuatur formalitas, vt ſupra docuimus, non eſt opus aliud de hac re exprimere, niſi quod à formalitate venit etiam formaliter, quod aliquando diſtinguitur contra per accidens; vt quando dicimus, homo formaliter eſt animal rationale, ideſt non per accidens; aliquando diſtinguitur contra materialiter, vt vnum formaliter, dicit negationem ſeu priuationem diuiſionis, ſed non materialiter; aliquando diſtinguitur contra virtualiter, vt ignis eſt formaliter calidus, & Sol virtualiter, &c.

Opinio Auerroiſtarũ reijcitur.

Formale, vt dicit S.Thomas 4.ſent.diſt.46.q.2.ar.2.q.3.in corp. in vnoquoque eſt excellentius in eo, quia per formam materia completur; in qualibet actione illud quod eſt ex parte agentis, eſt quaſi formale; illud autem quod eſt ex parte patientis, vel recipientis, eſt quaſi materiale: dat exemplum de miſericordia, quæ in omni opere diuino refulgat ex parte ipſius Dei, qui ſuperabundat in bono, ſed iuſtitia ex parte recipientis, quod recipit ſecundùm ſuam proportionem: & ideo in quolibet opere diuino ſupereminet miſericordia iuſtitię, ſicut formale ſupereminet materiali; & hoc eſt quod Pſal.144. dicitur, Miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Vel dicitur formale, ratio diffinitiua rei, vt animal rationale eſt formale ipſius hominis. Vel formale, eſt ratio quidditatiua cuiuſq; quidditatem habentis, ſiue ſit diffinibile, ſiue non, propter ipſa ſimplicia, quæ non propriè diffiniuntur. Et hinc oritur etiam, quòd formalitas eſt omnis ratio qua concipitur aliquid, vt formalitas ſubſtantiæ eſt non eſſe in ſubiecto; formalitas accidentis eſt eſſe in ſubiecto; formalitas ſimi eſt curuitas naſi, & ſic de ſingulis, &c.

Fornicatio, ait S.Thomas 4.ſent.diſt.41.q.1.art.4. q.1. dicitur à fornice, quia iuxta fornices ideſt arcus triumphales, & in alijs locis vbi homines conueniebant, congregabantur meretrices, & ibi polluebantur. Et importat deformitatem pertinentem ad genus luxuriæ, eſt enim ſoluti cum ſoluta. & ſpecialiter prohibetur ab Apoſtolis, quia Gentiles non reputabant eam eſſe peccatum, quod tamen eſt falſiſſimum, quia fornicatio eſt

contra

contra ius naturale, diuinum, & humanum, peccatum enim mortale est contra vitam hominis, sed fornicatio simplex vergit in nocumentum vitæ eius, qui est ex tali concubitu nasciturus, videmus enim in omnibus animalibus in quibus ad educationem prolis requiritur cura maris & fœminæ, quod in eis non est vagus concubitus, sed maris ad certam fœminam, vnam vel plures, sicut patet in omnibus auibus; secus autem in animalibus, in quibus fœmina sufficit ad educationem fœtus, in quibus est vagus concubitus, vt patet in canibus, & huiusmodi alijs animalibus: manifestum est autem quod ad educationem hominis non solum requiritur cura matris, à qua nutritur, sed multo magis cura patris, a quo est instruendus, & defendẽdus, & in bonis tam interioribus, quàm exterioribus promouendus; & ideo fornicatio cùm sit vagus concubitus (vtpote existẽs præter matrimonium) est contra bonum prolis educandæ, & ideo est peccatum mortale. Fornicatio quoque illa spiritualis, vtpote idolatria, & quælibet noxia superstitio, qua aliquis frangit fidem Deo, cui eam vt vero sponso obseruare deberet, est maximum peccatum mortale. Dicitur etiam fornicatio spiritualis, peccatum, quando anima adhæret bono commutabili, postposito incommutabili: & quia hęc adhæsio potest diuersimodè fieri, diuersimodè etiam dicitur peccatum, aliquãdo enim fit per potentiam rationalem, & sic est conquisitio sapientiæ terrenæ, animalis, & diabolicæ, spreta Dei sapientia; aliquando fit secundùm potentiam concupiscibilem, & est conquisitio prohibitæ delectationis in creatura, spreta Dei bonitate atque dulcedine; aliquando fit secundùm irascibilem, & sic est fiducia quædam in alio, quàm in Dei potentia, & sic omne peccatum dicitur communiter fornicatio spiritualis: propter quod Dominus loquens per Prophetas suos ad animam nostram, dicit, Tu fornicata es cum amatorijs multis, sed veni & reuertere, &c. *Fornicatio spiritualis quæ nam sit explicatur.*

Fortitudo est duplex, ait S.Thom.2.2.q.123.art.1. corporalis videlicet, & mentalis, Prima est pars virtutis; secunda verò est virtus, inquantum facit hominem secundùm rationem esse: verùm quia nomen fortitudinis dupliciter accipi potest, Vno modo secundùm quod absolutè importat quandam animi firmitatem, & secundùm hoc est generalis virtus, vel potius conditio cuiuslibet virtutis, quandoquidem ad virtutem requiritur firmiter & immobiliter operari; Alio modo potest accipi fortitudo, secundùm quod importat firmitatem animi, in sustinendis, & repellendis his, in quibus maximè difficile est firmitatem habere. s. in aliquibus periculis grauibus; hinc aliqui dixerunt, quòd fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio; & sic fortitudo ponitur specialis virtus, vtpote materiam determinatam habens, cùm ad virtutem fortitudinis pertineat remouere impedimentum quo retrahitur voluntas à sequela rationis: quod autem aliquis retrahatur ab aliquo difficili, pertinet ad rationem timoris, qui importat recessum quendam a malo, difficultatem habente; & ideo fortitudo principaliter est circa timores difficilium rerum, quæ retrahere possunt voluntatem a sequela rationis. Oportet autem huiusmodi rerum difficilium impulsum, non solum firmiter tolerare, cohibendo timorem, sed etiam moderatè aggredi, quando scilicet oportet ea exterminare, ad securitatem in posterum habendam, quod videtur pertinere ad rationem audaciæ; & ideo virtus fortitudinis est circa timores periculorum mortis. Fortitudo autem corporalis consistit in quinque. s. vigore complexionis, robore membrorum, abundantia cibi, constantia mentis, & experientia bellicę artis: vnde fortitudo & magnanimitas conueniunt in modo & forma, sed differunt in materia, &c. *Fortitudinis definitio.* *Fortitudo corporalis consistit in quinque.*

Fructus, vt scribit S.Th.1.2.q.70.art.1. est nomen translatum a corporalibus ad spiritualia: dicitur autem in corporalibus fructus, id quod ex planta producitur, cùm ad perfectionem peruenerit, quandam in se suauitatem habens. Et quia fructus ad duo comparari potest. s. ad arborem producentem ipsum, & ad hominem qui fructum ex arbore adipiscitur, secundùm hoc igitur nomen fructus in rebus spiritualibus dupliciter accipere possumus; Vno modo, vt dicatur fructus hominis, quasi arboris, id quod ab eo producitur; Alio modo vt dicatur fructus hominis id quod homo adipiscitur: non autem omne id quod adipiscitur homo habet rationem fructus, sed id quod est vltimum, delectationem habens: habet enim homo agrum, & arborem, qui fructus non dicuntur, sed solùm id quod est vltimum, quod scilicet ex agro & arbore homo intendit habere; & secundùm hoc fructus hominis dicitur vltimus finis hominis, quo debet frui; si autem dicatur fructus hominis id quod ex homine producitur, sic ipsi actus humani fructus dicuntur, operatio autem est actus secundus operantis, & delectationem habens, si sit conueniens operanti, *Finis ultimus hominis fructus appellatur.*

ranti; si igitur operatio hominis procedat ab homine, secundùm facultatem suæ rationis, sic dicitur esse fructus rationis; si autem procedat ab homine secundùm altiorem virtutē, quæ est virtus Spiritus sancti, sic dicitur operatio hominis esse fructus Spiritus sancti, quasi cuiusdam diuini seminis, vt scribitur 1. Ioan. 3. Omnis qui natus est ex Deo, peccatū non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. Sed videtur esse quædam contradictio de numero istorum fructuum, quandoquidem Apostolus Paulus ad Galat. cap. 5. numerat duodecim fructus Spiritus sancti, videlicet, Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas; Scribens autem ad Rom. cap. 6. videtur ponere tantùm vnum fructum vitæ præsentis, dicens, Habetis fructum vestrum in sanctificatione; quod Isa. 27. cap. prius annuit, quando dixit, Hic est omnis fructus vt auferatur peccatum. Nisi dicamus, quòd scribens ad Rom. loquutus est singulariter; & similiter Isai. de Spiritus sancti fructibus, propter virtutem generis, quod in multas species diuiditur, secundùm quas dicuntur multi fructus; & sanctificatio fit per omnes virtutes, per quas etiam peccata tolluntur. Et Saluator noster apud Matth. ponit triplicem fructum bonæ terræ, scilicet centesimum, sexagesimum, & trigesimum, &c.

Fructus Spiritus sancti duodecim ab Apostolo numerantur.

Fortuna, vt scribit S. Th. 3 contra Gent. cap. 30. est illa, cui non subiacet summum bonum hominis; nam fortuita eueniunt homini absque studio rationis: summum autem bonum homo non potest acquirere, nisi per studium rationis, propterea communiter dicitur, quòd Fortuna est causa per accidens, in his quæ fiunt à proposito, in minori parte, idest rarenter propter finem. Dicitur causa per accidens, ad differentiam causæ per se, intendentis effectum, necesse est enim quod effectus qui est à fortuna non sit intentus, quia si esset intentus, non diceretur à fortuna, nam causa per accidens est illa, quæ non intendit effectum, licet effectus proueniat. Dicitur etiam in his quæ fiunt à proposito, quia effectus non intentus, qui est ab agente, instinctu naturali, non dicitur esse à fortuna, sed à casu; hinc inuentio thesauri, quæ est à Socrate fodiente sepulchrum, dicitur esse à fortuna, quia Socrates à proposito fodit sepulchrum: eadem enim causa quæ est causa per se effectus intenti, est causa per accidens effectus non intenti, & respectu effectus non intenti est fortuna, verbi gratia, Sortes est causa per se fossionis sepulchri, & ipsemet Sortes est causa per accidens inuentionis thesauri, & respectu huiusmodi inuentionis, qui est effectus non intentus, Sortes dicitur fortuna; vnde fortuna est ipsamet causa per se, prout ei contingit aliquis effectus non intentus, & inopinatus, respectu cuius dicitur causa per accidens. Dicitur in minori parte, idest raro, quia si effectus frequenter contingeret, non posset dici à fortuna, quia esset intentus, saltem secundario; verbi gratia, quoties Sortes vadit per viam lutosam, calcei eius deturpantur, licet Sortes non intendat deturpare calceos, tamen illa deturpatio non potest dici esse à fortuna, quia hoc accidit frequenter, quando per lutosam viam incedit; ad hoc ergo vt effectus dicatur à fortuna, debet raro euenire, vt quod Sortes tendens ad Ecclesiam, inueniat ducatum in ea. Dicitur propter finem, quia ad hoc quod aliquod agens dicatur fortuna, est necesse quod intendat aliquem effectum propter aliquem finem, cui effectui intento propter finem coniungatur alius effectus non intentus, respectu cuius ipsum agens dicetur esse fortuna; verbi gratia, Sortes tendit in forum vt emat panes: ecce effectus intentus propter finem, quando est in foro reperit inimicum suum, à quo vulneratur, inuentio inimici est effectus non intentus, qui coniungitur effectui intento, s. tendere ad forum, vt emat panes, & respectu illius effectus non intenti Sortes dicitur fortuna. Ex hac declaratione patet falsam esse opinionem Paganorum, dicentium Fortunam esse quandam Deam, cui tamquam causæ per se attribuunt effectus, quos videmus fortuito euenire. Falsa etiam est opinio illorum, qui attribuebant bonam fortunam augurijs, & superstitionibus, vel constellationibus, siue industriæ propriæ, vel viribus. Falsa adhuc est opinio quorundam aliorum, dicentium Fortunam esse causam cœli, & stellarum, vt fuit Democritus; & opinio Poetarum, volentium omnia esse reposita in imperio Fortunæ, præsertim temporalia, vt scripsit Iuuenalis. Reprehenduntur etiam vulgares, asserentes Fortunam esse cœcam, Fortunam bonam, vel malam, & esse incertam & mutabilem, quia videmus aliquos homines abundare diuitijs, & postmodum eis indigere: hinc optimè dicitur, quòd melior est homini aduersa fortuna, quàm prospera, quia hæc inflat, illa humiliat, &c.

Definitio Fortunæ explicatur.

Opinio Paganorum Fortunam esse Deam, falsa est.

Fortuitum bonum vel malum potest contingere homini, per comparationem ad ipsum, & per comparationem ad cœlestia corpora, & per comparationem ad Angelos, non autem per comparationem ad Deum, vt ait S. Thomas 3. contra Gentes cap. 92. quia dicitur

alicui

alicui homini bene contingere secundùm fortunam, quando aliquod bonum accidit sibi præter intentionem, sicut cum aliquis fodiens in agro inuenit thesaurum, quem non quærebat; contingit autem aliquem operantem præter intentionem operari propriam, non tamen præter intentionem alicuius superioris, cui ipse subest; sicuti si Dominus aliquis præcipiat alicui seruo, quod vadat ad aliquem locum, quo ipse alium seruum iam miserat, illo ignorante, inuentio conserui est præter intentionem serui missi, non autem præter intentionem domini mittentis; & ideo licet per comparationem ad hunc seruum sit fortuitum & casuale, non autem per comparationem ad dominum, sed est aliquid ordinatum. Cùm igitur homo sit ordinatus secundùm corpus sub corporibus cœlestibus, secundùm intellectum verò sub Angelis, secundùm voluntatem sub Deo, potest contingere aliquid præter intentionem hominis, quod tamen est secundùm ordinem cœlestium corporum, vel dispositionem Angelorum, vel etiam Dei. Quamuis autem Deus solus directè ad electionem hominis operetur, tamen actio Angeli operatur aliquid ad electionem hominis, per modum persuadentis, actio verò corporis cœlestis per modum disponentis, inquantũ corporales cœlestium corporum impressiones, in corpora nostra disponunt, ad aliquas electiones: quando igitur aliquis ex impressione cœlestium corporum, & superiorum causarum, secundùm prædictum modum inclinatur ad aliquas electiones sibi vtiles, quarum tamen vtilitatem propria ratione non cognoscit, & cùm hoc ea lumine intellectualium substantiarum illuminatur intellectus eius ad eadem intelligenda, & ex diuina operatione inclinante, inclinatur eius voluntas ad aliquid eligendum sibi vtile, cuius rationẽ ignorat, dicitur esse bene fortunatus: & ea contrariò male fortunatus, quando ex superioribus causis ad contraria eius electio inclinatur; sicuti de quodam dicitur Ierem. 22. Scribe virum istum, sterilem virum, qui in diebus suis non prosperabitur. Sed in hoc est attendenda differentia, nam impressiones corporum cœlestium in corpora nostra, causant in nobis naturales corporum dispositiones; & ideo ea dispositione relicta ex corpore cœlesti in corpore nostro, dicitur aliquis non solum bene fortunatus, aut male, secundùm quem modum Philosophus ait in magnis moralibus, quòd bene fortunatum esse, est bene natum esse, nõ enim potest intelligi, quòd hoc ex natura intellectus diuersa procedat, quòd vnus vtilia sibi eligat, & alius nociua, præter rationem propriam, cùm natura intellectus vel voluntatis in omnibus hominibus sit vna, diuersitas enim formalis induceret diuersitatem secundùm speciem, diuersitas autem materialis inducit diuersitatem secundùm numerum: vnde secundùm quod intellectus hominis illustratur ad aliquid agendum, vel voluntas à Deo instigatur, non dicitur homo bene natus, sed magis custoditus, vel gubernatus, &c.

Homo secundũ corpus est ordinatus sub corporibus cœlestibus, secundùm intellectum sub Angelis, secũdùm voluntatem sub Deo.

Forum, vt scribit S. Tho 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 2. respondendo ad secundum arg. primæ quæstionis, est duplex. s. pœnitentiale, & iudiciale: & forum pœnitentiale, est dignius foro iudiciali, tamen in foro iudiciali requiritur maior solennitas, quia in eo oportet, quòd non solum Deo, sed homini satisfiat. & dicitur forum à ferendo, quia illuc causæ feruntur agitandæ. Est propriè forum iudiciale, locus quidam, in quo agitantur & discutiuntur lites à populo, coram iudicibus deputatis, vt Vicaria dicitur forum iudiciale in ciuitate Neapolitana. Dicitur & forum Ecclesiasticum habens claues potestatis, & scientiæ atque prudentiæ, quod vocatur forum animæ, in quo idem est accusator & reus; & in hoc remittuntur delicta & peccata. & hoc forum est secretissimum. Aliud est forum Ecclesiasticum publicum, in quo Ecclesia vtitur auctoritate corrigendi delicta publica, quia in foro animæ seu conscientiæ causa agitur inter Deum & hominem, sed in foro publico seu exterioris iudicij, causa agitur hominis ad hominem: & ideo absolutio vel ligatio quæ vnum hominem obligat quo ad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ, sed illa quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicij pertinet: & quia per excommunicationem homo à communione Fidelium separatur, ideo excommunicatio ad forum exterius pertinet, & illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali; & propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati, excommunicare possunt, sed presbyteri parochiales, nonnisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto, & rapina, & huiusmodi, in quibus est à iure concessum, quod excommunicare possunt. Et si quis diceret; Excommunicatio est actus clauium, & cùm quilibet Sacerdos habeat claues, sequitur etiam quod quilibet Sacerdos excommunicare possit. Dicas ad hoc, quòd excommunicatio non est actus clauium directè, sed magis respectu exterioris iudicij, verùm sententia excommunicationis quãuis

Non quilibet Sacerdos excõmunicationis sententiam ferre potest.

in exte-

in exteriori iudicio promulgetur, quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni, secundùm quod Ecclesia militans est via ad triumphantem, ideo etiam talis iurisdictio per quam homo excommunicare potest, clauis dici potest; & secundùm hoc distingui solet, quod est clauis ordinis, quam omnes sacerdotes habent, & clauis iurisdictionis in foro iudiciali, quam habent soli iudices exterioris fori, vtramq; tamen Deus Petro contulit, Matth. 16. & ab ipso in alios descendit, qui vtramq; habent. Et si quis adhuc instaret, quia maius est absoluere & ligare in foro pœnitentiæ, quàm in foro iudiciali, sed quilibet Sacerdos potest sibi subditos in foro pœnitentiali absoluere & ligare, ergo quilibet Sacerdos potest sibi subditos excommunicare. Sed dicendum ad hoc, quòd sacerdotes parochiales habent quidem iurisdictionem in subditos suos quantum ad forum conscientiæ, sed non quantùm ad forum iudiciale, quia non possunt coram eis conueniri in causis cōtentiosis, & ideo excommunicare non possunt; sed absoluere possunt in foro pœnitentiali, & quia ea in quibus imminet periculum sunt maioribus reseruanda, sed pœna excommunicationis est valde periculosa (nisi cum moderamine fiat) ergo non debet committi cuilibet Sacerdoti, &c.

Frater, vt ait S. Th. 3. p. q. 28. ar. 3. ad 5. arg. dicitur quatuor modis. s. natura, quando duo homines nati sunt ex eodem patre, & eadem matre, vt Esau & Iacob dicebantur fratres. Secundo fratres dicuntur nati ex eadem gente, vt omnes Iudæi dicuntur fratres. Tertio dicuntur fratres, qui sunt ex eadem cognatione, vt qui nascebantur ex tribu Beniamin. Quarto ex affectu, & sic Paulus Apostolus vocat Romanos & ceteros ad quos scribit fratres: hinc Sanctus Hieron. exponens illud Ioannis 2. cap. Post hæc ipse Christus descendit Capharnaum, & mater eius, & fratres eius, exponit per fratres non illos quos Ioseph habuisset de Beata Virgine, cùm ipsa fuerit semper Virgo, & ante partum, & in partu, & post partum, contra errorem Eluidij, qui dicere præsumpsit Matrem Christi post partum à Ioseph esse carnaliter cognitam, & alios filios genuisse, quod derogat Christi perfectioni, qui sicut secundùm diuinam naturam vnigenitus est Patris, tanquam perfectus per omnia Filius eius, ita decuit vt esset vnigenitus Matris, tamquam perfectissimum germen eius; vnde fratres Domini dicti sunt, non secundùm naturam, quasi ab eadem Matre nati, sed secundùm cognationem, quasi consanguinei eius existentes; & ipse Ioseph magis credendus est virgo permansisse, quia aliam vxorem habuisse non scribitur, & fornicatio in sanctum virum non cadit, &c.

Error Eluidij ponentis Mariā alios præter Christum habuisse filios, est, blasphemus.

Furiosus, docet S. Th. 3. p. q. 68. art. 12. in corp. quòd multipliciter dicitur; nam aliquis dicitur furiosus à natiuitate, nulla habens lucida internalla, in quo nullus etiam vsus rationis apparet, & de hoc quantùm ad Baptismi susceptionem videtur esse idem iudicium, & de pueris qui baptizantur in fide Ecclesiæ. Alius verò dicitur furiosus & amens, qui ex sana mente quam habuit prius, in amentiam incidit, & hic iudicandus est secundùm voluntatem quam habuit dum sanæ mentis extitit, & ideo si tunc apparuit in eo voluntas suscipiendi Baptismum, debet ei exhiberi in furia & amentia constituto, etiam si tunc actu contradicat; alioquin si nulla voluntas suscipiendi Baptismum in eo apparuit dum sanæ mentis esset, non est baptizandus. Quidam verò est, qui etsi à natiuitate fuerit furiosus vel amens, habet tamen aliqua lucida interualla, in quo recta ratione vti potest; vnde si tunc baptizari voluerit, baptizari potest etiam in amentia constitutus, & debet ei tunc Sacramentum cōferri, si periculum timeatur, alioquin melius est vt tempus expectetur, in quo sit sanæ mentis, ad hoc quod deuotius suscipiat Sacramentum: si autem tempore lucidi interualli non appareat in eo voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debet in amentia constitutus. Quidam verò est, qui etsi non omnino sanæ mentis existat, intantùm tamen ratione vtitur, quod possit de sua salute cogitare, & intelligere Sacramenti virtutem, & de hoc idem est iudicium, sicut de eo qui sanæ mentis existit, qui baptizatur volens, non autem inuitus, &c.

Amentes, & furiosi in quo casu baptizari possunt.

Frui, vt scribit S. Th. 1. 2. q. 11. per totam quæstionem, & specialiter ar. 3. & 4. importat operationem quandam voluntatis ad vltimum finem, secundùm quod voluntas habet aliquid pro vltimo fine: habetur autem vltimus finis dupliciter: Vno modo perfectè, & alio modo imperfectè: perfectè quidem, quando habetur non solum in intentione, sed etiam in re; imperfectè autem, quando habetur in intentione tantùm. Est igitur perfectum frui iam finis habiti realiter, imperfectum autem potest esse finis non habiti realiter, sed in intentione tantùm, & non est actus potentiæ peruenientis ad finem, sicut exequentis, sed potentiæ sicut imperantis exequutionem, hæc autem est potentia appetitiua: in rebus autem

cognitione

cognitione carentibus inuenitur quidem potentia pertingens ad finem. per modum exequētis, sicut graue tendit deorsum, & leue sursum, sed potentia ad quam pertinet finis per modum imperantis, non inuenitur in eis, sed in aliqua superiori natura, quæ sic mouet totam naturam per imperium, sicut in habentibus cognitionem, appetitus mouet alias potentias ad suos actus: vnde manifestum est, quòd in his quę cognitione carēt, quamuis pertingant ad finem, non tamen inuenitur fruitio finis, sed solum in his quæ cognitionem habent. Sed cognitio finis est duplex, perfecta, & imperfecta; perfecta quidem, qua non solum cognoscitur id quod est finis, & bonum, sed ratio vniuersalis finis, & boni; & talis cognitio est solius rationalis naturæ. Imperfecta autem cognitio est, qua cognoscitur particulariter finis & bonum, & talis cognitio est in brutis animalibus, quorum & virtutes appetitiuæ non sunt imperantes libere, sed secundùm naturalem instinctum ad ea quæ apprehendunt mouentur: vnde rationali naturæ conuenit frui secundùm perfectam rationem; brutis autem animalibus secundùm rationem imperfectam; alijs autem creaturis nullo modo: hinc S. Aug. 10. de Trin. dicebat, Fruimur cognitis in quibus voluntas delectata conquiescit, & hoc est propriè frui, quod est finaliter quiescere in amato; quia potest etiam accipi ipsum frui communiter pro omni actu potentiæ appetitiuæ delectabili, siue qui est cum delectatione, de quo dicitur Prouerb. cap. 6. Fruamur cupitis amplexibus; & tale frui est cum gaudio vti, quia dicit actum voluntatis cum gaudio, respectu illius rei de qua capimus voluptatem, & tale frui potest sumi in bono, & in malo, vnde fruimur cibo & potu: hinc August. dicebat lib. 83. q. Frui quidem cibo & potu, necnon qualibet corporali voluptate, non absurdè existimantur vt bestiæ: & Apost. ad Philemonem, Itaque frater ego te fruar in Domino; loquitur hic Apostolus de frui communiter, seu imperfecto modo sumpto, quia frui propriè est tantum Deo vt fine, in te. &c.

Fruitio, vt scribit S. Th. 1. sent. dist. 1. q. 1. art. 1. est actus voluntatis, quia actus determinatur ex obiecto, sed obiectum fruitionis est fruibile, quod est finis vltimus; finis autem habet rationem boni, & est obiectum voluntatis, igitur & fruitio erit actus ipsius voluntatis, quandoquidem visio diuinitatis cùm sit tota substantia nostræ beatitudinis, vt scribitur Ioannis 17. Hæc est vita æterna vt cognoscant, &c. ex visione autem ipsum visum cùm non videatur per similitudinem, sed per essentiam efficitur quodam modo intra videntem, & ista est comprehensio quæ succedit spei, consequens visionem, quæ succedit Fidei; sicut spes quodammodo generatur ex Fide; ex hoc autem quod ipsum visum receptū est intra videntem, vnit sibi ipsum videntem, vt fiat quasi quædam mutua penetratio per amorem, sic dicitur 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, &c. ad vnionem autem maximè cōuenientis sequitur delectatio summa, & in hoc perficitur nostra fęlicitas, quam fruitio nominat ex parte sui complementi, magis quàm ex parte principij, cùm in se includat quandam delectationem; & ideo dicimus, quòd est actus voluntatis, & secūdùm habitum charitatis, quamuis secundùm ordinem ad potentias & habitus præcedentes, ex quibus habetur, quòd fruitio formaliter est ipsa delectatio, est etiam amor connotatiuè, & causaliter, contra Scotum volentem 1. sent. dist. 1. q. 3. esse formaliter amorem amicitiæ, quia fruor construitur cum ablatiuo significante obiectum ex vi transitionis: ergo significat actum, puta amorem, & non passionem, puta delectationem: dicitur enim fruor Deo, sicut amo Deum, & non sicut delector de Deo. Sed facile soluitur hoc motiuum Scoti, quoniam constructio hæc transitiua non est nisi possessiua, grammaticè loquendo, construitur enim cum ablatiuo vel genitiuo, ex eo quod est deponens possessiuum, vnde ex hoc non habetur, quòd significat actum, sed stat quod significet passionem per modum possessionis, quia frui importando delectationem, denotat rem qua fruimur à nobis possideri, longe autem perspicuum magis erat à Grammaticis & Oratoribus persuaderi, quòd nos dicimus, nominibus enim vtendum est, constat autem frequentissimo Grammaticorum vsu, nonnisi ad delectationem spectare, vnde vt dicunt, quòd significat cum gaudio vti, non enim dicimus, fruor cantu, id est amo cantum, sed delectationem percipio de cantu; neque cùm dicitur, Veni fruamur cupitis amplexibus, Prouerb. cap. 1. inuitamur ad amandum, sed ad delectationem percipiendam. & Paulus cùm Philemoni dicit, Ego te fruar in Domino, non ego te amabo, sed ego de te delectabor in Domino sonat, connotatiuè frui significat amorem, non autem formaliter & propriè, quia sic delectationem sonat, & non amorē, &c.

Fruitio est actus voluntatis, quia determinatur ex obiecto.

Fruibile obiectiuè est solus Deus Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quæ nos beatos faciunt, vt ait S. Tho. 1. sent. dist. 1. q. 2. ar. 1. dicens, Frui aliquo dicitur tripliciter; aut sicut obiecto, & hoc modo solo Deo fruendum est, quia ad bonitatem ipsius Dei ordinatur tota

bonitas vniuersi, sicut bonum totius exercitus ad bonum ducis, vt dicitur 12. Metaphys. tex. 52. Alio modo sicut habitu eliciente actum fruitionis, & hoc modo beatitudine creata, & charitate fruendum est. Tertio modo fruimur aliquo sicut instrumento fruitionis, & hoc modo fruimur potentia, cuius fruitio est actus; & quia obiectum non est partibile & diuisibile, propterea non est verum, quòd ait Scotus 1. sent. dist. 1. q. 2. quòd Beatus de potentia Dei absoluta potest videre essentiam diuinam, non videndo personas, & vnam personam, non videndo aliam, quia tunc Beatus non videret Deum sicuti est, præsertim cùm beatitudo consistit in visione intuitiua, & non abstractiua, pace Illustrissimi Domini Constantij Sarnani dixerim, qui in suo pulcherrimo directorio Theologico asserit voluntatem in beatitudine non necessitari, & esse abstractiuam: nam si hoc esset verum, sequeretur, & voluntas amaret aliquod obiectum nobilius Deo, quod est falsum; & ideo voluntas Beati necessariò necessitate quo ad exercitium & specificationem actus fruitur Deo, sicut intellectus videt ipsum Deum. Argumenta Scoti contra hanc veritatem eruditè satis dissoluit Caietanus in apostillis 2.2. S.Th. q. 2. ar. 8. &c.

Furtum, vt amplè S. Th docet 2.2. q. 64. per totam, est acceptio rei alienæ inuito domino: vnde ad rationem furti tria concurrunt, quorũ Primum conuenit sibi, secundùm quod contrariatur iustitiæ, quæ vnicuique tribuit quod suum est, & ex hoc competit ei quod vsurpat alienum. Secundum verò pertinet ad rationem furti, prout distinguitur à peccatis, quæ sunt contra personam; sicut ab homicidio & adulterio, & secundùm hoc competit furto, quod fit circa rem possessam; si quis enim accipiat id quod est alterius, non quasi possessio, sed quasi pars, sicut si amputet membrum, vel sicut personam coniunctam, vt si auferat filiam vel vxorem, non propriè habet rationem furti. Tertium est, quod complet rationem furti, vt scilicet occultè vsurpetur alienum, & secundùm hoc propria ratio furti est, vt sit occulta acceptio rei alienæ; propterea omne furtum est peccatum mortale, tum quia opponitur iustitiæ, quæ debet reddere vnicuique quod suum est, tum etiam ratione fraudis & doli, quem fur committit, occultè & quasi ex insidijs rem alienam vsurpando. Sed hoc intelligendum est regulàriter, vt ait Caietanus in expositione 5. art. huius quæst. quia in casu in quo aliquis vel propter defectum, vel iudicis iniustitiam, aut defectum probationum, aut propter maius damnum amicitiæ, pacis, vel rerum, aut huiusmodi, non potest via iudicis suum, aut sibi debitum recuperare, absque scandalo, periculo, & offensa cuiuscunq; potest occultè accipere à debitore vnde sibi satisfaciat, quia tunc non agitur contra iuris ordinem, quamuis fieri videatur præter iustitiam: vnde absque peccato mortali potest quis accipere quod suum est, adhibendo tamen cautelam, vt scilicet ille qui occupabat, sciat se non teneri amplius ad restitutionem: nec in hoc casu accipiens facit sibi ius, sed potius exequitur ius suum, vtendo occulta acceptione, sed non quod aliqua auctoritate publica, aut priuata vtatur ipse, &c.

In quo casu accipere potest aliquis rẽ suam occulte à debitore.

Fur à furuo dictus est, idest à fusco, nam vtitur tempore noctis, vt ait S. Tho. 2.2. q. 66. art. 3. de mente Isidori lib. ethymologiarum. & quatuor modis solet committi furtum, vt scribit idem S. Thom. in opusculo 4. cap. Non furtum facies. Primo occultè accipiendo, & hoc habetur Matth. 24. Si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret vtique, &c. Secundo violenter auferendo, & hæc est maior iniuria, vt habetur Iob 24. Vim fecerunt deprædantes pupillos. Tertio mercedem non soluendo, & hoc habetur Leuit. 19. Non morabitur opus mercenarij apud te vsque mane; quæ verba intelliguntur, quòd homo cuilibet dare debet quod suum est, siue Principi, siue Prælato, siue Clerico, vt iubet Apostolus ad Rom. 13 Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal, &c. Quarto committendo fraudem in mercationibus, & hoc est contra caupones, qui miscent aquam vino, & contra campsores, qui multas falsitates committunt, & contra venditores pannorum, & aliarum rerum, &c.

Futurum non est in Deo, sicut nec præteritum, sed quicquid est in eo, est totum in præsentia æternitatis, quia dicitur futurum, quod nondum venit, vt scribitur Actuum cap. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; quia vt idem S. Th. dicit p. p. q. 57. ar. 3. futurum dupliciter potest cognosci, Vno modo in causa sua, & sic futura quæ ex necessitate ex causis suis proueniunt, per certam scientiam cognoscuntur, vt Solem oriri cras; quæ verò ex suis causis proueniunt, vt in pluribus, cognoscuntur non per certitudinem, sed per coniecturam, sicut medicus potest cognoscere sanitatẽ futuram infirmi; & iste modus cognoscendi futura adest Angelis, & tanto magis, quàm nobis, quanto magis rerum causas & vniuersalius & perfectius cognoscunt, sicut medici, qui

Futura cognoscuntur dupliciter, in causis suis, & in seipsis.

qui acutius vident causas,melius de futuro statu ægritudinis prognosticantur;quę verò proueniunt ex causis suis,vt in paucioribus,penitus sunt ignota,sicut casualia & fortuita. Alio modo cognoscuntur futura in seipsis, & sic solius Dei est futura cognoscere, non solum quæ ex necessitate proueniunt, vel vt in pluribus, sed etiam casualia & fortuita, quia Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cùm sit simplex, toti tempori adest, & ipsum concludit; & ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia, & videt omnia, vt in seipsis sunt, &c.

DE LITERA G.

HANC literam Grammatici mutam appellant, quæ in verborum præteritis mutatur in c,vt legor lectus,agor actus;aliquando in s, vt spargo sparsi, mergo mersi; aliquando in x, vt rego rexi,pingo pinxi, &c.

Gabriel,vt ait Sanctus Thomas 3.parte,quæst.30.art.2 ad quartum argumentum, vocatur Fortitudo Dei; & aliqui dicunt Gabrielem fuisse de supremo ordine Angelorum, propter quod Gregorius dicit, Summum Angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nunciabat. Sed ex hoc non habetur, quòd fuerit summus inter omnes ordines, sed respectu Angelorum, fuit enim de ordine Archangelorum, vnde & Ecclesia Archangelum eum nominat. Et Gregorius dicit in homilia de centum ouibus, quòd Archangeli dicuntur, qui summa annunciant. Satis ergo credibile est, quòd sit summus in ordine Archangelorum, & quia hoc conuenit officio suo, quia per fortitudinem Dei nunciandus erat qui virtutum Dominus & potens in prælio ad debellandas potestates aereas veniebat, &c.

Gaudium non est aliqua virtus distincta à charitate, sed est quidam charitatis actus, *Gaudium est quidam charitatis actus.* siue effectus, vt scribit Sanctus Thomas 2.2. quæst.28. art.4. Et quia ex charitate causatur duplex gaudium de Deo, Vnum quidem principale, quod est proprium charitatis, quo scilicet gaudemus de bono diuino, secundùm se considerato, & tale gaudium charitatis permixtionem tristitiæ non patitur, sicut nec illud bonum de quo gaudetur, potest aliquam mali admixtionem habere, & ideo Apostolus dicit ad Philippenses 4. Gaudete in Domino semper. Aliud autem est gaudium charitatis, quo gaudet aliquis de bono diuino, secundùm quod participatur à nobis; hæc autem participatio potest impediri per aliquod contrarium;& ideo ex hac parte gaudium charitatis potest habere permixtionem tristitiæ, prout scilicet aliquis tristatur de eo quod repugnat participationi diuini boni, vel in nobis,vel in proximis, quos tanquam nosipsos diligimus: & quia ex amore procedit gaudium & tristitia,sed cōtrario modo;gaudium enim ex amore causatur, vel propter pręsentiam boni amati, vel etiam propter hoc quod ipsi bono amato proprium bonum inest,& conseruatur;& secundùm hoc maximè pertinet ad amorem beniuolentię, per quem aliquis gaudet de amico prosperè se habente,etiam si sit absens:econtrario autē ex amore sequitur tristitia, vel propter absentiam amati, vel propter hoc quod amatū cui volumus bene,suo bono priuatur,aut aliquo malo deprimitur. Charitas autem est amor Dei, cuius bonum immutabile est, quia ipse est sua bonitas, & ex hoc ipso quod amatur,est in amante per nobilissimum effectum,secundùm illud Ioan. 1.epist.cap.4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: & ideo spirituale gaudium quod de Deo habetur, ex charitate causatur, &c.

Generale,vt docet S.Th.1.2.q.66.ar.1.in corp.dupliciter sumitur,Vno modo per prædicationem, sicut animal est generale ad omnia animalia; Alio modo per causam, sicut *Generale duplex,per prædicationem,et per causam.* Sol est causa generalis omnium quæ generantur in his inferioribus;sicut enim genus continet multas differentias potestate,secundùm similitudinē materiæ,ita causa agens continet multos effectus secundùm virtutem actiuam: contingit autem aliquem effectum ex concursu diuersarum causarum produci.Et quia omnis causa aliquo modo in effectu manet:potest etiam dici Tertio modo,quòd effectus ex congregatione multarum causarum productus, habet quandam generalitatem, inquantùm continet multas causas in actu, sicut ira dicitur passio generalis, inquantùm ex concursu multarum passionum causatur, non enim insurgit motus iræ, nisi propter aliquam tristitiam illatam, & nisi adsit desiderium vlciscendi; iratus enim habet spem puniendi, appetit namque vindictam, vt sibi

possibilem, vnde si fuerit multum excellens persona quæ nocumentum intulit, non sequitur ira, sed solum tristitia, &c.

Generatio est duplex, vt ait S.Thom.p.p.q.27.ar.2.in corp. Altera communiter dicta ad omnia generabilia & corruptibilia, & sic generatio nihil aliud est, quàm mutatio de non esse ad esse; Altera est generatio propriè dicta in viuentibus, & sic generatio significat originem alicuius viuentis, à principio viuente coniuncto; & hæc propriè dicitur natiuitas. Non tamen omne huiusmodi dicitur genitum, sed propriè quod procedit secundùm rationem similitudinis: vnde pilus vel capillus non habet rationem geniti & filij, sed solum quod procedit secundùm rationem similitudinis, non cuiuscunque, nam vermes qui generantur in animalibus non habent rationem generationis, & filiationis, licet sit similitudo secundùm genus; sed requiritur ad rationem talis generationis, quod procedat secundùm rationem similitudinis, in natura eiusdem speciei, sicut homo procedit ab homine, & equus ab equo: in viuentibus autem quæ de potentia in actum vitæ procedunt, sicut sunt homines & animalia, generatio vtramque generationem includit. Si autem sit aliquod viuens cuius vita non exeat de potentia in actum, & si processio in tali viuente inuenitur, excludit omnino primam rationem generationis, sed potest habere rationem generationis, quæ est propriè viuentium. Sic igitur processio Verbi in diuinis habet rationem generationis, procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, & à principio coniuncto, & secundùm rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ, & in eadem natura existens, quia in Deo idem est intelligere & esse: vnde processio Verbi in diuinis dicitur generatio, & ipsum Verbum procedens dicitur Filius; processio autem Spiritus sancti cùm sit secundùm rationem voluntatis, non est secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem impellentis, & mouentis in aliquid; & ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitus, & filius, sed magis procedit vt spiritus, qui licèt sit similis Patri, & Filio, quia est Deus, non tamen procedit per modum similitudinis, &c.

Illud propriè dicitur genitum, quod procedit secundùm rationem similitudinis.

Inanimata non propriè dicuntur genita, licet dicantur generata.

Genitum secundùm quod est idem quod natum, non dicitur à generando, sed à gignendo: vnde quamuis inanimata propriè dicantur generata, non tamen propriè dicuntur genita, neque nata, vt scribit S.Tho.3.sent.dist.8.q.1.art.1.ad primum, & in corpore art. ait, quòd cùm generatio sit communis omnibus corporibus corruptibilibus, tamen in corporibus animatis est specialis modus generationis, & propter hoc etiam habent specialiter inter alias vires animæ vim generatiuam; in viuentibus enim primo ex generante deciditur aliquid quod est sufficiens ad generationem, quantùm ad principium actiuum & passiuum, quamuis in quibusdam idem generans sit quod vtrumque ministrat, sicut in plantis, quæ non habent sexum distinctum; in quibusdam autem.s.quæ habent sexum distinctum, à mare ministratur principium actiuum, à fœmina principium materiale; & animalia in coitu, secundùm Philosophum, sunt quasi vnũ generans, vt dicitur in Genes. Erunt duo in carne vna: Et ideo sequitur secundum; scilicet quod generatio est per modum exitus à generante, quod non est in generatione inanimatorum. Tertium autem est, quòd generatum exiens à generante in principio generationis, adhæret ei, & est in eo vel per contactum, vel per consolidationem, vt patet in fructibus qui colligantur plãtis; & de embrione, qui adhæret secundùm contactum matriei. Et quantum ad tres has conditiones, res viua inquantum generatur, habet tria nomina sibi propria: secundùm enim quod principia sufficientia suę generationi ministrãtur à generante, dicitur gigni, vel genita esse: secundùm autem quod generatur per modum exitus dicitur oriri; secundùm autem quod generatum vt coniunctum generanti, dicitur nasci, sic enim generans & generatum est quasi res vna; & ideo cùm nomen natura, a nascendo sumatur, illa dicuntur esse per naturam, quorum principium intus est in ipsis. & sic patet, quòd nasci propriè dicitur illud quod egreditur a generante, coniunctum eius, habens ab ipso principia sufficientia generationi, &c.

Res viua inquantum generatur, habet tria nomina.

Principium generationis duplex, quod, & quo.

Generationis terminus in creaturis potest accipi dupliciter ait S.Tho. 1.sent.dist.5. q.3.ar.1. quod, & quo, sicut & principium. Dicitur enim principium generationis ipsum generans; & huic principio correspondet sicut terminus, ipsum genitum. Dicitur etiam principium generationis a quo incipit generatio, & hoc modo principium vel initium generationis est priuatio formæ inducendæ; & huic principio terminus oppositus est forma per generationem inducta, sicut etiam in dealbatione terminus a quo, est nigredo, & terminus ad quem, est albedo. Et similiter in diuinis, terminus generationis quamuis

non

non ſit ibi actio vel mutatio, poteſt tamen accipi dupliciter, ſcilicet ipſum generatum, & hoc eſt Filius, vel eſſentia accepta a Filio per generationem; quia non poteſt dici, quòd eſſentia diuina ſit genita in Filio, neque per ſe, neque per accidens, quia eadem eſt eſſentia in generante, & in genito, &c.

Genitura, vt air S. Thom. in opuſculo 28. cap. 4. habet ſeptem mutationes neceſſarias; quarum Prima, eſt ſeminis conuerſio, & præcipuè ad formas cordis; Secunda eſt materiæ diſtinctio, ad formam membrorum principalium, quæ & cauſatiuas habet virtutes, ſicut hepar cauſat virtutes naturales, & vaſa ſeminaria virtutes formatiuas conceptuum, & ideo in ſecunda mutatione ſeminis adhærent puncto cordis tres veſiculæ, quas facit ſpiritus ad locum cerebri, hepatis, & vaſorum ſeminalium; Tertia mutatio eſt diſtinctio materiæ, quando veſicula cerebri aſcendit ſurſum, & veſicula hepatis aliquando ad dextrum, & ad vltimum deſcendir ad veſiculam vaſorum ſeminalium, & hunc aſcenſum & deſcenſum facit ſpiritus ex ſufflatione quæ eſt in corde; Quarta mutatio eſt totius materiæ diſtinctio, vt diſtribuatur locis membrorum ſecundariorum, qui cauſatrices virtutes non habent, & hanc diſtinctionem iterum facit ſpiritus ex ſufflatione cordis, quę exſufflatio perforat & diſtendit materiam, & perforando facit viam venarum pulſatilium, & quietarum, & neruorum: extendēdo autem diſtribuit materiam vniuſcuiuſque membrorum in locum proprium; Quinta mutatio, eſt tranſmutatio materiæ in figuram membrorum, quam figuram nō reciperet, niſi humidum eſſet in ea; & hanc mutationem facit, dum vis formatiua cordis in locum membrorum per ſpiritum exſufflatur: membra autem figurata non ſunt apta recipere virtutem operatiuam & motiuam, niſi per confęderationem, & colligationem; Sexta mutatio eſt quæ completur per calorem cordis cum ſpiritu diffuſo in membris, qui exſiccans ſuperfluum humidum, conſolidat & confortat iuncturas, & connexiones; Septima mutatio, eſt motus per virtutes motiuas, quæ omnibus membris a corde influit: & cùm omnis motus genituræ ſit a Luna, oportet quòd ſeptem conuerſionibus Lunæ in homine quod eſt perfectiſſimum ſeminis expleatur; & licet iſtę mutationes ſeminis non ſucceſſiuè ſint ſecundùm numerum menſium, tamen perfectio earum non completur, niſi completo numero conuerſionum, ſecundùm ſeptem menſes. Er in alijs animalibus ab homine non ita hæc regulariter obſeruantur, propter ignobilitatem ſuarum complexionum, ſed aliqua diutius, vt Elephas, alia breuiori tempore impręgnantur, &c.

Gentiles Philoſophi naturaliter cognouerunt Deum eſſe vnum, ſimplicem, perfectum, infinitum, intelligentem, & volentem, ait S. Tho. opuſculo 3. cap. 36. & quamuis nonnulli eorum circa prædicta errauerint, & illi etiam qui circa prædicta verum dixerunt, poſt longam & laborioſam inquiſitionem ad veritatem prædictam vix peruenire potuerunt. Sed ſunt & alia nobis de Deo tradita in doctrina Chriſtianæ religionis, ad quam peruenire non potuerunt, circa quæ ſecundùm Chriſtianam Fidem vltra humanum ſenſum inſtruimur: & ſunt hęc, ꝙ cùm ſit vnus Deus, ſimplex, &c. eſt tamen Deus Pater, & Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus; & hi tres, non tres Dij, ſed vnus Deus eſt. & Filius eſt incarnatus, non Pater, nec Spiritus ſanctus.

Philoſophi veteres ad cognitionē vnius Dei agrè peruenerunt.

Genus, vt ſcribit S. Tho. 1. 2. q. 18. ar. 2. in corp. capitur aliquando pro ſpecie, eo modo loquendi, quo dicimus humanum genus totam humanam ſpeciem; & hoc videtur eſſe primum ſignificatum generis, quod poſuit Porphy. quando dixit, quòd primo capitur genus pro collectione multorum quodammodo ſe habentium ad vnum aliquod, & ad ſeinuicem, licet non omnino conueniant, quia ait S. Thom. genus capitur pro ſpecie, Porphy. verò pro collectione multorum habentium illas conditiones .ſ. quod ſit ingens multitudo, & quod reſpiciant ſe ad inuicem, & quod habeāt originem ab vno, vt omnes familiæ prouenientes ab vno patre; puta multitudo Romanorum, quę traxit originem a Romulo. Genus etiam dicitur principium vniuſcuiuſque generationis, ſiue ſit principium effectiuum principale, vt Romulus reſpectu Romanorum; ſiue inſtrumentale, vt eius ſemen, ſiue conſeruatiuum, vt patria. Dicitur etiam genus pro eo cui ſupponitur ſpecies in recta linea prædicamentali, tamquam inferius ſuo ſuperiori, vt animali ſupponitur homo. Dicitur etiam genus, quod prædicatur de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid, vt animal prædicatur de homine, & leone; & de hoc loquens idem S. Tho. p. p. q. 66. art. 2. ad 2. dicit, quòd eſt duplex, genus logicum, & genus phyſicum; Genus logicum eſt vnum omnium corporum, propter vnam rationem corporeitatis; Genus verò phyſicum eſt vnū reſpectu omnium corruptibilium, non autem corruptibilium & incorruptibilium,

quando-

quandoquidem corruptibilia & incorruptibilia non possunt conuenire in eodem genere, propter diuersum modum potentiæ repertum in eis, vt dicitur 10.Metaph.tex.16. Corruptibile & incorruptibile differunt plusquàm genere; & in opusculo 42.de natura generis,cap.9.ait S.Th.quòd ad rationem generis requiritur,vt prędicetur vniuocè: hinc ens non est genus,quia non prędicatur vniuocè de suis inferioribus;& cap.6.eiusdem opusculi asserit,quòd substantię separatę & materiales non conueniunt nisi in genere logico solum. Dicitur etiam genus dupliciter.s.propriè,quod de pluribus prędicatur differentibus specie in eo quod quid; & communiter,seu impropriè,& est omne illud quod in sui communitate multa ambit & cōtinet; & sic bonum & malum dicuntur genera contrariorum. Dicitur etiam genus remotum, vt substantia respectu hominis; & proximum, vt obiectū tactus est genus proximum & innominatum, respectu contrarietatum, quas tactus percipit,sicuti etiam ipse tactus est vnus in genere,sed diuiditur in multos sensus secundùm speciem. Datur adhuc genus scibile, vt ens est genus scibile in Metaphysica; & genus prędicamentale,vt animal: in quo est aliquid dupliciter.s.per se, vt species de qua prędicatur; & reductiuè, vt principia generis,& negationes.

Ad rationem generis spectat vt prædicetur vniuocè de suis inferioribus.

Geometra modico studio acquirit scientiam alicuius conclusionis, quam nunquam considerauit, vt scribit S.Tho.1.2.q.63.ar.8. in resp.ad primum; quemadmodum dicere solemus,quod illud quod in promptu est vt habeamus, dicimur habere,iuxta sententiam Philosophi 2.Physic. Quod parum deest, quasi nihil deesse videtur.

Gladius,vt ait S.Thom.2.sent.dist.19.q.1.ar.1. in responsione ad tertium, dicitur esse impedimentum accessus ad terrestrem paradisum, propter intemperatum calorem in locis intermedijs; & dicitur gladius flammeus. Et 2.2.q.165.art.2. in resp.ad quintum dicit,quòd locus ille terrestris paradisi pręcipuè videtur esse inaccessibilis, propter vehementiam ęstus in locis intermedijs.s.ex propinquitate Solis;& hoc significatur per flammeum gladium,qui versatilis dicitur, propter proprietatem motus circularis, huiusmodi ęstum causantis.Et quia motus corporalis creaturę disponitur ministerio Angelorum, conuenienter etiam simul cum gladio versatili Cherubin adiungitur, ad custodiendam viam ligni vitę.

Gigantes ex semine dæmonū nascebantur.

Gigantes, vt scribit S.Thomas p.p.q.51.art.3.in responsione ad sextum, sunt producti ex semine humano, operante Dęmone incubo, & succubo, sub certa constellatione. nec mirandū est de eis gigantes nasci,quia si ex coitu dęmonū aliqui interdum nascuntur,hoc non est per semen ab eis decisum, aut a corporibus assumptis, sed per semen alicuius hominis ad hoc acceptum, vtpote quod idem Dęmon qui est succubus ad virum, fiat incubus ad mulierem, sicut & aliarum rerum semina assumunt ad generationem plurimarum rerum,taliter ꝙ ille qui nascitur,nō sit filius Dęmonis,sed illius hominis cuius est semen.

Gratia dupliciter dicitur,vt scribit S.Th.3.par.q.2.art.10. Vno modo pro voluntate Dei, gratis aliquid dantis; Alio modo pro dono gratuito ipsius Dei: & 1.2.q.109.art.1. ad primum,Gratia Dei aliquando capitur pro auxilio Dei mouentis nos ad aliquod bonum operandum; Alio modo pro dono habituali: & in eodem libro; quæst.111.artic.1. Gratia est duplex; Vna quidem per quam ipse homo Deo coniungitur, quę vocatur gratia gratum faciens; Alia verò per quam vnus homo cooperatur alteri, ad hoc quod ad Deum reducatur. Huiusmodi autem donum vocatur gratia gratis data,quia supra facultatem naturę, & supra meritum personę homini conceditur, sed quia non datur ad hoc, vt homo ipse per eam iustificetur, sed potius vt ad iustificationem alterius cooperetur, ideo non vocatur gratum faciens: vnde retinet nomen commune, vt vocetur gratia,quia iam non est ex operibus nostris: Ideo gratis datur a Deo,quia excludit rationem debiti, tam illius quod refertur ad personam, quàm illius quod refertur ad naturam, quia Deus nulli creaturæ est debitor. Gratia verò gratum faciens ideo sic dicitur, quia facit hominem gratum Deo,non effectiuè,sed formaliter:quia per hanc homo iustificatur,& dignus efficitur vocari Deo gratus,secundum quod ait Apostolus ad Colossenses 1. Dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: & hæc est quædam qualitas supernaturalis, secundum quam homo suauiter, & promptè mouetur ab ipso Deo, ad consequendum bonū ęternum: vnde Glosa exponens illud Psalmi. Vt exhilaret faciem in oleo, dicit, quòd gratia est nitor animę, sanctum reconcilians amorem. Hic autem nitor est qualitas animæ, sicut pulchritudo est qualitas corporis: & non est virtus, vt aliqui dixerunt, sed est participatio diuinæ naturæ;Propterea non ponitur in potentia animæ tanquam in subiecto, sed in essentia ipsius animæ, &c.

Gratia

Gratia diuiditur per gratiam operantem & cooperantem: siue capiatur gratia pro gratuita Dei motione, qua mouet nos ad bonũ meritorium, siue pro habituali dono: quia est duplex effectus ipsius gratię, sicut & cuiuslibet alterius formæ; quorum primus est esse, secundus est operatio; veluti caloris operatio est facere calidum, & exterior calefactio: sic igitur habitualis gratia inquantùm sanat animam, vel iustificat, siue gratam Deo facit, dicitur gratia operans; inquantùm verò est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans. Et quemadmodum diuiditur gratia in operantem, & cooperantem, secundùm diuersos effectus, ita etiam in præuenientem & subsequentem, qualitercunque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus gratiæ in nobis. Quorum primus est, vt anima sanetur. Secundus, vt bonum velit. Tertius, vt bonum quod vult, efficaciter operetur. Quartus est, vt in bono perseueret. Quintus est, vt ad gloriã perueniat. Et ideo gratia secundùm quod causat in nobis primum effectum, vocatur præueniens, respectu secundi effectus; & prout causat in nobis secundum, vocatur subsequens, respectu primi effectus: & sicut vnus effectus est posterior vno effectu, & prior alio, ita gratia potest dici præueniens, & subsequens, secundùm eundem effectum, respectu diuersorum: & hoc est quod Augustinus dicit in libro de natura & gratia, Præuenit vt sanemur, subsequitur vt sanati vegetemur; præuenit vt vocemur, subsequitur vt glorificemur, &c.

Gratia multimoda diuisio.

Effectus gratiæ sunt quinque.

Gratia gratis data, ait S. Thom. 1.2.q 111.art.4. est multiplex, quia ordinatur ad hoc quod homo alteri cooperetur, vt reducatur ad Deum: ad hoc autem tria requiruntur. Primo, vt homo habeat plenitudinem cognitionis diuinorum, ad quam plenitudinem requiritur Primo Fides, quæ est certitudo de rebus inuisibilibus, quæ supponuntur vt principia in Catholica doctrina. Secundo oportet vt habeat principales conclusiones scientiæ, & sic ponitur sermo sapientiæ, quæ est cognitio diuinorum. Tertio est necessarium vt abundet exemplis, & cognitione effectuum, per quos oportet manifestare causas: & quantùm ad hoc ponitur sermo scientiæ, quæ est cognitio rerum humanarum. Secundo requiritur principaliter, vt ea quæ ipse dicit & docet homines, confirmare possit per argumenta conuenientia doctrinæ suæ. Hæc autem argumenta possunt esse vel in corporibus istis inferioribus; & sic ponitur gratia sanitatum, vel in corporibus superioribus, scilicet quod Sol stet, aut tenebrescat, aut quod mare diuidatur; & quantùm ad hoc ponitur operatio virtutum. Tertio argumentum hoc esse potest in occultis, & sic ponitur discretio spirituũ, per quę manifestantur occulta cordium: Vel potest esse argumentum cognoscendo & manifestando futura contingentia, & quantùm ad hoc ponitur prophetia. Tertio principaliter requiritur, vt ille qui habet gratiam gratis datam, possit conuenienter proferre auditoribus ea quæ dicit. Hoc autem attendi potest, vel quantùm ad idioma in quo aliquis possit intelligi, & secundùm hoc ponitur genus linguarum; Vel quantùm ad sensum eorum, quæ sunt proferenda; & quantùm ad hoc ponitur interpretatio sermonum: vnde concluditur, quod nouem sunt genera gratiarum gratis datarum, prout Apostolus enumerat 1. ad Corinth. 12. dicens, Alij per spiritum datur sermo sapientiæ, Alij autem sermo scientiæ, secundùm eundem spiritum, Alteri fides in eodem spiritu, Alij gratia sanitatum, Alij operatio virtutum, Alij prophetia, Alij discretio spirituum, Alij genera linguarum, Alij interpretatio sermonum. Et sic nouem tantùm sunt gratiæ gratis datæ, &c.

Ad hoc vt homo homini cooperetur vt reducatur ad Deum, tria requiruntur.

Nouem genera gratiarũ gratis datarũ, secundũ Apostolum.

Gratiæ dispositio, vt docet S. Thomas in opusculo 60. de humanitate Christi, cap. 24. vbi loquitur de secundo aduentu Christi est triplex; quandoquidem tria sunt, quæ disponunt hominem ad istum secundum aduentum Christi, qui est in mente, secundum gratiã gratum facientem. Primum est contemptus terrenæ voluptatis, existimando omnia creata vt stercora, ad hoc vt habeatur Christus secundum mentem, iuxta dictum Apostoli, Omnia arbitratus sum vt stercora, vt Christum lucrifaciam. Secundum est, quod disponit ad habendam gratiam gratum facientem, deuota meditatio diuinæ voluntatis, præsertim meditando bonitatem Dei exhibitam nobis per Christum, iuxta illud, Memor fui Dei, & delectatus sum. Tertium est feruens desiderium charitatis, desiderare semper cœlestia ad honorem Dei, iuxta illud Apostoli ad Colossenses 4. Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Qui habet hęc tria, potest dici dispositus ad gratiam, & quod fecit quod in se est, quia facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam. Quod dictum non est intelligendum vt exponit Caietanus, quæstione prima sua de contritione, quod non est lex infallibilis, quod facienti quo in se est ex diuino auxilio statim conferatur gratia. quod etiã & Dominicus de Soto dist. 14. 4. sent. videtur affirmare, ad suscipiendam gratiam, requiri

certam

certam continuationem temporis, vt contritio & vera pœnitentia sit sufficiens dispositio ad gratiam. Et vterque locutus est contra D. Thomam 1.2.q.112.art.3. vbi apertè dicit, quòd licet homini facienti illud ad quod Deus mittit auxilium præueniens quo excitatur vt iustificetur, non semper conferatur gratia iustificans: tamen omnis ille, qui facit quod in se est auxilio præuenienti, quod Deus ordinat, intentione absoluta, ad gratiam iustificantem, semper consequitur ipsam; quia intentio Dei frustrari non potest: vnde si ex intentione Dei mouentis est, quod homo, cuius cor tangit, consequatur gratiam, de necessitate eam habebit. Non quidem coactionis, sed infallibilitatis: iuxta illud Ioan. Omnis qui audit & discit à Patre, venit ad me. Talis enim non ponendo obicem diuinæ gratiæ, & habendo illa tria, quæ supra diximus, facit quod in se est, & sic consequitur gratiam, &c.

Sicut potentiæ fluunt ab essentia animæ, ita perfectiones quadam à gratia.

Gratia sacramentalis addit supra gratiam virtutum & donorum, vt scribit S.Th.3.par.q.62.art.2. quia gratia secundùm se considerata perficit essentiam animæ, inquantùm participat quandam similitudinem diuini esse: & sicut ab essentia animæ fluunt eius potentiæ, ita à gratia fluunt quædam perfectiones ad potentias animæ, quæ dicuntur virtutes & dona, quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad suos actus. Ordinantur autem Sacramenta ad quosdam speciales effectus necessarios, in vita Christiana, sicut Baptismus ordinatur ad quandam spiritualem regenerationem, qua homo moritur vitijs, & fit membrum Christi, qui quidem effectus est aliquid speciale, præter actus potentiarum animæ: Eadem ratio est in alijs Sacramentis. Sicut igitur virtutes & dona, addunt super gratiam communiter dictam, quandam perfectionem determinatè ordinatam, ad proprios actus potentiarum, ita gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam, & super virtutes & dona, quoddam diuinum auxilium, ad consequendum finem Sacramenti. Sed attende, quòd per gratia virtutum & donorum, intelligitur habitus gratiæ gratum facientis, & virtutum, tam Theologalium, quàm moralium, & donorum Spiritus sancti: per gratiam sacramentalem intelligas specialem effectum Sacramenti, puta gratia sacramentalis Baptismi est spiritualis regeneratio, & gratia sacramentalis confirmationis est spirituale augmentum, quo Christianus perducitur ad perfectam virtutem; gratia sacramentalis Eucharistiæ est nutritio spiritualis, qua conseruatur in vita spirituali; & sic de alijs Sacramentis, vt videre poteris apud D.Thomam 3 p.q 65.art 1. &c.

Gloriæ nomẽ quid importat.

Gloria, vt scribit S.Th.2.2 q.103.art.1. ad primum. est effectus honoris & laudis, quia ex hoc quod testificamur de bonitate alicuius, clarescit bonitas eius, in notitia plurimorum; & hoc importat nomen gloriæ; nam gloria dicitur quasi clara, vt ait Ambrosius in expositione ad Romanos 1. quod Gloria est clara cum laude notitia: Et quæst.132.art.1. in corpore, ait, quòd gloria claritatem quandam significat: vnde gloriari idem est quod clarificari: Et ideo nomen gloriæ propriè importat manifestationẽ alicuius de hoc quod apud homines decorum videtur, siue illud sit bonum corporale, siue bonum spirituale: & ideo propriè nomen gloriæ designatur, quod bonum alicuius deueniat in notitiam & approbationem multorum. Et hinc est, quòd gloria non potest esse respectu vnius, sed respectu plurium.

Gloria Christi, vt docet S. Th. super Ioannem cap. 13. fuit quadruplex. s. exaltationis in Cruce, iudiciariæ potestatis, resurrectionis, & cognitionis in fide populorum. & patuit quadrupliciter. s. testimonio Patris, ministerio Angelorum, obedientia totius naturæ, & potestate docendi et operandi. Et meruit ipse Christus, vt ait S.Th 3.p.q.19.art.3. gloriam corporis, & ea quæ spectant ad exteriorem eius excellentiam, sicut est ascensio, veneratio, & alia huiusmodi. Non autem meruit gratiam aut scientiam, nec beatitudinem animæ, nec diuinitatem. & soli ipsi Christo conueniebat quærere gloriam suam, quia Deus est: sed inquantùm homo quærebat gloriam Dei in se, sicuti & alij Sancti: Deus autem quærit gloriam suam non propter se, sed propter nos, &c.

Magna est gloria Sanctorum quintupliciter.

Gloria Sanctorum, vt scribit S. Thom. 1.2.q.67.art.4. est absque successione, secundùm quandam æternitatis participationem, in qua non est præteritum, nec futurum, sed solum præsens: & est magna quintupliciter. s. intensa, extensa, æterna, perfecta, & integra, in qua gloria duo lætificabunt ipsos Sanctos beatos. s. fruitio Dei, & societas Sanctorum: Et sicut gloria animæ beatæ excedit naturalem virtutem Angelorum, ita gloria corporum resurgentium excedet virtutem naturalem cœlorum, quia maior est claritas, firmior impassibilitas, facilior agilitas, & dignitas naturæ perfectior. Sed in hac vita gloria Sanctorum consistit in tribus. s. in conscientia, iustitia interiori, & spe æternorum, &c.

Gloria

Gloria vana tripliciter sumitur.

Gloria vana, vt ait S.Thomas 2.2. tripliciter dicitur sic, scilicet vana. Primo dicitur vana,ex parte rei de qua quis gloriam quærit, puta cum quis quærit gloriam de eo quod non est,vel de eo quod non est gloria dignum, sicut de aliqua re fragili & caduca. Secundo ex parte eius à quo quis gloriam quærit, puta hominis, cuius iudicium non est certum. Tertio ex parte ipsius qui gloriam appetit, qui videlicet appetitum gloriæ suæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, & proximi salutem,&c.

Gula quando est peccatum, et quando nõ.

Gula,vt docet S.Thomas 2.2.q.148.art.1.Non nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi,sed inordinatum. Dicitur enim appetitus inordinatus ex eo,quod recedit ab ordine rationis,in quo bonum virtutis moralis consistit:ex hoc autem dicitur aliquid esse peccatum,quod virtuti contrariatur: & hinc est, quòd gula est peccatum,quia consistit in concupiscentia inordinata. Ordo autem rationis concupiscentia inordinata dupliciter tolli potest. Vno modo quantum ad ea quæ sunt ad finem, prout scilicet non sunt ita commensurata, vt sint proportionata fini. Alio modo quantum ad ipsum finem, prout scilicet concupiscentia hominem auertit à fine debito. Si ergo inordinatio concupiscentiæ accipiatur in gula,secundùm auersionem à fine vltimo,sic est peccatum mortale,quod contingit quando delectationi inhæret homo,tanquam fini,propter quem Deum contemnit,paratus agere contra præcepta Dei, vt delectationem cibi assequatur: si verò nimis concupiscit delectationes ciborum, non vt agat contra legem Dei, & præcepta eius, est tantum peccatum veniale, vt patet in 2.ar.

DE LITERA H.

HÆc propriè non est litera, sed nota, seu signum aspirandi sillabam: & aliquando ponitur in principio dictionis, vt homo. Aliquando in medio dictionis, vt Christus. Aliquando in fine, vt vah: & profertur infra dentes, seu in palato, &c.

Habere ponitur ab Arist. inter postprædicamenta.

Habere,vt scribit S.Thomas 1.2.q.49.art.1.in corpore, est quoddam commune ad omnia genera, secundùm quod dicitur respectu cuiuscunq; quod habetur: vnde Philosophus ponit ipsum inter postprædicamenta, quæ.s.diuersa rerum genera consequuntur, sicut sunt opposita, & prius, & posterius, & alia huiusmodi: Sed inter ea quæ habentur talis videtur esse distinctio,q̄ quædam sunt in quibus nihil est medium,inter habens,& id quod habetur, sicut inter subiectum & qualitatem, vel quantitatem nihil est medium. Quædam sunt in quibus est aliquod medium inter vtrumque,sed sola relatio,sicut dicitur aliquis habere socium vel amicum. Quædam verò sunt inter quæ est aliquid medium, non quidem actio vel passio,sed aliquid per modum actionis,vel passionis, prout.s.vnum est ornans vel regens, & aliud ornatum vel rectum: hinc habitus dicitur tanquam actio quædam habentis & habiti, sicut est in illis quæ circa nos habemus: Et ideo in his constituitur vnum speciale genus rerum, quod dicitur prædicamentum habitus, qui est inter habentem indumentum, & ipsum indumentum, tanquam medium quoddam: si autem sumatur habere prout res aliqua dicitur quodammodo se habere in seipsa, vel ad aliquid aliud, cùm iste modus se habendi, sit secundùm aliquam qualitatem, hoc modo habitus est quædam qualitas, quæ est dispositio secundùm quam bene vel male disponitur dispositum,aut secundùm se,aut ad aliud,vt sanitas est quidam habitus, &c.

Haberi dicitur aliquid propriè, secundùm actum perfectum, vt quando possidetur gratia à Beatis,tunc propriè ab eis dicitur haberi:quia quando aliquid participatur non secundùm suum actum perfectum,sed secundùm aliquem modum,tunc non propriè dicitur haberi,sicuti animalia quæ habent aliquem modum prudentiæ,non tamen dicuntur habere prudentiam,quia non habent actum rationis,qui propriè est actus prudentiæ.s.ipsa electio; vndemagis habent aliquid simile prudentiæ,quàm prudentiam ipsam, vt docet S.Tho.1.sent. dist.15.q.4 ar.1.in responsione ad primum, &c.

Habilitas dupliciter potest diminui, per subtractionẽ, & per appositionem contrarij.

Habilitas,vt docet S.Th.1.p.q.48.in resp.ad 2.est medium inter subiectum,& actum. Et in disputatis in quæst.de malo,q.2.ar.12.asserit,quòd dupliciter potest diminui ipsa habilitas; Vno modo per subtractionem,sicut aliquod corpus est habile ad calefaciendum,per calorẽ quem habet,vnde diminuto calore diminuitur habilitas calefaciẽdi; Alio modo per appositionem cõtrarij, sicut aqua calefacta habet naturalem aptitudinem, vel habilitatẽ ad infrigidationẽ,sed quãto plus fuerit appositũ de calore, tanto minuitur habilitas ad frigus,&c.

Habitus,vt scribit S.Th.1.2.q.49.ar.1.quadrupliciter sumitur.Primo pro specie qualitatis,quę est qualitas difficile mobilis.Secundo prout est vnũ ex prędicamentis,& sic diffinitur à Giliberto Porrettano,q habitus est eorum quæ sunt circa corpus adiacẽtia; & sic habitus dicit respectum extrinsecum aduenientem.Tertio pro postprędicamento,quod distinguitur multis modis, vt habere annulum, vel possessionem,vel aliquid aliud. Quarto pro habitu Religionis regularis,qui simul datur & benedicitur cum professione,& determinatur talis habitus ad tria vota.s.Castitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, tanquam signum obligationis, vt scribitur 2.2.q.186.ar.9. Datur etiam & habitus speculatiuus, qui est triplex.s.sapientia, scientia, & intellectus. Datur & habitus practicus,vt Ars; & moralis,vt Prudentia;& habitus naturalis,qui est qualitas generata ex frequẽtatis actibus;& habitus supranaturalis,vt fides,spes,gratia,&c.Dicit & habitus repręsentatiuus,vt est species intelligibilis,quę repręsentat rẽ intelligibilem,& scibilẽ.Potest etiã esse aliquis habitus innatus, qui dr habitus naturalis,& multis alijs modis,vt docet S.Th.in locis superius allegatis &c.

Habitus speculatiuus,practicus, moralis, naturalis, & supranaturalis.

Hæresis,vt scribit S.Th.2.2.q.11.ar.1.est nomẽ gręcum,& ab electione dicitur,quia.s.eã sibi vnusquisq; eligit disciplinam,quam putat esse meliorem. Electio autem est eorum quæ sunt ad finem,presupposito fine:In credendis autem voluntas assentit alicui vero,tanq proprio bono,vnde quod est principale verum,habet rationẽ vltimi finis,quę autẽ sunt secundaria,habent rationẽ eorum quæ sunt ad finem.Et quia omnis qui credit assentit dicto alicuius, principale videtur esse,& quasi finis in omni credulitate ille, cuius dicto assentitur: quasi autem secundaria sunt ea, quæ quis tenendo vult alicui assentire. Sic ergo qui rectè Fidem Christianam habet, sua voluntate assentit Christo in his quæ verè ad eius doctrinam pertinent, quia suscipit characterem Baptismi datum à Christo. A rectitudine ergo Fidei Christianæ dupliciter quis potest deuiare; Vno modo, quia ipse non vult assentire Christo,& hic habet malam voluntatem circa ipsum finem, & hoc pertinet ad speciem infidelitatis Paganorum, & Iudęorum; Alio modo per hoc quod intendit quidem assentire Christo,sed deficit in eligendo ea quibus Christo assentiat,quia non eligit quæ verè à Christo tradita sunt,sed ea quę sibi propria mens suggerit:& ideo hæresis est species infidelitatis, pertinens ad eos, qui Fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt. Et est principaliter circa articulos Fidei, secundario autem circa ea quæ sequuntur ex eis. Et duo concurrunt formaliter ad ipsam.s.error in intellectu, & pertinacia in voluntate,quæ sola facit hominem Hęreticum. & nascitur ex superbia, vel ex concupiscentia commodi temporalis. & incurritur ex verbis etiam inordinatè prolatis, &c.

Hæresis ex verbis inordinatè prolatis incurritur.

Hęreticus,vt ait S.Th.2.2.ar.3.statim ex quo de hęresi conuincitur,potest non solum excommunicari,sed iustè occidi;& hoc ex parte ipsius,quia multo grauius est corrumpere fidem,per quam est vita animæ,quàm falsificare pecuniam,per quam temporali vitæ subuenitur: vnde si falsarij pecuniæ, vel alij malefactores statim per seculares Principes iustè morti traduntur; multo magis Heretici, ex quo de hęresi conuincuntur,possent non solum excommunicari, sed & iustè occidi. Sed ex parte Ecclesiæ est misericordia ad cõuersionem errantium, & ideo non statim condemnat, sed post primam & secundam correctionem, vt Apost.ait. Postmodum verò si adhuc pertinax inueniatur, Ecclesia de eius conuersione non sperans,aliorum saluti prouidet,eum ab Ecclesia separando, per excommunicationis sententiam; & vlterius relinquit eum iudicio seculari, a mundo exterminandum per mortem: quia vt ait Hieronymus, Resecandę sunt putridę carnes,& scabiosa ouis a caulis repellenda,ne tota domus massa corpus & pecora ardeat,corrumpatur,putrescat, intereat. Arrius in Alexandria vna scintilla fuit, sed quoniam non statim oppressus est, totum orbem eius flamma populata est. Et nota,q hic sermo est de hæretico, propriè loquendo,quia communiter hęreticus dicitur aliquãdo omnis excõmunicatus. Dicitur etiam hęreticus peruersor sacrorum, vt Simoniacus. Dicitur adhuc hæreticus,quicunque dubitat vel putat Fidem Christianam esse falsam,& sic omnis infidelis communiter loquendo hęreticus dicitur,&c.

Nota quid intersit inter Hæreticũ propriè, & cõmuniter sumptũ.

Hierarchia,vt docet S.Th.1.p.q.108.ar.1.est sacer principatus: in nomine aũt principatus duo intelliguntur.s.ipse Princeps,& multitudo ordinata sub Principe. hinc alia est hierarchia humana ab Angelica,quia diuersis legibus reguntur.In Angelis quoq; tres hierarchię inueniuntur:sed in diuinis personis non est aliqua hierarchia,sed quidã ordo naturæ: & quia vna hierarchia est vnus principatus.i. vna multitudo ordinata sub vna Principis gubernatione, non confusè, sed ordinatè, hinc est, q quælibet hierarchia habet ordinem .s.principij,medij,& finis,sicuti in ciuitatibus reperiuntur supremi homines vt optimates, quidam autẽ infimi,vt vilis populus,quidã verò medij,vt populus honorabilis; sic & quęlibet

libet hierarchia habet tres ordines, summorum Angelorū, mediorum, & infimorum, &c.

Hoc aliquid, potest accipi dupliciter, vt ait S.Th.p.p.q.75.ar.1. ad primum; Vno modo pro quocunque subsistente; alio modo, pro subsistente completo, in natura alicuius speciei: Primo modo excludit inhærentiam accidentis & formæ materialis; secundo modo excludit imperfectionem partis, vnde minus posset dici hoc aliquid primo modo, sed secundo modo: sic igitur anima humana cùm sit pars speciei humanæ, potest dici hoc aliquid primo modo, quasi subsistens, sed non secundo modo, sic enim compositum ex anima & corpore dicitur hoc aliquid, &c. *Quomodo anima est pars speciei humanæ.*

Homicidium, vt ait S.Th.1.2.q.100.ar.8. prohibetur in decalogo, secundū quod habet rationem indebiti, & sic semper est peccatum mortale. Et est duplex homicidiū, alterum communiter sumptum, & sic omnis occisio hominis, siue iusta, siue iniusta sit, dicitur homicidium. Alterum propriè sumptum, & sic occisio hominis ab homine iniusta, dicitur homicidium, & tale est peccatum: primum potuit dici homicidium, quando Abraam voluit sacrificare filium suum, tamen ipse non consensit in homicidium, quia debitum erat eum occidi propter Dei mandatū, qui est Dominus vitæ & mortis, ipse enim est qui pœnā infligit omnibus hominibus, iustis & iniustis, pro peccato primi parentis, cuius sententiæ si homo sit executor auctoritate diuina, non erit homicida, sicut nec Deus: quo etiā pacto Osea Propheta accedens ad vxorem fornicariam, vel adulteram, non est mœchatus, quia accessit ad eam, quæ sua erat secundùm mandatum Dei, qui est auctor matrimonij. Homicidium autem propriè quod est peccatum, vt scribit Siluester in summa sua, fit octo modis. s. facto, præcepto, consilio, defensione, permissione, cooperatione, animatione, anxiliatione; sed animatio, ad consilium; & auxiliatio, ad cooperationem reducitur; & sic fit sex modis, vt clarius ostendit hic Auctor, verbo Homicidium, &c. *Homicidium secūdùm Siluest. ū fit octo modis.*

Homo, de quo S.Th.1.p.q.75. in princ. scribit, ꝙ spectat ad Theologum ex parte animę, non antè ex parte corporis, nisi sm̄ habitudinem quam habet corpus ad animam. Et ar.4. in resp. ad 1. exponens dictum Apost. Licet his qui foris est nōster homo corrumpatur, tñ ille qui intus est renouatur de die in diē, asserit, ꝙ duplex est homo; Interior. s. qui est pars intellectiua; & exterior, qui dicitur pars sensitina cum corpore, secūdùm existimationem illorum, qui sola sensibilia considerabant, seu circa ipsa detinebantur: & ex hoc etiam dicitur homo vetus, quādo vitia & peccata sequitur: dicitur etiam homo nouus, quando est alienus ab erroribus & peccatis, & sequitur vitam Christi. Et dicitur homo ab humo, quia de limo terræ est conditus, secundùm corpus. Et diffinitur à Philosophis, quod est animal rationale mortale; à Theologis verò, quod est creatura rationalis, ad imaginē & similitudinem Dei facta, & ad beatitudinem ęternam ordinata, habens staturam rectam, vt delectetur cœlestibus, & ne habeat cerebrū depressum, & ne vteretur manibus loco anteriorū pedū, & vt possit expeditè opus oris exercere, vt docet idē S.Th.1.p.q.1.art.3.&c. *Homo diuersimodè à Theologis, & à Philosophis diffinitur.*

Honestum, vt scribit S.Th.2.2.q.145.ar.1. diuiditur in quatuor principales virtutes, in quas diuidit ipsa virtus: vnde est idē qd̄ virtus, & spiritualis decor, & pulchritudo. Et qm̄ ad rationē pulchri, siue decori, cōcurrit & claritas, & debita ꝓportio, quia Deus dr̄ pulcher sicut causa vniuersorū consonātię & claritatis, hinc pulchritudo corporis in hoc cōsistit, ꝙ homo habeat mēbra corporis bene proportionata, cū quadam claritate debiti coloris: & similiter pulchritudo spiritualis in hoc cōsistit, ꝙ cōuersatio hominis, siue actio eius, sit bene proportionata, sm̄ spiritualē rationis claritatem; hoc aūt pertinet ad rationē honesti, quod est idem cum virtute, quæ secundùm rationem moderatur omnes res humanas, &c.

Honestas, vt docet S.Th. in eodem loco, dicitur quasi status honoris, vnde ex hoc videtur aliquid dici honestum, quod est honore dignum. Honor autem est contestatio quædam de excellentia alicuius: Excellentia autem hominis maximè consideratur secundùm virtutem, quæ est dispositio perfecti ad optimum, &c.

Humanitas, vt ait S.Th.1.p.q.3.ar.3. cōpręhendit in se ea quę cadūt in definitione hominis; hic.n. homo, est homo; & hoc significat humanitas quo homo est homo. & est quoddā abstractum, non tm̄ voce, sed etiā significatione: nam homo significat suppositū subsistens in natura humana, concretū pręedicamenti substantiæ: & quia totū animal intensiuè est in ipso hoīe, sicuti & in alijs speciebus, hinc homo nō est perfectius animal, q̄ leo, & formica, in ratione animalis, sed bene in rōne vltimę differētię, contrahentis ipsum animal. Ex his hęc ꝓpositio, homo est animalitas, sicuti Mathias est humanitas, est vera, sed nō logicè loquēdo, q̄a subiectū & pręedicatū sumunt sub diuersis modis significādi, sed est vera phisicè, q̄a hō est realiter animalitas, & Mathias est realiter humanitas, formaliter ipsā includēs. *Homo significat suppositū subsistens in natura humana.*

Honor exhibetur alicui propter aliquam eius excellentiam, & ita est signum & testimonium quoddam illius excellentiæ, quæ est in honorato, quanquam honor non sit in eo qui honoratur, sed magis in honorante, qui reuerentiā exhibet honorato, vt scribit S.Th. 1.2.q.2.art.2.& 3.sent.dist.9.q.2.art.3. ait, quòd honor non debetur nisi rebus diuinis: hinc propriè & directè non debetur, nisi habenti gratiam & virtutem, quæ diuinos facit. Sed aliquis multipliciter potest habere virtutem; vel sicut actu virtuosus, & huic directè, & propriè, & secundùm se debetur honor; vel sicut habens aptitudinem naturalem ad virtutem, & sic cuilibet habenti imaginem Dei, est exhibendus honor (nisi sit confirmatus in malo, quia ligatus est in illo ordo ad virtutem) vel sicut ordinatus ad inducendum, vel conseruandū virtutem, & sic debetur omnibus Prælatis, qui ad hoc ordinati sunt, vt alios dirigant in virtutem: hinc subdito bono, debetur maior honor secundùm se, quàm malo Prælato, licet ratione prælationis, debeatur ipsi malo Prælato maior honor, quia Prælatus gerit vicem Dei; quia Deus in ipso honoratur: deinde est persona publica, & honoratur in ipso bonitas Ecclesiæ, vel Reipublicæ, quæ est maior quàm merita vnius singularis personę: adde etiam, quia prælatio se habet ad virtutem, sicut causa, efficiens in alijs virtutem: & dignius est alterius virtutis causam existere, inquantum huiusmodi, quàm virtuosum esse. Sanctis quoque debetur honor, quia sunt nostri ductores, vel per doctrinam, vel per administrationem, vel per intercessionem & exemplum. Dæmonibus & damnatis nullus honor exhiberi debet, quia ligata est in eis aptitudo ad virtutem. Irrationalibus quoque creaturis, licet sit in eis similitudo vestigij, tamen quia hęc non ponit aptitudinem ad virtutem, sed tantum similitudo imaginis, propterea eis nullus honor exhibendus est, cùm honor sit præmium virtutis, nec est sufficiens præmium virtutis, sed vt possibile homini, quamquam sit maximum bonum inter exteriora bona. Et quo ad Deum potest esse in solo corde, sed quo ad hominem est in signis exterioribus. & debetur soli subsistenti toti, licet ratio & causa honoris potest esse aliquid non subsistens, scilicet pars vel accidens. Reuerentia tamen non est honor, sed est motiuum honorantis, & est finis honoris, inquantùm scilicet aliquis ad hoc honoratur, vt in reuerentia habeatur ab alijs.

Ratione prælationis etiam malo Prælato debetur honor.

Sed tripliciter contingit appetitum honoris esse inordinatum, ex consequenti peccatū; Vno modo per hoc, quod aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet, quod est appetere honorem supra suam proportionem; Alio modo per hoc, quod honorem sibi cupit, non referendo in Deum; Tertio per hoc, quod appetitus eius in ipso honore quiescit, non referens honorem ad vtilitatem aliorum, vt scribitur 2.2. q.131. art.1. vbi disputatur si ambitio, quę importat inordinatum appetitum honoris, est peccatum mortale; & cum contrarietur charitati, vt habet Apost. ad Cor. epist.1.cap.13. Charitas non est ambitiosa, nec quęrit quę sua sunt, manifestum est ipsam esse letale peccatum, &c.

Appetitus honoris quando est inordinatus, & quando peccatum.

Hora apud veteres accipitur pro cuiusus temporis parte; vnde quatuor illę anni partes, Ver, Æstas, Autumnus, & Hyems, anni horę dictę sunt; hodie tamen magis accipimus pro æqualibus illis spacijs, in quę dies diuiditur. Et dictæ sunt horæ à Sole, quia Ægyptij Solem vocabant Horum, vnde horę, Solis ministræ dictæ sunt: vel, vt alij volunt, horas dictas fuisse ab vrina, ferunt enim Hermetem Trimegistum horas primum obseruasse ex vrina cuiusdā animalis, quod ęqualibus interpositis interuallis vrinam duodecies emittebat, vnde placuit in totidem horas diem ciuilem diuidere, qui tamen postea duplicato numero in horas vigintiquatuor est distinctus: & propter hanc distinctionem horarum ait S.Th.3.p.q.46.art.9.ad 2.arg. exponens illud Ioan. Hora erat quasi sexta cùm traditus est Dominus crucifigendus à Pilato, non enim erat plenè sexta, sed quasi sexta, idest peracta quinta, & aliquid de sexta esse cœperat, donec completa sexta, Christo pendente in cruce, tenebrę fierent. Intelligitur autem fuisse hora tertia, cum clamauerunt Iudęi vt Dominus crucifigeretur; & veracissimè demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamauerunt; ergo ne quisquam cogitationem tanti criminis auersus à Iudęis in milites converteret, erat inquit hora tertia, & crucifixerunt eum, vt illi eum potius crucifixisse inueniantur, qui hora tertia vt crucifigeretur clamauerunt: vnde hora matutina comprehenditur, ligatur vt latro, ad Annam primo, deinde ad Caipham ducitur, cęditur, molestatur; hora diei prima coram Pręside sistitur & accusatur; hora tertia linguis Iudęorum crucifigitur, nudatur, flagellatur, coronatur, purpura illusoriè vestitur; hora sexta contemnitur, eijcitur, condemnatur, cruce oneratur, crucifigitur; hora nona in cruce tensus, sitiens, & clamans magna voce moritur; hora vespertina latus lancea perforatur, ac de cruce mortuus deponitur; Completorij hora sepelitur, ac sepulchrum positis custodibus clauditur,

clauditur, signatur: ecce nullum tempus, aut ætas inuenitur, in qua salus mundi non pateretur, &c.

Hora canonica est officium diuinum, dicendum certa hora, ex institutione Sacrorum Canonum; & sunt septem, in quibus passus est Saluator noster, vt supra dictum est; & tenentur ad has horas canonicas persoluendas ex præcepto in iure contento, soli Presbyteri, expressè; communiter tamen tenentur omnes constituti in sacris ordinibus, & beneficiati percipientes de fructibus beneficij. Professi in religione, non tenentur de iure, nisi sint constituti in sacris, quamquam ex consuetudine videtur eos teneri & obligari: Conuersi autem & tertiarij nullo pacto tenentur, quia ad seruitia clericorum recipiuntur in religionibus, in quorum statutis decernũtur eis quædam orationes pro horis canonicis. Illi tamen qui obligantur, non solum debent persoluere horas canonicas, sed etiam alia adiuncta, puta suffragia, officium Beatæ Virginis, & mortuorum; Tenentur etiam sub peccato mortali persoluere cum omni studio & deuotione qua decet, vt patet de celebratione Missarum, cap. Dolentes, in quo ita præcipitur, Districtè præcipientes sub virtute obedientiæ, vt diuinum officium, diurnum pariter, & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiosè celebrent, pariter & deuotè; & hoc præceptum non est impossibile obseruari, quia intelligitur, quòd quando quis animo vacandi Deo horas inchoet, in contrariũ animus iste non mutatur, dum exoluit diuinum officium. Tempus autem persoluendi diuinum officium his qui priuatim dicunt ipsum, est totus dies, inchoans a vespere præcedentis diei, vsque ad mediam noctem sequentis diei; ita tamen vt solas matutinas liceat in vespere præcedenti dicere. Est tamen graue peccatum, sine rationabili causa retardare multum horas, vt dicere Primam hora nona, vel vesperarum; preuenire tamen vt quietius aut deuotius dicatur, consulitur à multis. Tempus verò publicæ celebrationis horarum, est iuxta laudabilem cuiuslibet Ecclesię ac patriæ consuetudinem. De loco etiam persoluendi diuinum officium, dicendum est, quòd nullus est locus in quo non liceat priuatè diuinum officium exoluere; publicè autem in Ecclesia celebrandum esse iura iubent deputatis ad illud, ita quod deponendi clerici à consortio sunt, qui castigati nolunt interesse, vt in decretis dist. 92. cap. vltimo decernitur; vbi tamen contemptus deest, & propter absentiam alicuius non notabiliter læditur diuini cultus officij, grauiter tamen peccat, qui sine rationabili causa se subtrahit a debitis horis persoluendi officij diuini, quia grauis est ratio diuini debiti, &c.

Non omnes tenentur horas canonicas dicere.

Officij persoluendi tempus, est totus dies.

Hostia non consecrata, nullo modo debet dari loco consecratę, quia vt docet S. Thom. 3. par. q. 80. art. 6. ad 2. Sacerdos hoc faciens, quantum in se est, facit idolatrare illos qui credunt esse hostiam consecratam, siue alios præsentes, siue etiam ipsum sumentem; quia vt Aug. ait, Nemo carnem Christi manducet, nisi prius adoret; vnde extra de celebratione Missarum, cap. de homine, dicitur, Licet is qui pro sui criminis conscientia reputat se esse indignum, peccet grauiter, si se ingerat, grauius tamen videtur offendere, qui fraudulenter illud prępsumpserit simulare; & q. 79. art. 7. ad 3. docet, quòd sumptio pertinet ad rationem Sacramenti, sed oblatio pertinet ad rationem sacrificij; & ideo ex hoc, quod aliquis sumit corpus Christi, vel etiam plures, non accrescit alijs aliquod iuuamentum; similiter etiam ex hoc quod Sacerdos plures hostias consecrat in vna Missa, non multiplicatur effectus huius Sacramenti, quia non est nisi vnum sacrificium: nihil enim est plus virtutis in multis hostijs consecratis, quàm in vna, cum sub omnibus & sub vna non sit nisi totus Christus, vnde nec si aliquis simul in vna Missa multas hostias consecratas sumat, participabit maiorem effectum Sacramenti. Et nota, quòd hostia dicitur, quod ad hostium tabernaculi ducebatur, manibus offerentium impositis capiti eius, vt sic significaretur, quòd per ipsam ad sancta pateret accessus; vel ideo, quia pro vincendis, vel iam victis hostibus offerebatur. Et capitur tripliciter, Primo communiter, pro omni sacrificio quod offerebatur Deo in lege antiqua, siue esset pro expiatione peccatorum, siue pro pace habenda; Secundo capitur pro sacrificio quod offerebant Pagani & idolatrę idolis, pro victoria habenda. Tertio modo capitur magis propriè, & est idem quod Sacramentum Eucharistię, & sunt illę species panis & vini. s. illa albedo, & illa rotunditas, sub quibus cõtinetur corpus Christi: & sic intelliguntur illę propositiones, hostia frangitur, diuiditur, hostia consecratur, quia consecratio propriè loquendo, respicit speciem continentem, & non corpus contentum. Quarto capitur hostia pro re contenta in ipsa hostia, & est ipse Christus, vnde canit Ecclesia, O verè digna hostia, per quã fracta sunt tartara; & Apostolus ad Eph. 5. Qui dedit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam Deo, in odo-

Hostia tripliciter accipitur.

in odorem ſuauitatis; & D.Ambr. In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem potens, quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius. & vna eſt hoſtia, & non multæ. Capitur & hoſtia quandoque pro pane conuertendo in corpus Chriſti, vt ibi, Suſcipe Sancta Trinitas hanc oblationem ſeu hoſtiam. Capitur & poſtremo pro homine iuſto, totaliter ſe Deo offerente, vt dixit S.Lucia, Faciat quod voluerit Deus de hoſtia ſua, &c.

Humidum radicale, eſt totum id, in quo fundatur virtus ſpeciei, quod ſi ſubtrahatur, reſtitui non poteſt, ſicut ſi amputetur manus, aut pes, vel aliquid huiuſmodi: ſed humidum nutrimentale eſt, quod nondum peruenit ad ſuſcipiendum perfectè naturā ſpeciei, ſed eſt in via ad hoc, ſicut eſt ſanguis, & alia huiuſmodi: vnde ſi talia ſubtrahantur, remanet virtus ſpeciei in radice, quæ non tollitur. Et 2.ſent.diſt.30.q.2.art.1.ad tertium, ait S.Th. quòd ſecundùm medicos, humidū quod ex primis generantibus trahitur, non oportet vt dicatur radicale, quia ſemper remanet diſtinctum ſecundùm materiam, & proprietatem, ab humido ex alimento generato, ſed quia calor naturalis in illo humido prius extitit, & illud quod permiſcetur, non participat ſpeciem, niſi ex virtute illius humidi cui permiſcetur, vnde eſt quaſi radix totius illius, quod poſtmodum ex alimento cōuertitur, non autem ita quod vtrunque humidum poſt finem digeſtionis vltimæ diſtinctum remaneat, ſed totum permixtum accipit vnam proprietatē ex vtraq; materia. ſ. quæ prius ſuberat primo humido, & ſecundo aduenienti, æqualiter ſe habet ad hoc, quod tranſeat, & ad hoc, quod virtutem ſpeciei participet. Nec dicitur conſumi humidum radicale propter diſceſſum talis materiæ, ſed propter hoc, quod non permanet proprietas, quam totum mixtum habebat ex virtute primi humidi: tunc enim non poteſt fieri reſtauratio, quia virtus ſpeciei non manet; ſicut etiam ſi tota manus amputetur, non reſtauratur per nutrimentum, quia non manet virtus ſpeciei determinata huic organo; & propter hanc etiā cauſam dicuntur quædam membra ex humido radicali compoſita, non quod nihil nutrimenti in ſubſtantiam illorum membrorum tranſeat, cùm quodlibet membrum corporis proportionabiliter augeatur, ſed quia in illis membris principaliter virtus ſpeciei conſiſtit, quæ eſt ex humido radicali: nec poteſt aliqua abſciſſio ab eis fieri, quin auferatur virtus ſpeciei, quantum ad aliquam partem determinatam, & propter hoc etiam talia membra decia non ſanantur, &c. ſed doctrina tradita 1.par.q.119.art.1. ad tertium, eſt magis reſoluta, &c.

Quo modo quædā membra in humido radicali cō poſita dicuntur.

Humilitas, vt ſcribit Doctor Sanctus 2.2.q.161.art.1. ad primum, dicitur quaſi humi acclinus, ideſt imis inhærens: quod quidem contingit dupliciter; Vno modo ex principio extrinſeco, puta cùm aliquis ab alio deijcitur, & ſic humilitas eſt pœna; Alio modo à principio intrinſeco, & hoc poteſt fieri quandoque quidē bene, puta cum aliquis conſiderans ſuum defectum, tenet ſe in infimis, ſecundum ſuum modum, ſicut Abraam dixit ad Dominum, Geneſ. cap.18. Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis; & hoc modo humilitas ponitur virtus. Quandoque autem poteſt fieri male, puta cùm homo honorem ſuum non intelligens, comparat ſe iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, vt de noſtris primis parentibus patet: & quia humilitas vt eſt virtus, temperat & refrenat animum ne immoderatè tendat in excelſa, quia in homine duo conſiderari poſſunt, ſcilicet id quod eſt Dei, & id quod eſt hominis; hominis autē eſt quicquid pertinet ad defectum, ſed Dei eſt quicquid pertinet ad ſalutem & perfectionem, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael, ex te eſt, ex me tantùm auxilium tuum. Humilitas autem propriè reſpicit reuerentiam qua homo Deo ſubijcitur, & ideo quilibet homo ſecundùm id quod ſuum eſt, debet ſe cuilibet proximo ſubijcere, quantum ad id quod eſt Dei in ſeipſo, non autem hoc requirit humilitas, vt aliquis id quod eſt Dei in ſeipſo, ſubijciat ei, quod apparet eſſe Dei in altero: nā illi, qui dona Dei participant, cognoſcunt ea ſe habere ſecundùm illud 1.ad Cor.cap.2. Vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, & ideo abſq; præiudicio humilitatis, poſſunt dona quæ ipſi acceperunt, præferre donis Dei, quæ alijs apparent collata, ſicut Apoſt.ad Epheſ.3.dicit, Alijs generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius: ſimiliter etiam non hoc requirit vt id quod eſt ſuum in ſeipſo, ſubijciat ei quod hominis in proximo; alioquin oporteret vt quilibet reputaret ſe magis peccatorem quolibet alio, cum tamen Apoſtolus abſq; præiudicio humilitatis dicat ad Gal.2. Nos autem Iudæi non ex Gentibus peccatores. Poteſt tamen aliquis reputare aliquid boni eſſe in proximo, quod ipſe non habet, vel aliquid mali in ſe eſſe, quod in alio non eſt, ex quo ſe poteſt ei ſubijcere per humilitatē; & quia humilitas

Duo conſiderari poſſūt in homine, id quod eſt Dei, & id quod eſt hominis.

(ſicut

(ficut & cęteræ virtutes) præcipuè interius in animo confiftit, ideo poteft homo fecũdùm interiorem actum animæ alteri fe fubijcere, fine hoc quod occafionem habeat alicuius, quod pertineat ad detrimentum fuæ falutis: & hoc eft quod Auguft. ait in regula, Timote coram Deo Prælatus fubftratus fit pedibus veftris. Hęc omnia habentur fecundùm doctrinam S. Thomæ 2.2.q.161.art.3. &c.

Humilitatis gradus, ait S. Thom. 2.2.q.161. art.6. fecundùm regulam Beati Benedicti, funt duodecim; quorum Primus eft, corde & corpore femper humilitatem oftendere, defixis afpectibus in terram; Secundus eft, vt pauca verba & rationabilia loquatur aliquis, non clamofa voce; Tertius, vt non fit facilis aut promptus in rifum; Quartus, taciturnitas vfq; ad interrogationẽ; Quintus, tenere quod habet communis monafterij regula; Sextus, credere & pronunciare fe effe omnibus viliorem; Septimus, ad omnia indignum & inutilem fe confiteri, & credere; Octauus, confeffio peccatorum; Nonus, pro obedientia in duris & afperis patientiam amplecti; Decimus eft, vt cum obedientia fe fubdat maioribus fuis; Vndecimus, vt voluntatem propriam non delectetur implere; Duodecimus, vt Deum timeat, & memor fit omnium quæ præcipit. Et rationabiliter funt ifti duodecim gradus humilitatis, quia ipfa humilitas effentialiter confiftit in appetitu, fecundum quod aliquis refrenat impetum animi fui, ne inordinatè tendat in magna, fecundum regulam quã debet habere in cognitione, vt.f. aliquis non fe exiftimet fupra id effe quod eft. Et vtriufque principium & radix eft ipfa reuerentia, quam habet ad Deum; ex interiori autem difpofitione humilitatis procedunt quædam exteriora figna, in verbis, & factis, & geftibus, quibus id quod interius latet manifeftatur, ficut in cæteris virtutibus, nam ex vifu cognofcitur vir, & ab occurfu faciei fenfatus, vt dicitur Ecclefiaft. 19. & ideo in prædictis gradibus humilitatis ponitur aliquid quod pertinet ad humilitatis rationẽ .f. duodecimus gradus, qui eft, vt homo Deum timeat, & memor fit omnium quæ præcipit. Ponitur etiam aliquid pertinens ad appetitum, ne.f. in propriam excellentiam inordinatè tendat; quod quidem fit tripliciter; Vno modo vt homo non fequatur propriam voluntatem, quod pertinet ad vndecimum gradum; Alio modo, vt regulet eam fecundum fuperioris arbitrium, quod pertinet ad gradum decimum; Tertio modo, vt ab hoc non defiftat propter dura & afpera quæ occurrunt, & hoc pertinet ad nonum. Ponuntur etiam quædam pertinentia ad exiftimationem hominis recognofcentis fuum defectum, & hoc tripliciter; Vno quidem modo per hoc quod proprios defectus confiteatur, quod pertinet ad octauum gradum; Secundo, vt ex confideratione fui defectus aliquis infufficientem fe exiftimet ad maiora, quod pertinet ad feptimum; Tertio, vt quantum ad hoc alios fibi præferat, quod pertinet ad fextũ. Ponuntur etiam quædam, quæ pertinent ad exteriora figna, quorum vnum eft in factis, vt fcilicet homo non recedat in fuis operibus à via communi, quod pertinet ad quintum: alia duo funt in verbis, vt.f. homo non præripiat tempus loquendi, quod pertinet ad quartum; nec excedat modum in loquendo, quod pertinet ad fecundum: alia verò confiftunt in exterioribus geftibus, puta in reprimendo excellentiam oculorum, quod pertinet ad primum; & cohibendo exterius rifum, & alia inepta lætitiæ figna, quod pertinet ad tertium: & fic patet quomodo rationabiliter funt hi humilitatis gradus, &c.

Humilitatis duodecim gradus cõftituuntur.

Hypocrifis, vt docet S. Thomas 2.2.q.111.art.2. eft quædam fimulatio, qua quis fimulat fe habere perfonam quam non habet: & ob hoc opponitur veritati, per quam aliquis exhibet fe talem vita & fermone qualis eft. & nafcitur ex inani gloria, vt ait Gregorius lib. 13 moralium.

Hypocrita, vt docet S. Th. vbi fupra, de mente Ifidori in lib. Ethymologiarum, græco fermone dictus, in latino fimulator interpretatur, qui cum intus malus fit, bonũ fe palam oftẽdit, ὑπὸ enim falfum, κρίσις iudicium interpretatur; vnde nomen hypocritæ tractum eft à fpecie eorum, qui in fpectaculis contecta facie incedunt, diftinguentes vultum vario colore, vt ad perfonæ quam fimulant colorem perueniant, modo in fpecie viri, modo in fpecie fœminæ: vnde Aug. dicit in fermone Domini in monte; quòd ficut hypocritæ fimulatores aliarum perfonarum agunt partes illius quod non funt, non enim qui agit partes Agamemnonis, verè ipfe eft, fed fimulat eum: fic in Ecclefijs, & in omni vita humana, qui fe vult videri quod non eft, hypocrita eft, fimulat fe iuftum non exhibet: hinc in hypocrifi duo funt .f. defectus fanctitatis, & fimulatio ipfius; fi ergo hypocrita dicatur ille cuius intentio fertur ad vtrunque, vt.f. aliquis non curet fanctitatem habere, fed folus fanctus apparere, ficut confueuit accipi in facra fcriptura, fic manifeftum eft, quod eft peccatum mortale, nullus enim totaliter priuatur fanctitate, nifi per peccatum mortale; fi autem dicatur

In hypocrifi duo funt, defectus fanctitatis, & fimulatio ipfius.

dicatur hypocrita ille qui intendit simulare sanctitatem, à qua deficit per peccatũ mortale, tunc quamuis sit in peccato mortali ex quo priuatur sanctitate, non tamen semper ipsa simulatio est ei peccatum mortale, sed quandoque veniale, quod discernendum est ex fine, quod si repugnat charitati Dei, vel proximi, erit peccatum mortale, puta cum simulat sanctitatem, vt falsam doctrinam disseminet, vel vt adipiscatur Ecclesiasticam dignitatem indignus, vel quæcunque temporalia bona, in quibus finem constituit; si verò finis intentus non repugnat charitati, erit peccatum veniale, puta cum aliquis in ipsa fictione delectatur, de quo dicitur, quòd magis videtur vanus, quàm malus: eadem est ratio de mendacio, & simulatione; contingit tamen quandoq; quod aliquis simulat perfectionem sanctitatis, quæ non est de salutis necessitate, & talis simulatio nec semper est peccatum mortale, nec semper est cum peccato mortali, &c.

Hypostasis apud Grecos ex propria significatione nominis habet, quòd significet quodcunque indiuiduum substantiæ, sed ex vsu loquendi habet, quòd sumatur pro indiuiduo naturæ rationalis, propter suam excellentiam, vt ait S.Th p.p.q 29. art. 2. in resp. ad primum, & in corp. ait, quòd substantia dicitur dupliciter; Vno modo dicitur substantia quidditas rei quam significat diffinitio, secundùm quod dicimus, quòd diffinitio significat substantiam rei, quam quidem substantiam Græci vsiam vocant, quod nos essentiam dicere possumus; Alio modo dicitur substantia subiectum, vel suppositum, quod subsistit in genere substantiæ; & hoc quidem communiter accipiendo nominari potest, & nomine significante intentionem, & sic dicitur suppositum. Nominatur etiam tribus nominibus significantibus rem, quæ quidem sunt, res naturæ, subsistentia, & hypostasis, secundùm triplicem considerationem substantiæ sic dictæ; secundùm enim quod per se existit, & non in alio, vocatur subsistentia (illa enim subsistere dicimus, quæ non in alio, sed in se subsistunt) secundùm verò quod supponitur alicui naturæ communi, sic dicitur res naturæ, sicut hic homo, est res naturæ humanæ; secundùm verò quod supponitur accidentibus, dicitur hypostasis, vel substantia, &c.

Substãtia dupliciter dicitur.

Hyperdulia dicit maiorem reuerentiam, & seruitutem, honorem, adorationem, quàm dicat ipsa dulia, propterea hac reuerẽtia hyperduliæ adoranda est Mater Christi, quæ cùm sit pura creatura rationalis, non debetur ei adoratio latriæ, sed solum veneratio duliæ, eminentius tamen, quàm cæteris creaturis, inquantùm ipsa est Mater Dei: & ideo non qualiscunque dulia ei debetur, sed hyperdulia, vt ait S. Thom. 3.p q. 25. art. 5. Hac quoque adoratione est adoranda humanitas Christi, si consideratur vt separata à Verbo Dei, vt habetur in resp. ad primum, 2. art. sic etiam & Crux Christi, in qua passus est, quia tetigit ipsum Christum, ratione contactus adoratur hyperdulia, vt verò repræsentat ipsum Christum extensum in ea, adoratur adoratione latriæ, sicut & cæterę Cruces, quia repræsentant Christum, &c.

DE LITERA I.

HÆc litera est tertia inter vocales, & minima inter omnes literas, apud omnes nationes, & præsertim apud Hebręos, iuxta illud dictum Saluatoris, Iod vnum non præteribit à lege, &c. hoc Iod est minimum punctum in Alphabeto Hębraico. Apud Græcos etiam dicitur Iota, quæ est minima litera apud eos, sicut i, apud nos, sed Græci non punctuant ipsam supra; nos verò addimus punctum, vt in præsenti i.

Iactantia propriè importare videtur, quod homo verbis se extollat, illa enim quæ vult homo longe iactare, in altum eleuat; tunc enim propriè aliquis se extollit, quãdo de se supra se aliquid dicit. Et hoc potest esse quinque modis, vt docet S.Th. 2.2.q. 112. Primo contra charitatem Dei, vt fecit Rex Tyri, Ezechię 28. Eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum. Secundo, contra charitatem proximi, sicut cùm quis prorumpit in contumelias aliorum, vt habetur Lucæ 18 de Pharisęo, qui dixit, Non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, veluti hic Publicanus. Tertio, quando nascitur ex superbia, vel inani gloria, vt cùm quis iactat se, quasi quod non acceperit à Deo, iuxta illud, Quid habes, quod non accepisti? Quarto, quando iactantia nascitur ex cupiditate lucri, cum damno proximi, intus, vel extra, vt cùm quis iactat se Doctorem esse, aut Medicum, & inde falsam doctrinam seminat, vel pecuniam exhaurit, aut corpora lædit. Quinto, cùm quis vsque adeò delectatur iactantia, vt in ea finem poneret, puta quia non

Iactãtia quinque modis fieri potest.

curat

curat de præceptis Dei, vt impleat appetitum se iactando, & his omnibus est peccatum mortale; extra verò hos quinque casus iactantia est peccatum veniale, &c.

Idea, vt ait S.Th.p.p.q.15.ar.3. à Platone ponebatur principium cognitionis rerum, & generationis ipsarum; ad vtrumque autem se habet idea, proue in mente diuina ponitur; & secundùm quod est principium factionis rerum, exemplar diei potest, & ad practicam cognitionem pertinet, prout verò est principium cognoscitiuum, propriè dicitur ratio; & potest etiam ad scientiam speculatiuam pertinere; prout exemplar est, secundùm hoc se habet ad omnia, quæ cognoscuntur à Deo, & fiunt secundùm aliquot tempus; secundùm verò quod est principium cognitionis se habet ad omnia quæ cognoscuntur à Deo, etiam si nullo tempore fiant, & ad omnia quæ à Deo cognoscuntur, secundùm propriam rationē, & secundum quod cognoscuntur ab ipso per modum speculationis: cum ergo idea dicatur ab idor.i.ab aqua, quia sicut in aqua repræsentantur variæ imagines, sic in mente diuina repræsentantur variæ res per huiusmodi ideas, seu formas: vnde Plato rectè sensit de ideis, quia posuit eas ad modum Theologorum; sed Arist. ex inuidia ipsum impugnauit; & quia, vt aliqui dicunt, Arist. fuit optimus Physicus, sed pessimus Metaphysicus; licet in quodam meo peculiari tractatu de concordantia idearum, ostenderim Arist. non aduersari Platoni in hac materia, & tu vide ibi.

Aristoteles male impugnauit Platonem in idearum constitutione.

Idem, vt ait S.Th.1.sent.dist.4.q.1.ar.3.ad tertium, significat vnitatem in substantia, vt habetur 5.Metaph. Idem est vnum in substantia, sicut æquale vnum in quantitate, & simile vnum in qualitate. Sed præter hoc, idem cùm sit relatiuum, & habet dearticulationem implicitam, importat vnitatem suppositi.& dist.19.q.1.art.1.ad primum; ait, quòd idem potest capi masculinè, & sic Filius non est idem Patri, & Spiritui sancto, quia tunc esset idem suppositum: potest etiam capi neutraliter, & sic dicit essentiam, quo modo Filius est idem Patri & Spiritui sancto. & 2.sent. dist.1.q.1. art.5. ad nonum, ait, quòd idem semper facit idem, si accipiatur secundùm propriam rationem, qua agens determinatè producit hunc effectum, &c.

Idem masculinè, & neutraliter dicitur.

Idolatria, vt docet S.Tho.2.2.q.94.art.1. ad primum, est species superstitionis, & opponitur latriæ, quia sicut latria exhibet cultum Deo, ita idolatria exhibet cultum ipsi creaturæ. & est grauissimum peccatorum secundùm se, sed ex parte peccantis est hæresis. Et potest esse quadruplex.s.ciuilis, idest imaginum, habentium deitatem; fabularis, idest hominum deificatorum; physica, idest animæ totius mundi, secundùm Varronem; & Platonica, idest intelligentiarum, animarum cœlestium, Dæmonum, & animarum hominum. Et causa huius idolatriæ est duplex, vt habetur 4.art.q.94. Altera dispositiua ex parte hominum; & hoc tripliciter: Primo ex inordinatione affectus, prout.s.homines aliquem hominem nimis amantes, impenderunt ei diuinum honorem: Secundo, quia homo naturaliter delectatur de repræsentatione: Tertio, propter ignorantiam veri Dei. Altera causa idolatriæ fuit consumatiua ex parte Dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus, exhibuerunt in idolis, dando responsa, & aliqua quæ videbantur hominibus mirabilia faciendo.

Idolatria quadruplex, Ciuilis, Fabularis, Physica, & Platonica.

Causa idolatriæ duplex.

Idolum, vt habet S.Th. vbi supra ar.1.in corp. est creatura aliqua repræsentata, per aliquam formam, seu figuram sensibilem, cui exhibetur diuinus cultus: hinc dicitur idolatra, idest idolorum cultor, & idolatria, idest exhibitio honoris verè, vel interpretatiuè, aut attributiuè alicui creaturæ, aliter quā sibi competere potest: quia idolum non esse Deum quintuplieiter haberi potest. Primo, ex lege naturæ hoc dictante. Secundo, ex lege scripta hoc prohibente. Tertio, ex consideratione creaturarum terrestrium. Quarto, ex cœli magnitudine. Quinto, ex subiugatione magnorum, vt habes à D.Th.super Esa.cap.40.&c.

Idioma, vt docet S.Th.3.p.q.16.ar.5.de mente Damasceni, est proprietas, vnde est illud vulgatum dictum apud Theologos, Deus & homo in vnione hypostatica communicauerunt sibi idiomata.i.proprietates: communicatio enim idiomatum, est mutua verificatio prædicatorum in Christo, ratione vnius suppositi, sine aliqua diminutione diuinę perfectionis, ita vt Deus prædicetur de concreto humanæ naturæ.i.homine, & econuerso, vt dicamus, Deus est homo, & homo est Deus, homo est æternus, infinitus, creator, Deus est temporalis, corruptibilis, passibilis, mortalis, pauper; & hoc in concreto tantum, non autem in abstracto, quia abstracta naturarum non prædicantur de seinnicem, vt dicatur Deus est humanitas, & homo est diuinitas, &c.

Idiomata diuina communicantur.

Ieiunium, vt scribit S.Tho.2.2.q.147.ar.2.ad primum, secundùm se consideratum, non nominat aliquod eligibile, sed pœnale quoddam; redditur autem eligibile, secundùm

Ieiunium duplex, spirituale, & corporale, & hoc duplex, natura, & gratia.

quod est vtile ad finem aliquem; & est duplex, spirituale, scilicet à peccatis, & corporale, scilicet ab escis; & hoc etiam duplex, naturæ videlicet, & ipsius Ecclesię, quod est parsimonia victus, abstinentiaq; ciborum; vnde est actus virtutis: s. abstinentiæ elicitiuæ, aliarum verò virtutum imperatiuæ: propter hoc datur ieiunium luctus, idest cum amaritudine peccatorum, & præsentis vitæ, & ieiunium exultationis. Et ibidem S.Th.q.147. commendat ieiunium per multos effectus; nec est contra libertatem Fidelium, sed contra seruitutem peccati. & omnes tenentur ad ieiunium Ecclesiæ, nisi sint legitimè impediti, & euidēs causa non ieiunandi, vt in pueris, & senibus. & in Quadragesima arctius obseruatur, quàm alio tempore, &c.

Iesus, & Christus, differunt significatione

Iesus significat solùm naturam humanam, sicut hoc nomen homo; Christus verò significat vtramque naturam. s. diuinitatem vngentem, & naturam vnctam; Filius Dei significat solum diuinam naturam; Iesus quoq; dicitur salus, & Saluator, vt ait S.Th.3.p.q.16.ar.5.

Ignis in materia aliena venit in vsum nostrum, non autem in materia propria, quia est remotus à nobis, vt ait S.Th.4.sent.dist.47.q.2.ar.1.q.2. & in propria materia dicitur lux, in materia aerea dicitur flamma, in materia terrea dicitur carbo. & in sua sphęra nō lucet, nec in materia opaca terrestri, nec in sulphure, nec in fumo grosso nec in inferno. & quantum ad naturam ignis pertinet, semper est eiusdem speciei; potest autem esse diuersitas in specie quantum ad corpora, quæ sunt materia ignis, vt habet S.Th.4.sent.dist.44.q.3.ar.2, q.2.in corp. &c.

Ignorantia multimoda accepta.

Ignorantia, vt scribit S.Tho q.3.de malo, ar.7. quandoque significat negationem scientiæ, & dicitur ignorantia simplicis negationis, quæ vocatur nescientia: Secunda dicitur ignorantia, carentia scientiæ, quam quis natus est habere, & non habet, & vocatur ignorantia priuationis: Tertia dicitur ignorantia peruersę dispositionis, vt quando quis habet habitum falsorum principiorum, & dicitur prauę dispositionis. Datur etiam ignorantia affectata, illa. s. qua quis non vult scire quod tenetur, sed placet ipsum nescire, vt liberius peccet, conscientia non repugnante. Quædam verò non est affectata, & ista duplex: quædā inuincibilis, quia humano studio superari non potest, vt illa quæ est in pueris: & quædam est vincibilis, quæ duplex est, quædam crassa & supina, qua quis scienda non scit ex negligentia; quædam verò non supina; quæ est duplex, quædam improbabilis, qua. s. quis ignorat probabile, idest quod omnes vel maior pars ciuium scit; quædam verò est probabilis, qua scilicet quis ignorat improbabile, vt est illud quod omnes vel maior pars ignorat. Item datur ignorantia iuris, vt quando quis ignorat aliquod ius, puta si ego ignoro me posse succedere cognato meo decedenti; & quædam facti, quæ potest se habere ad voluntatem antecedenter, concomitanter, & consequenter: de quibus omnibus pluribus in locis agit S.Thom. sed præcipuè 12.q 6 art.8.

Illuminari aliquid tripliciter potest.

Illuminatio, vt ait S.Th.p.p.q.54.ar.3.ad secundum, est terminus motus, & est alteratio non motus localis. & non est passio, quia nihil abijcit. Et tripliciter aliquid illuminari potest, in superficie tantum, vt opaca; vel in profundo non fixè, vt diaphana; vel fixè, vt lucida; quemadmodum habetur 2.sent.dist.13.q 1.art.3. ad decimum, &c.

Imaginationis duplex officium.

Imaginatio, est idem quod phantasia, & est quasi thesaurus quidam formarum per sensum acceptarum, vt scribit S.Th.p.p.q.78.art 4.in corpore; & habet duo officia, conseruare ea quæ accepta sunt à sensibus, & iterum intellectui repræsentare. & non cognoscit naturam rei, sed tantum accidentia, licet cooperetur suo obiecto, formando species, non autem sensus, & est tantum corporalium, & singularium. & organum eius est in anteriori parte cerebri, prope vultum, &c.

Imago triplex.

Imago dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius, S.Th.p.p.q.93.ar.1.& ad eius rationem requiruntur tria, similitudo specifica, origo, & æqualitas. & dicitur personaliter in diuinis, quia est proprium nomen Filij; Impropriè autem potest esse & dici essentialiter, p.p.q.35.art.1.& est imago naturæ, imago gratiæ, & gloriæ, seu creationis, recreationis, & consumationis. & Filius Dei est imago Patris, Angelus & homo ad imaginem Dei, licet Angelus sit magis ad imaginem Dei, quàm homo, vt habet S.Th.p.p.q.93.art.3.&c.

Quis potest cognosci immunis esse à peccato quatuor modis.

Immunitas à peccato, non potest sciri per certitudinem, potest tamen haberi aliqua coniectura, præcipuè quatuor signis. Primo, cùm quis deuotè verba Dei audit. Secundo, cùm quis se promptum ad bene operandum inuenit. Tertio, cùm quis abstinendi à peccatis in futurum propositum habet. Quarto, cùm de præteritis dolet: vnde si aliquis per huiusmodi signa facta diligenti discussione suæ conscientiæ, quamuis forte non sufficienti, ad corpus Christi deuotè accedat, aliquo peccato mortali in ipso manente, quod eius

cogni-

cognitionem præterfugiat, non peccat, ſed magis ex eius perceptione, & vi Sacramenti, peccati remiſſionem conſequitur. 4.ſent. diſt. 9. art. 3.

Impeccabilis per naturam, non poteſt fieri aliqua creatura à Deo, ſed tantum per gratiam, quia eam Angelus, quàm homo, ſi in ſua natura conſidereretur, poteſt peccare, & cuicunque creaturæ hoc conuenit: vt peccare non poſſit, hoc habet ex dono gratiæ, non ex cōditione naturæ, quia peccare nihil aliud eſt, quàm declinare à rectitudine actus, quam debet habere, ſiue accipiatur peccatum in naturalibus, ſiue in artificialibus, ſiue in moralibus, ſolum autem illum actum à rectitudine declinare non contingit, cuius regula eſt ipſa virtus agendi, &c. vt habet S.Th. p.p.q. 63 art. 1. &c.

Impedimentum duplex eſt, Alterum per modum contrarietatis, ſicut frigus impedit actionem caloris, & tale impedimentum operationis repugnat fęlicitati; Aliud impedimentum eſt per modum cuiuſdam defectus, quia. ſ. res impedita non habet, quicquid ad omnimodam eius perfectionem requiritur, & tale impedimentum operationis non repugnat fęlicitati, ſed omnimodæ perfectioni ipſius, & ſic ſeparatio animæ à corpore, dicitur animam retardare, ne tota intentione tendat in viſionem diuinæ eſſentiæ: appetit enim anima ſic frui Deo, quòd etiam ipſa fruitio deriuetur ad corpus per redundantiam, ſicut poſſibile eſt, vt habes in D. Th. 1.2.q.4. art. 5. ad quartum. *Impedimentum duplex.*

Impœnitentia ſecundùm quod dicit propoſitum non pœnitendi, eſt ſpecies peccati in Spiritum ſanctum; ſm̄ autem, ꝙ dicit permanentiam in peccato vſq; ad mortem, negando peccati pęnitentiā, ſic eſt accidens, vel circūſtantia aliorum peccatorū; ſicut perſeuerantia dr̄ dupliciter, Vno modo, vt eſt virtus ſpecialis, prout dicit propoſitū perſeuerādi in bono incępto vſq; ad finē: Alio modo eſt circūſtantia aliarum virtutū, prout dicit actualē durationē in actibus virtutum vſq; ad mortē, vt habet S.Th. 2. ſent. diſt. 9 q. 1. art. 3. ad 3. arg. &c. *Quando impœnitētia eſt peccatum in Spiritum ſanctum.*

Imperare eſt actus rationis, præſuppoſito tñ actu voluntatis: vnde eſſentialiter eſt actus rationis, quia imperans ordinat eum cui imperat, ad aliquid agendum, intimando vel denunciando; ſic autē ordinare per modum cuiuſdam intimationis, eſt rationis. Sed ratio poteſt aliquid intimare vel denunciare dupliciter: Vno modo abſolutè, quę quidē intimatio exprimitur per verbū indicatiui modi, ſicuti ſi aliquis alicui dicat, hoc eſt tibi faciendum: Aliqñ aūt ratio intimat aliquid alicui, mouendo ipſum ad hoc, & talis intimatio exprimit̄ per verbū imperatiui modi, puta cū alicui dicitur, fac hoc, &c. hęc habet S.Th. 1.2.q. 17. ar. 1.

Imperium tranſlatum eſt à Græcis ad Francos, deinde per Andrianum Papam ad Germanos, apud quos per Gregorium Papam V. prouiſa eſt electio Imperatoris, vt ſcilicet per ſeptem Principes Alemanniæ fiat, quæ vſque ad iſta tempora perſeuerat, & tantum durabit, quantum Romana Eccleſia, quæ ſupremum gradum & principatum tenet, ac Chriſti fidelibus expediens iudicauerit: in quo caſu apparet Vicarium Chriſti habere plenitudinem poteſtatis, cui competit dicta prouiſio ex triplici iure. ſ. diuino, naturali, & humano, vt latius ſcribit S. Th. opuſc. 20. lib. 3. cap. 19.

Impoſſibile eſt triplex, Logicū, Mathematicū, quę claudunt in ſe contradictionē impoſſibile, Tertiū dr̄ Phyſicum, & eſt omne illud quod eſt impoſſibile alicui agenti inferiori, vt ait S. Th. de potentia Dei, q. 6. ar. 1. ad 11. aſſerens, ꝙ Logicus & Mathematicus conſiderant tm̄ res ſecundum principia formalia; vnde nihil eſt impoſſibile in Logicis & Mathematicis, niſi quod eſt contra rei formalem rationem, & huiuſmodi impoſſibile in ſe contradictionem claudit, & ſic eſt per ſe impoſſibile; talia autem impoſſibilia Deus facere non poteſt: naturalis autem applicat ad determinatam materiam, vnde reputat impoſſibile id, quod eſt huic impoſſibile. Nihil autem prohibet Deum poſſe facere, quę ſunt inferioribus agentibus impoſſibilia; Impoſſibile quoque aliquando ſumitur pro difficili, vt habetur 3. par. q. 86. art. 3 ad ſecundum, vbi agitur de peccato in Spiritum ſanctum, quod impoſſibiliter remittitur. i. difficulter, ſecundùm quod dicitur illum non poſſe ſanari, qui non poteſt de facili ſanari, & magnum lapidem eſt impoſſibile moueri, ideſt non facile mouetur, &c. *Triplex eſt impoſſibile, Logicū, Mathematicum, & Phyſicum.*

Imprudentia dupliciter accipi poteſt, Vno modo priuatiuè, Alio modo cōtrariè, Poteſt etiam accipi negatiuè, ſed non propriè dicitur, ita. ſ. ꝙ propriè importet ſolam carentiam prudentiæ, quæ poteſt eſſe ſine peccato: priuatiuè verò imprudentia dicitur, inquantū aliquis caret prudentia, quam quis natus eſt, & debet habere, & ſic eſt peccatū ratione negligentię: contrariè verò accipitur ſecundū quod ratio contrario modo, mouetur, vel agitur, prudentię, puta ſi recta ratio agit cōſiliando, imprudens conſiliū ſpernit, & ſi hoc cōtingit ꝑ auerſionē à regulis diuinis, eſt peccatū mortale, ſi verò pręter eas agat, abſq; contēptu, & abſq; detrimēto eorū q̄ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſt veniale, vt ait S.T. 2.2. q. 53. ar. 1. i cor.

Diuersas habitudines habet hic terminus in.

In, secundùm quod diuersis adiungitur, diuersas habitudines notat, vt cùm dicitur esse in toto, vel esse in loco, & huiusmodi: hinc aliud est esse in scientia Dei, in qua bona & mala sunt, & aliud in essentia Dei, in qua sunt tantum diuinæ personæ proprietates, & attributa; & aliud est in esse Dei, quo pacto creaturæ non sunt in esse Dei, & alind est subijci operi Dei, & sic creaturæ sunt in Deo, vt ait S.Th.1.sent.dist.36.q.1.ar.3.in corp. Hoc etiã habet Arist.in prædicam. quòd in, dicit diuersas habitudines, & 4.etiam Phys.in sunt totum pars, species genus, & calor igni, Rex in regno, res in fine, locoq; locatum, &c.

Incarnatio Christi, principaliter fuit ad tollendum peccatũ originale, per quod totum genus humanum infectum erat, & erat maius extensiuè, sicut albedo dicitur maior, quæ est in maiori superficie: secundario autem fuit propter peccatum actuale, quod est maius intensiuè, sicut albedo dicitur maior, quæ est intensior, vt scribit S.Thom.3.p.q.1.art.4. & probabilius est D.um non fuisse incarnandum, si non fuisset peccatum, quamuis potuisset. Et incarnari idem est, quòd carnem assumere, vel carnem fieri, vel hominem fieri secundùm carnem, quod fuit possibile & conueniens Deum incarnari, immo necessarium, non simpliciter, sed ad bene esse, quia Deus aliter potuerat reparare humanum genus. Incarnationem, atque exinanitionem Christus non meruit, nec aliquis purus homo ex condigno, sed tantum ex congruo, &c.

Incorruptibile triplex, ex parte materiæ, formæ, & causæ.

Incorruptibile tripliciter dicitur, Primo, ex parte materiæ, eo.f.quod vel non habet materiam, sicut Angelus, vel habet materiam, quæ est impotentia tantum ad vnam formam, vt corpus cœleste. Secundo, aliquid est incorruptibile ex parte formæ, quia scilicet rei corruptibili per naturam inhæret aliqua dispositio, per quam totaliter à corruptione prohibetur, & hoc dicitur incorruptibile per gloriam. Tertio dicitur aliquid incorruptibile ex parte causæ efficientis, & sic homo in statu innocentiæ erat incorruptibilis, ab anima vt ab influente & continente; & à bona & æquali complexione corporis, sicut a dispo nente & suscipiente; & a ligno vitæ, vt a vegetante & restaurante id quod erat deperdibile; & a regimine diuinæ prouidentiæ, sicut interius conseruante, & exterius protegente, prout docet S.Th.p.p.q.97.per totam; & præsertim art.1.

Indiuiduum quadruplex, signatum, discretum, circumlocutum, & vagum.

Indiuiduum est quod in se est indistinctum, & ab alijs distinctum, veluti persona, quæ in qualibet natura humana, significat id quod est distinctum in natura illa, sicut in humana natura significat has carnes, & hæc ossa, & hanc animam, quæ sunt principia indiuiduantia hominem, vt docet S.Th.p.p.q.29.art.4.in corp. vnde duo sunt de ratione indiuidui, scilicet incommunicabilitas, & non posse esse in pluribus. & dicitur quadrupliciter; Signatum, vt iste homo legit; Discretum, vt Sortes orat; Circumlocutum, vt Sophronici primogenitus; & vagum, vt aliquis homo. & possunt significari per nomina secundę intentionis, sicut per hæc nomina indiuiduum, particulare, & singulare, vt substat accidentibus; & per nomen primæ intentionis.f.per substantiam primam, & hipostasim, vel personam, vt substat naturæ communi primo intentionaliter.f.res naturæ, & secundo intentionaliter, scilicet suppositum, &c.

Indiuisibile duplex.

Indiuisibile est duplex; Vnum quod est terminus continui, vt punctum in permanentibus, & momentum in successiuis; & quia hoc habet determinatum situm, non potest esse in pluribus locis, sic & indiuisibile actionis vel motus, quia habet determinatum ordinẽ, non potest esse in pluribus partibus temporis. Alterum est indiuisibile, quod est extra totum genus continui, & hoc modo sunt substantiæ incorporeæ, vt Deus, Angelus, & anima sunt indiuisibiles: tale igitur indiuisibile non applicatur ad continuum, sicut aliquid eius, sed inquantum contingit illud sua virtute; vnde secundum quod virtus sua se potest extendere ad vnum vel multa, ad paruum vel magnum, secundum hoc est in vno vel in pluribus locis, vt habet S.Th.p.p.q.8.ar.2.ad secundum. Datur adhuc indiuisibile actu, quod est diuisibile in potentia, vt continuum; & indiuisibile secundùm speciem, vt ratio hominis est quoddam indiuisibile; datur indiuisibile actu & potentia, vt vnitas p.p.q.84.ar.8. in corpore.

Indulgentia valet & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad iudicium Dei ad remissionem pœnę residuæ post contritionem, & absolutionem, & confessionem, siue sit iniuncta, siue non, vt scribit latius S.Th.4.sent.dist.20.q.1.ar.3.ad quęst.1. Est enim indulgentia quędam remissio pœnæ debitę pro peccato post contritionem habitam, à Deo, quam indulgentiam dant Prelati: vel indulgentia est pœnę relaxatio, quam quis iustè pro culpis proprijs facere debuisset, de thesauro Ecclesię ad diuinam iustitiam persoluendam sumpta; & tantum valet quantum sonat, puta quadraginta dies indulgentiæ valent quadra-

ginta

ginta dies pœnitentiæ. Plenaria indulgentia, est remissio totius pœnę, siue iniuncta, vel non iniuncta sit, apud S.Thom. vbi supra &c. *Plenaria indulgentia est remissio totius pœnæ iniunctæ, vel non iniunctæ.*

Infernus est quadruplex: Vnus damnatorum, in quo sunt tenebrę, & quantum ad carentiam diuinę visionis,& quantum ad carentiam gratię,& est ibi pœna sensibilis. Alius est supra istum, in quo sunt tenebrę,propter carentiam diuinæ visionis, & propter carentiam gratiæ,sed non est ibi pœna sensibilis,& dicitur limbus puerorum. Alius supra hunc est, in quo sunt tenebræ quantum ad carentiam diuinę visionis, sed non quantum ad carentiam gratiæ, sed est ibi pœna sensus, & dicitur purgatorium. Alius magis supra est, in quo est tenebra quantum ad carentiam diuinę visionis, sed nō quantum ad carentiam gratię,neque est ibi pœna sensibilis, & hic est infernus sanctorum Patrum, & in hunc tantum Christus descendit, quantum ad locum, sed non quantum ad tenebrarum experientiam. S.Th.3.sent.dist.22.q.2.art.1. *Infernus quadruplex.*

Infideles sunt in duplici ordine; quidam qui nunquam susceperunt Fidem, sicut Gentiles & Iudęi,& tales nullo modo sunt ad Fidem compellendi,vt ipsi credant,quia credere voluntatis est, sunt tamen compellendi à Fidelibus,si adsit facultas,vt Fidem non impediant,vel blasphemijs, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutionibus; & propter hoc fideles Christi frequenter contra infideles bellum mouent:nō quidem vt eos ad credendum cogant, quia si etiam eos vicissent & captiuos haberent, in eorum libertate relinquerent an credere vellent. Alij verò sunt infideles, qui aliquando susceperunt Fidem, & eam professi sunt, sicut Hæretici & Apostatæ, & tales sunt etiam corporaliter compellendi, vt impleant quod promiserunt, & teneant quod semel susceperunt. S.Tho. 2.2.q.10.art.8. *Infideles in duplici ordine.*

Infinitum duplex,alterum ex parte formæ,vt Deus,qui est maxime formale subsistens, & irreceptum. Alterum verò est infinitum ex parte materię, vt quantum: quod dupliciter dicitur infinitum,in actu,& infinitum in potentia, de quo dixit Arist.3.Phys.tex.63. quod est illud cuius quantitatem accipientibus semper extra, est aliquid accipere: licet Greg.Arim.& Suess. dicant Arist.diffinisse infinitum in actu. Datur etiam multitudo infinita in actu, & in potentia. Datur & infinitum negatiuè,vt punctus & vnitas. Quæ omnia habes a S.Th.p.p.q.7.per totam. Datur adhuc infinitum secundùm interminabilitatem,vt materia prima. Datur & infinitum a parte post, vt Angeli,anima nostra,& cœlū. Datur infinitum Cathegorematicè, quod est adiectiuum priuatiuè, oppositum huic termino finitum,valens tantum,quantum non terminatum. Datur infinitum Sincathegorematicè,quod æquiualet huic orationi aliquantum, & quantumlibet maius. Datur & infinitum offensiuum,vt peccatum; & multis alijs modis,vt ostendi in dilucid.meis 2.met. *Infinitum duplex, in actu, & in potentia.*

Ingenitum tripliciter sumitur;Primo prout idem est quod increatum,& sic tota Trinitas dicitur ingenita.Secundo dicitur ingenitum,id quod non est genitum,& sic competit Patri, diuinæ essentiæ, & Spiritui sancto. Tertio dicitur ingenitum, quod nullo modo est ab aliquo,& est principium vniuersale auctoritatiuum,& fontalis plenitudo omnium,& sic est proprietas Patris, secundum aliquos. Additur etiam & quarto, quòd ingenitum idem sonat,quòd non genitum passiuè,sed quod non Filius, seu quod improductum,& sic est propria notio Patris, & licet ingenitum dicat negationem, nihil refert, quia prima principia cognoscuntur per negationes; vnde non constituit personam Patris: quia nullum reale positiuum potest fundari in negatione, sed distinctio Patris à Filio est realis & positiua,ergo nōn potest fundari in ingenito,quod est negatiuum.S.Th.1.p.q.33.ar.4. *Ingenitū tripliciter sumitur.*

Ingratus dicitur aliquis dupliciter; Vno modo per solam omissionem, puta quòd non recognoscit,vel non laudat,vel non retribuit vices pro beneficio accepto, & hoc nō semper est peccatum mortale,quia debitum gratitudinis est vt homo etiam aliquid liberaliter agat,ad quod non tenetur,& ideo si illud prætermittit,non peccat mortaliter: est tamen peccatum veniale,quia hoc prouenit ex negligētia quadam;poteris esse etiam mortale, quando fit per contemptum. Alio modo dicitur aliquis ingratus, quia non solum prætermittit gratitudinis debitum implere, sed etiam contrarium agit, & hoc etiam secundùm conditionem eius quod agitur, quandoque est peccatum mortale, quandoque veniale; vnde ingratitudo quæ prouenit ex peccato mortali, habet perfectam rationem ingratitudinis, quæ verò procedit ex veniali, habet imperfectam rationem ingratitudinis. S.Th.2.2.q.107.art.3.in corp. *Ingratus dupliciter dicitur.*

Iniustitia est ex hoc, quòd detrahitur alicui quod sibi debetur, & ideo iniustitia habet quasi obiecta, illud quod detrahitur, & hoc est propria materia actus, & vnde peccatum speci-

specificatur, & ille cui detrahitur, sicut homo, cui per iniustitiam aufertur res sua, & penes hoc ubiectum sumitur diuisio peccandi in Deum, in seipsum, & in proximum. Deo debemus amorem & reuerentiam, nobis debemus ordinationem, sub regimine rationis, proximo debemus etiam amorem, quando auferimus ista à Deo, peccamus in Deum, & sic à nobis, & à proximo per iniustitiam. S. Th. 2. sent. dist. 42. q. 2. art. 3.

Quid Deo, nobis, & proximo debeamus.

Innocentia amissa per peccatum, non potest recuperari per pœnitentiam, sicut etiam committens aliqua crimina enormia, secundum instituta Canonum, non potest assumi ad dignitates, licet peregerit dignam pœnitentiam, & hoc propter scandalum, vt ait S. Tho. 3. p. q. 89. art. 3. Sed attende, quòd innocentia est triplex: Vna per essentiam, cui repugnat omnis imperfectio, & hęc conuenit tantum Deo: Alia est innocentia per participationem, carens omni miseria, tam culpæ, quàm pœnæ, & hæc Beatis competit: Tertia est status carens vitijs & peccatis, tamen est mixtus multis miserijs pœnalibus, quomodo Sancti viatores sunt innocentes. Datur & innocentia in qua erant primi parentes ante peccatum, quæ innocentia erat ordinatio originalis iustitiæ, qua voluntas hominis erat Deo subiecta, & vires inferiores viribus superioribus, vt habet S. Th. 1. 2. q. 82. art. 3.

Innocentia triplex.

Inobedientia est peccatum mortale, quasi diuinæ dilectioni contrarium, secundùm illud ad Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Sed non omnis inobedientia est æquale peccatum, quia vna inobedientia potest esse grauior altera dupliciter: Vno modo ex parte præcipientis, & sic quanto superior est ille qui præcipit, tanto ei inobedientem esse, est peccatum grauius: Secundo ex parte præceptorum, vnde quanto præceptum datur de meliori bono, tanto eius inobedientia est grauior. & inobedientia qua contemnitur præceptum Dei, grauius peccatum est, quàm peccatum quo peccatur in hominem, vt scribit S. Th. 2. 2. q. 105. art. 1. & 2.

Vna inobedientia potest esse grauior altera dupliciter.

Inquirere facta aliorum bono animo, vel ad vtilitatem propriam, vt. s. homo ex bonis operibus proximi prouoceatur ad melius, vel etiam ad vtilitatem illius, vt. s. corrigatur, si quid ab eo agitur vitiosè, secundùm regulam charitatis, & debitum officij, est laudabile, secundùm illud ad Heb. 10. Considerate vos inuicem in prouocationem charitatis, & bonorum operum. Sed quod aliquis intendat ad consideranda vitia proximorum, vel despiciendum, vel detrahendum, vel saltem inutiliter inquietandum, est vitiosum: vnde dicitur Prouerb. 24. Ne insidieris & quæras impietatem in domo iusti, neque vastes requiem eius. S. Th. 2. 2. q. 167. vbi agitur de studiositate & curiositate, art. 2. ad tertium.

Instans, seu nunc temporis, est idem subiecto in toto tempore, sed differens ratione, eò quod sicut tempus respondet motui, ita nunc temporis respondet mobili, mobile autē est idem subiecto in toto decursu temporis, sed differens ratione, inquantum est hic, & ibi, & ista alteratio est motus; similiter fluxus ipsius nunc, secundùm quod alteratur ratione, est tempus: ęternitas autē manet eadem subiecto, & ratione; vt ait S. Th. p. p. q. 10 ar. 4. ad 2. Et attende, quòd instans mensurans mobile, est vnitas eius, cuius diuersa esse, sunt diuersa nunc, quæ continuant tempus. & est duplex. s. vnum sequens mobile idem numero realiter, differens ratione; & aliud continuans tempus non idem cum eo, & inter quælibet duo instantia qualitercunque signentur, semper est accipere tempus medium. & instans æui differt realiter à nunc temporis, quia instans æui, mensurat mobile secundùm essentiam, instans autem temporis est idem in toto motu, & est finis præteriti, & principium futuri, vt habet S. Th. in disp. de veritate, q. 28. art. 2. ad decimum arg.

Instās est idē subiecto in toto tempore, differt tamen ratione.

Instrumentum est duplex; vnum quidem separatum, vt baculus; aliud autem coniunctū, vt manus: per instrumentum coniunctum, mouetur instrumentum separatum, sicut baculus per manum. Principium efficiens gratiæ est Deus, ad quem comparatur humanitas Christi, sicut instrumentum coniunctum: Sacramentum autem sicut instrumentum separatum. ideo virtus salutifera à diuinitate Christi per eius humanitatem, in ipsa Sacramēta deriuatur, vt ait S. Th. 3. p. q. 62. ar. 5. & q. 64. ar. 8. ad primū. Sed instrumentum adhuc est duplex, inanimatum. s. quod non habet aliquam intentionem respectu effectus, sed loco intentionis, est motus, quo mouetur à principali agente: & est instrumentum animatum, sicut est minister, & hoc est instrumentum, quod nō solum mouetur, sed etiam quodammodo mouet seipsum, inquantum sua voluntate mouet membra ad operandum; & ideo requiritur eius intentio, qua se subijciat principali agenti, vt. s. intendat facere quod facit Christus & Ecclesia, cùm omne instrumentum, per aliquid sibi proprium dispositiuè operetur, ad effectum principalis agentis, p. p. q. 45. ar. 5.

Instrumentū separatū, coniunctum, animatum, inanimatum.

Intellectus, vt scribit S. Th. de veritate q. 1. art. 12. nomen eius sumitur ex hoc, q̄ intima

rei co-

rei cognoscit, est enim intelligere quasi intus legere, sensus enim & imaginatio sola exteriora accidentia cognoscunt, intellectus verò solus ad essentiam rei pertingit; vnde dupliciter sumi potest, Vno modo secundum quod se habet ad hoc tantum, à quo primo nomen impositum fuit, & sic dicimur propriè intelligere, cùm apprehendimus quidditatem rerū, & sic intellectus dicitur habitus principiorum: Alio modo potest accipi intellectus communiter, secundum quod ad omnes operationes se extendit, & sic comprehendit opinionē & ratiocinationem, & p.p.q.79.ar.3. ponit intellectum agentem, qui facit intelligibilia in actu, per abstractionem specierum à conditionibus materialibus. Et ar.7. ponit intellectū possibilem, quod est omnia fieri, qui non distinguitur à memoria, nec à ratione, superiori & inferiori, nec ab intelligentia, nec ab intellectu practico aut speculatiuo, nisi fine: & intellectus agens & possibilis distinguuntur realiter ab essentia animæ, contra Scotum volentem distingui tantum formaliter, &c. *Intellectus dupliciter consideratur.*

Intelligibile duplex est; Vnum ad quod intelligendum sufficit intellectus alicuius hominis, dummodo sibi considerandum proponatur, vnde & ipse proponens, docere dicitur, quasi in cognitionem ducens, sicut in visu corporali monstrat rem, qui eam coram oculis ponit; Aliud est, ad cuius cognitionem non sufficit intellectus discipuli, nisi in hoc manuducatur per aliquid sibi notum; vnde & qui hoc magis notum sibi proponit, docere eum dicitur. S.Th.1.sent.dist.9.q.1.ar.2.ad quartum.& p.p.q.107.ar.1. dicit, quòd intelligibile est in intellectu tripliciter: Primo quidem habitualiter, vel secundum memoriam; Secundo autem in actu consideratum vel conceptum: Tertio, vt ad aliud relatum: de primo gradu transfertur in secundum intelligibile per imperium voluntatis, vnde in diffinitione habitus dicitur quo quis vtitur cum voluerit; & sic etiam de secundo gradu transfertur in tertium per voluntatem, &c. *Intelligibile duplex.* *Intelligibile est in intellectu tripliciter*

Intentio est multiplex; Aliquando sumitur pro actu mentis, qui est intendere; Aliquando pro ratione quam significat diffinitio, vt dicit S.Thom.de ver.q.21.art.3. ad quintum. & alibi dicit, q intentio naturæ est ad speciem, non autem ad indiuiduum, nec ad genus; Aliquando ait, quòd intentio conuenit omni appetitui, & primo voluntati. & quod intentio sensitiuæ partis potest cogi, non autem intentio voluntatis, & quod oculus, dicitur intentio, lumen, clamor ad Deum. Dicitur aliquando intentio prima, & intentio secunda; intentio prima, vt scribit 1.sent.dist. 2.q. 1.art. 3.in corp. est similitudo rei existentis extra animam, sicut hoc quod concipitur de hoc nomine homo, & talis intentio habet fundamentum in re immediate; intentio secunda non est similitudo rei existentis extra animā, sed est aliquid quod consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam, & huiusmodi sunt intentiones quas intellectus noster adinuenit, vt genus, & speciē. & in opusc. 42. cap 12. ait, quòd nomina primæ intentionis sunt, quæ rebus sunt imposita absolutè, mediante conceptione qua fertur intellectus super ipsam rem in se, vt homo vel lapis; nomina autem secundæ intentionis sunt illa, quæ imponuntur rebus, non secundùm quod in se sunt, sed secundùm quod subsunt intentioni, quam intellectus facit de eis, vt cùm dicimus, animal est genus, homo est species, &c. *Intentionis multiplex acceptio.*

Interpretatio locum habet in dubijs, in quibus, non licet absque determinatione Principis recedere, à verbis legis; sed in manifestis non est opus interpretatione, sed executione; aliquando autem bonum est prætermissis verbis legis, sequi id, quod poscit iustitiæ ratio, & communis vtilitas, & ad hoc ordinatur epicheia, quæ dicitur æquitas. S. Thom.2.2. q.120.ar.1.ad tertium. & q 60.ar.4 in corp. ait, quòd illud quod est dubium, debemus in meliorem partem interpretari, quia ex hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de alio, absque insufficienti causa iniuriatur ei, & contemnit ipsum; nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum cuicunque inferre, absque causa cogente, & ideo vbi non apparent manifesta indicia de malo alicuius, debemus eum vt bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est, &c. *Interpretatio legū debetur Principibus.*

Inuidia est tristitia quædam de alienis bonis. Sed hæc tristitia potest contingere quatuor modis: Primo, cùm quis dolet de bono alicuius, inquantum ex eo timetur nocumentum, vel sibiipsi, vel etiam alijs bonis, & talis tristitia potest esse sine peccato. Secundo, potest quis tristari de bono alterius, nō ex eo quod habet bonum, sed ex eo quod sibi deest bonum illud, quod ille habet, & si est de bonis temporalibus potest esse cum peccato, & sine peccato. Tertio potest aliquis tristari de bono alterius, inquantum ille cui accidit bonum, est eo indignus, & hoc prohibet in Scriptura, quæ dicit, Noli æmulari in malignātibus, &c. Quia bona temporalia quæ indignis proueniunt, ex iusta Dei ordinatione disponuntur, *Tristitia ex inuidia quatuor modis cō tingit.*

vel ad

vel ad eorum correctionem, vel ad eorum damnationem. Quarto, potest aliquis tristari de bonis alicuius, inquantum alter excedit ipsum in bonis, & hoc propriè est inuidia, & semper est prauum, quia dolet de eo quod est gaudendum, scilicet de bono proximi. 2.2. quæst. 36. art. 2.

Ira dupliciter intelligitur. Ira dupliciter potest intelligi; Vno modo simplex motus voluntatis, quo aliquis non ex passione, sed ex iudicio rationis, quo pœnam infligit, & sic defectus iræ absque dubio est peccatum, qui ex causa irascitur, ira illius non est ex passione, ideo iudicare dicitur, non irasci; Alio modo accipitur ira, pro motu appetitus sensitiui, qui est cum passione, & transmutatione corporali; & materiale in ea est accensio sanguinis circa cor, formale verò est appetitus vindictæ. Et gradus eius est triplex. s. in corde, ore, & opere. & continet multas passiones, non sicut genus continet species, nec sicut causa continet effectus, sed sicut effectus continet suas causas. & quando regulatur ratione non est peccatum, puta si aliquis apperat quod secundùm ordinem rationis fiat. Vindicta est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira, per zelum, si autem ordinem rationis excludit, tunc est mala. S. Tho. 2.2. q. 158. per totam.

Inuoluntariū differt à non voluntario. Inuoluntarium, vt ait S. Tho. in disputatis de malo, q. 3 ar. 8. ponens differentiam inter non voluntarium, & inuoluntarium; nō voluntarium enim dicitur per solam remotionem actus voluntatis, sed inuoluntarium dicitur per hoc, quod contrariatur ei quod fit: vnde ad inuoluntarium sequitur tristitia, quæ tamen non consequitur ad non voluntarium semper: contingit enim quandoque, quod aliquis accedens ad non suam, quam credit esse suā, quamuis non velit actu ad non suam accedere, quia nescit eam, esse non suam, tamen vult habitu, & vellet actu, si sciret, vnde cùm postea percipit eam non fuisse suam, non tristatur, sed gaudet, nisi mutauerit voluntatem, &c. vnde inuoluntarium non est pœnale, nisi sit subijcibile voluntati, &c.

Iris quandoque significat serenitatem, inquantum causa eius est causa serenitatis, vt ait S. Th. 2.2. q. 95. at. 5. Aliquando significat pluuias, non superabundantes, Sole siccante eas non totaliter. & significat diluuium non futurum, non omnino, sed quandiu Sol & vapores sunt in eadem dispositione. & quolib. 3. q. 14. art. 1. causatur ex vaporibus, non omnino siccis, nec omnino humidis, ideo est signum non futuri diluuij & significat Christum, &c.

Iris quomodo est signum nō futuri diluuij.

Iustitia dupliciter sumitur. Iustitia de sui ratione importat quandam rectitudinem ordinis. Et dupliciter potest accipi; Vno modo secundùm quod importat ordinem rectum, in ipso actu hominis. & secundùm hoc iustitia ponitur virtus quædam, siue sit particularis iustitia, quæ ordinat actum hominis secundum rectitudinem, in comparatione ad alium singularem hominem, siue sit iustitia legalis, quæ ordinat secundùm rectitudinem actum hominis, in comparatione ad bonum commune multitudinis; Alio modo dicitur iustitia, prout importat rectitudinem quandam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout. s. supremum hominis subditur Deo, & interiores vires animæ subduntur supremæ. s. rationi, quæ dispositio dicitur iustitia metaphoricè dicta, vt ait S. Th. 1.2. q. 113. art. 1. Et nota, q̄ iustitia dicitur generalis dupliciter. s. causaliter, & per prædicationem: Prima est iustitia legalis, differens realiter à virtute, & est habitus secundum quod aliquis constanti & perpetua voluntati ius suum vnicuique tribuit, vt habet S. Tho. 2.2. q. 58. ar. 1. Secunda est virtus in communi, imperata à voluntate, seu à iustitia legali, differens ab alijs virtutibus secundum rationem tantum, & quandoque vocatur veritas, quia est rectitudo impressa voluntati, à rectitudine rationis, quæ dicitur veritas, &c.

Iustitia generalis duplex.

Iustitia originalis, & gratuita, quanā sint. Iustitia est duplex, quæ primo homini poterat cōuenire; Vna originalis, quæ erat secundum debitum ordinem corporis sub anima, & inferiorum virium sub superiori, & superioris sub Deo, & hęc quidem iustitia, ipsam naturam humanam, ordinabat in sui primordio, ex diuino munere, & ideo talem iustitiam in suos filios transfundisset. Alia erat iustitia gratuita, quæ actus meritorios elicit: & quia homo fuit creatus in gratia, vnde donū illud gratuitæ iustitiæ, ipsi humanæ naturæ collatum erat, cum transfusione naturæ, simul etiam infusa fuisset gratia, vt ait S. Th. 2 sent. dist. 20. q. 2 ar. 3. Et nota, quòd aliqui dicūt iustitiam originalem fuisse quendam habitum supernaturalem, immediatè à Deo infusum ipsi animæ Adæ, facientem perfectam pacem & tranquillitatem inter partem sensualitatis, & rationem, & voluntatem; & partem intellectualem, quem habitum Adam accepit pro se & tota sua posteritate.

Iustificatio magis denominatur à iustitia, quàm à charitate, vel fide, quia fides, & charitas dicunt ordinem specialem mentis humanæ ad Deum, secundum intellectum, vel

affectum;

affectum;sed iustitia importat generaliter totam rectitudinem ordinis: & cum iustificatio importet transmutationem quandam de statu iniustitiæ, ad statum iustitiæ: & quia motus denominatur magis à termino ad quem, quàm à termino à quo,ideo huiusmodi transmutatio qua aliquis transmutatur à statu iniustitiæ, per remissionem peccati,sortitur nomen à termino ad quem,& vocatur iustificatio impij, vt scribit S.Tho.1.2.q.113.ar.1.& sit Deo mouente hominem ad iustitiam, iuxta naturam suam, ideo requiritur ad iustificationem impij, motus liberi arbitrij, Deus autem mouet hominem,conuertendo ipsum ad se, ideo ad iustificationem requiritur etiam motus mentis,quo ipse impius conuertatur ad Deum: prima autem conuersio fit per Fidem,iuxta illud ad Heb.11. Accedentem ad Deum oportet credere,quia est, & ideo ad iustificationem requiritur etiam motus Fidei, cum sit magnum opus inter omnia opera Dei,ratione termini ad quem deducitur iustificatus,quippe qui terminus est bonum æternum,diuinæ participationis, vt ait S.August. quod maius est vt ex impio fiat iustus, quàm creare cœlum & terram; uam iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos Angelos creare,quàm impios iustificare?certè si æqualis est vtrumque potentiæ,hoc maioris est misericordiæ, cum quatuor in vno instanti temporis fiant,licet in quatuor instantibus naturæ: in primo enim instanti naturæ est infusio gratiæ; in secundo,motus liberi arbitrij in Deum; in tertio,motus liberi arbitrij in peccatum;in quarto,remissio culpæ, vt habet idem S.Th.vbi supra art.8. &c. *Quatuor in instanti iustificationis fiūt.*

Iudæi signum distinctiuum à Christianis deportare coguntur, secundum statutum consilij generalis,in vtroq; sexu,in omni Christianorum prouincia,& in omni tempore; & hoc est necessarium, vt aliquo habitu ab alijs populis distingui debeant, quia in lege eorum mandatur, vt s. faciant fimbrias per quatuor angulos palliorum, per quos ab alijs discernantur,vt ait S.Th.in fine opusc.21. sunt enim proni ad idolatriam, ad auaritiam, ad crudelitatem in homicidijs,& ad luxuriam. Fuit eis permissum accipere vsuras ab extraneis tantum,quorum bona debebantur Iudæis,vel propter auaritiam,ne acciperent eas à fratribus; & cùm sint serui Ecclesiæ, potest Ecclesia disponere de eorum bonis; & cùm sint vsurarij,debent magis puniri in pecunia, quàm alij,&c.

Iudex inferior non habet potestatem absoluendi reum à pœna,contra leges à superiore sibi impositas, nec pro alterius iniuria (nisi læsus velit) nec pro iniuria communitatis; sed Princeps,qui est supremus,& habet plenariam potestatem in Republica, poterit reum licitè absoluere,si hoc publicæ vtilitati viderit non esse nocumento. S.Tho.2.2.q.67.ar.4. Et nullus potest esse iudex sui,sed potest se committere iudicio aliorum, quia ad idoneum iudicem duo requiruntur.s.sapientia, & iustitia. & neminem debet condemnare, nisi accusatum. Debet etiam esse facilior ad absoluendum,quàm ad condemnandum.& nullas probationes admittere debet contra leges diuinas,aut humanas. & perpendens accusatorem falso accusasse, non quidem malitiosè,sed temerè.i.ex leuitate credendi,vel iniusto errore,non imponat ei pœnam talionis. idem S.Th.2.2.q.68.ar.3. *Ad iudicē idoneum debent duo pertinere,sapientia, & iustitia.*

Iudicium propriè nominat actum iudicis, inquantum iudex est: iudex autem dicitur quasi ius dicens; & quia nomen iudicij secundùm primam impositionem significat rectam determinationem iustorum, ampliatum tamen est ad significandam rectam determinationem in quibuscunque rebus, tam speculatiuis, quàm practicis. Et duo requiruntur ad ipsum.s.virtus proferens iudicium, & sic est actus rationis; aliud est dispositio iudicantis, ex qua habet idoneitatem ad rectè iudicandum, & hoc spectat ad prudentiam. S.Thomas 2.2.q.60.ar.1. Et potest esse iudicium iustum, iniustum, temerarium, discretionis, & condemnationis,& comparationis,& prolationis, seueritatis, misericordiæ, occultum,& manifestum, singulare in morte cuiuslibet hominis, & generale in fine mundi, retributionis præmiorum, & pœnarum, & multis alijs modis, vt habetur 4.sent.dist.47.

Iuramentum est quædam actio, qua assumitur Deus in testem. & dicitur iuramentum, quasi pro iure introductum, vt quod sub inuocatione diuini testimonij dicitur, pro vero habeatur. Diuinum testimonium quandoque inducitur ad asserendum præsentia, vel præterita, & hoc dicitur iuramentum assertorium; quandoque inducitur ad confirmandum aliquid futurum,& hoc dicitur iuramentum promissorium, vt ait S.Thom.2.2.q.89. art.1. Iuramentum coactum obligat in conscientia, non autem in foro contentioso; & quando est sine dolo,obligat secundum intentionem iurantis, aliàs obligat secundum secūdarium intellectum eius,cui iuratur. & iurans aliquod illicitum facere, puta peccatum, vel abstinere à bono,vt à religione,non obligatur seruare illud,sed est periurus ipso facto. & quando iurat,debet esse ieiunus, & cum omni honestate, & timore Dei, &c.

Ius primo fuit impositum ad significandam ipsam rem iustam, postmodum autem deriuatum ad artem est, per quam artem cognoscitur quid sit iustum; & vlterius ad significandum locum, in quo ius redditur, sicut dicitur aliquis comparere in iure; & vlterius dicitur etiam ius, quod redditur ab eo ad cuius officium pertinet iustitiam facere, licet etiã quod decernit sit iniquum, vt habet S.Th.2.2.q.57.ar.1. Et dicitur ius diuinum, quod diuinitus promulgatur, ius naturale, quod est commune nobis, & alijs animalibus; ius positiuum, quod est determinatio iuris naturalis, & pertinet ad quemlibet Principem, qui potest leges condere; ius gentium vocatur, quod apud omnes gentes custoditur. Dicitur etiam ius magistratuum, aut sacerdotum, ius paternum, ius dominatiuum, ius politicum, ius militare; & sic secundum diuersa officia, vt habet S.Th.ar.4.eiusdem quæst.

Ius multiplex, diuinũ, naturale, positiuum, ius gẽtium magistratuũ, &c.

DE LITERA L.

HÆc litera l, quanquam non immediatè sequatur ad præcedentem literam i, tamen quia litera illa quæ immediatè sequitur, non pertinet ad Latinos, sed ad Græcos, quam literam vocant ipsi Græci Kappa. nos autem K, quæ seruit etiam apud Latinos dictionibus Græcis. s. Kyrie eleison: vnde absolutè est superflua apud nos, quia loco eius vtimur c; propterea ipsa derelicta, accedamus ad literam l, quam inter immutabiles seu liquidas nostri interponunt.

Labor manualis, vt ait S.Th.2.2 q.187.ar.3. in corp. ad quatuor ordinatur: Primo & principaliter ad victum quærendum, & sic cadit sub necessitate præcepti; Secundo, ad vitandam cupiditatem alienarum rerum; Tertio, ad vitanda turpia negocia, ex quibus aliqui victum acquirunt; Quarto, ad tollendum ocium, ex quo multa mala oriuntur; & ad eleemosinas faciendas, vt ait Apostolus ad Ephesios 4. Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis, vt tribuat necessitatẽ patienti.

Lachrymæ prorumpunt, non solum ex tristitia, sed etiam ex quadam affectus teneritudine, præcipuè cùm consideratur aliquid delectabile cum permixtione alicuius tristabilis, sicut solent homines lachrymari ex pietatis affectu, cum recuperant filios, vel caros amicos, quos existimauerant se perdidisse; & per hunc modum lachrymæ ex deuotione procedunt, vt ait S.Th.2.2.q.82.art.4 ad tertium.

Lachrymæ in homine vnde causantur.

Laus vocalis ad hoc necessaria est, vt affectus hominis prouocetur in Deum, & ideo quęcunque vtilia esse possunt, in diuinas laudes congruenter assumuntur; hinc secundùm diuersas melodias sonorum, animi hominum diuersimodè disponuntur; & ideo salubriter fuit institutum, vt in diuinas laudes cantus assumerentur, vt animi infirmorum magis prouocarentur ad deuotionem: vnde est necessaria laus oris, non quidem propter Deum, sed propter ipsum laudantem, cuius affectus excitatur in Deum ex laude ipsius. Et quia de Deo dupliciter loqui possumus; Vno modo quantum ad eius essentiam, & sic cum sit incomprehensibilis & ineffabilis, est maior omni laude; Alio modo secundùm effectus ipsius, qui in nostram vtilitatem ordinantur, & secundùm hoc debetur laus Deo, vt ait S.Th.2.2.q.91. art.1. & 2.

Lamina aurea inuenta est super pectus Gentilis mortui, vt ait S.Thom. 2.2. q.2. art.7. ad tertium, dicens, quòd multis Gentilibus facta fuit reuelatio de Christo, vt patet per ea quæ prædixerunt; nam Iob 19. dicitur, Scio quod Redemptor meus viuit; Sibilla etiam pronunciauit quædam de Christo: vnde inuenitur in historijs Romanorum, quod tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris eius, inuentum fuit quoddam sepulchrum, in quo iacebat homo auream laminam habens in pectore in qua scriptum erat; Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum, o Sol sub Helenę & Constantini temporibus iterum me videbis, &c.

Temporibus Constantini, et Helenæ lamina aurea inuenta fuit, in qua de Christo prophetabatur.

Latitudo est quædam dimensio magnitudinis corporalis, vnde in affectionibus animæ, nonnisi secundùm metaphoram dicitur; dilatatio autem dicitur quasi motus ad latitudinẽ; & competit delectationi secundum duo, quæ ad delectationem requiruntur: quorum Vnum est ex parte apprehensiuæ virtutis, quæ apprehendit coniunctionem alicuius boni conuenientis, ex hac autem apprehensione homo apprehendit perfectionem quandam adeptam, quæ est spiritualis magnitudo, & secundum hoc animus hominis dicitur per delectationem magnificari seu dilatari; Aliud autem est ex parte appetitiuæ virtutis, quæ assentit rei delectabili, & in ea quiescit, quodammodo se præbens ei, ad eam interius capiendam,

piendam,& sic dilatatur affectus hominis per delectationem,quasi se tradens ad continendum interius rem delectantem, &c. S.Th.1.2.q.33.ar.1. in corp.

Latria est nomen quod tripliciter sumi potest; Primo, pro eo quod Deo in obsequium exhibetur,sicut sacrificium,genuflexiones,& huiusmodi; Secundo autem pro ipsa exhibitione;Tertio,pro ipso habitu quo exhibetur obsequium: & primo modo latria non est virtus,sed materia virtutis;secundo modo est actus virtutis;tertio modo est virtus. Et nominatur hæc virtus quatuor modis, dicitur enim pietas, quantum ad effectum deuotionis, quod primum occurrit; dicitur etiam theosebia, idest diuinus cultus,vel eusebia,idest bonus cultus, quantum ad intentionem attentam,illud enim coli dicitur cui studiosè intenditur,sicut ager, vel animus, vel quicquid aliud; dicitur etiam latria, idest seruitus, quantum ad opera quæ exhibentur in recognitionem dominij, quod Deo cōpetit ex iure creationis:dicitur etiam religio,quantum ad determinationem operum,ad quæ homo se obligando in cultum Dei determinat, quibus tamen nominibus vna & eadem virtus nominatur,secundùm diuersa quæ ad ipsa concurrunt, vt ait S.Tho.3.sent.dist.9.q.1.ar.1. ad primam quæst. Et nota, vt aliqui dicunt, ꝙ latria sumpta pro cultu, siue reuerentia exhibita Deo in actu interiori, ratione summi dominij, vel summi boni, est virtus moralis, non Theologica,quia non habet Deum pro obiecto,sed honorem deferendū Domino increato. Latria itaque est reuerentia soli Deo debita, & sibi exhibita; vel est quædam protestatio Fidei,& actus eius.Præcipitur autem in primo pręcepto decalogi,vt habet idem S.Thom. 1.2.q.100.art.4. ad primum.

Latro siue fur,dicitur perfectus & bonus,sed metaphoricè,vt scribit S.Th.1.2.q.55.ar.3. ad primum, dicens,quòd sicut perfectum, ita etiam & bonum dicitur metaphoricè in malis: vnde dicitur perfectus latro, vt ait Arist.5.metaph. secundùm hoc ergo etiam virtus metaphoricè in malis dicitur; & sic virtus peccati dicitur lex, inquantum.s. per legem occasionaliter est peccatum augmentatum, & quasi ad maximum suum posse peruenit, vt ait Apost.1.ad Cor.15. Virtus peccati lex, &c. *Latro bonus, vel perfectus metaphoricè dicitur.*

Lex, vt scribit S.Thom.1.2.q.90.art.1. in corp. est quædam regula, & mensura actuum, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur; & dicitur lex à ligando,quia obligat ad agendum, regula autem & mensura humanorum actuum est ratio,quæ est principium primum actuum humanorum, rationis enim est ordinare ad finem, qui est primum principium in agendis; In vnoquoque autem genere id quod est principiū est mensura & regula illius generis, sicut vnitas in genere numeri, & motus primus in genere motuum; & ideo lex est aliquid pertinens ad rationem. Dicitur etiam lex à legendo, quia scripta est,& est dictamen rationis practicæ:& non imponitur ab aliquo domino, nisi subditis eius. & intantum est iusta, inquantum deriuatur à lege æterna. Et est multiplex ipsa lex.s.diuina,humana,naturalis,fomes peccati,lex concupiscentiæ,lex Moysi,lex Christi, lex gentium, lex positiua, lex ciuilis, lex canonica. Lex diuina se extendit ad actus interiores & exteriores, & prohibet, & punit omnia peccata, & distinguitur in legem veterem,& nouam,non sicut in species omnino diuersas,sed sicut in imperfectum,& perfectum: sed lex humana se extendit tantum ad actus exteriores, & non punit omnia peccata, &c.

Liber in diuinis non potest dici, nisi metaphoricè, vt ipsa repræsentatio vitæ, liber vitæ dicatur:& quia vita dupliciter repræsentari potest; Vno modo ipsa vita secundùm se; Alio modo secundùm quod ab aliquibus participabilis est. Vita autē secundùm seipsam repręsentari potest dupliciter; Vno modo per modum doctrinæ, & sic liber vitæ dicitur, in quo continetur doctrina de vita consequenda, & sic nouum & vetus testamētum dicuntur liber vitæ; Alio modo per modum exemplaris,& hæc quidem repræsentatio pertinet ad visum; & sic liber vitæ dicitur ipse Christus,quia in eo sicut in exemplari possumus aspicere,qualiter sit viuendum, vt perueniamus ad vitam æternam. Dicitur etiam liber vitæ repræsentatio eorum,qui ad vitam perueniunt,vt docet S.Th.in disp.de ver.q.7.ar.1. Et nota,ꝙ liber vitæ in diuinis dicitur essentialiter, non autem personaliter, & appropriatur Filio ratione notitiæ,sed Spiritui sancto ratione vitæ. & non est de vita naturę,nec de vita gratiæ,nec de vita Dei, sed tantum de vita gloriæ creaturarum rationalium, &c. *Liber vitæ in diuinis nō personaliter, sed essentialiter sumitur.*

Liberalitas,vt scribit S.Th.2.2.q.117.art.1.est virtus quædam,quia bene vti his quibus male vti possumus, pertinet ad virtutem. Possumus autem bene & male vti,non solum his quæ intra nos sunt,puta potentijs, & passionibus animæ,sed etiam his quæ extra nos sunt, scilicet rebus huius mundi, concessis nobis ad sustentationem vitæ; & ideo cum bene vti his rebus pertineat ad liberalitatem, consequens est vt liberalitas sit quædam virtus;

& licet non ſit ſpecies iuſtitiæ, quia iuſtitia exhibet alteri quod eſt eius, ſed liberalitas exhibet id quod ſuum eſt, habet tamen quandam conuenientiam cum iuſtitia in duobus, Primo quidem, quia principaliter eſt ad alterum, ſicut & iuſtitia; Secundo, quia eſt circa res exteriores, ſicut & iuſtitia, licet ſecundum aliam rationem, & ideo liberalitas à quibuſdam ponitur pars iuſtitiæ, ſicut virtus annexa ei, &c.

Libertas voluntatis eſt quo ad tria. ſ. quoad exercitium actus, inquantum poteſt velle & non velle; & quo ad ſpecificationem actus. ſ. prout poteſt velle hoc vel illud obiectum, & quo ad ordinem finis, inquantum poteſt velle bonum vel malum: ſed quantum ad primum horũ ineſt libertas voluntati, in quolibet ſtatu naturæ, reſpectu cuinſcunq; obiecti: Secundum verò horum eſt reſpectu quorundam obiectorum. ſ. reſpectu eorum quæ ſunt ad finem, & non ipſius finis, & etiam ſecundum quemlibet ſtatum naturæ: Tertium verò non eſt reſpectu omnium obiectorum, ſed quorundam, eorum ſ. quæ ſunt ad finem; nec reſpectu cuiuslibet ſtatus naturæ, ſed illius tantũ, in quo natura deficere poteſt, vt ait S. Th. de ver. q. 22. art. 6. in corp. & 2. ſent. 25. q. 1. ar. 5. ponit quadruplicem libertatem; Primam à coactione & neceſſitate, quæ conuenit omnibus ſtatibus; ſecundam libertatem à peccato; tertiam, a miſeria; quartam, a iuſtitia. Et Caiet. p. p. q. 60. in expoſ. primi art. dicit, quòd liberum diſtinguitur contra naturale, hinc aliqua actio dicitur libera quo ad exercitium & ſpecificationem actus, vt electio, quia liberè eligimus, & liberè ſi eligimus determinamus nos ad alteram partem contradictionis, ex parte obiecti; Alia eſt actio libera quo ad exercitium, ſed naturalis quo ad ſpecificationem, vt velle bonum, & intelligere prima principia, quoniam liberè exercemus, & abſtinemus ab vſu talium actuum. Sed circa hæc obiecta operandum nobis eſt, & non eſt in libertate noſtra determinare nos ad alteram partem contradictionis ex parte obiecti, &c.

Libertas voluntatis quadruplex.

Liberum ex vi vocabuli nominat quendam actum, ſecundùm propriam ſignificationẽ eius; ſecundùm tamen communem vſum loquendi, liberum arbitrium dicimus id, quod eſt principium huius actus. ſ. quo homo liberè iudicat, & ſic eſt potentia quædam appetitiua, non diſtincta à voluntate, vt ait S. Th. p. p. q. 83. art. 1. & 2. hinc liberum arbitrium eſt vna potentia formaliter, ſed duæ virtualiter. & dicitur aliquando tota anima nõ quidem eſſentialiter, ſed per imperium. & eſt eorum quæ ſunt ad finem: & cùm ſit in omni habente intellectum, ex conſequenti reperitur in Beatis, & in damnatis. & non ſuſcipit magis & minus ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm diſpoſitionem ſubiecti, tamen eſt maius ſecundùm nobilitatem rei. & licet homo ipſe amiſerit liberum arbitrium per peccatum, quantum ad libertatem à culpa, & à miſeria, non tamen dicitur perdidiſſe quo ad libertatem naturalem, quæ eſt à coactione, quia cum liberum arbitriũ poteſt eſſe facultas voluntatis, & rationis, & voluntas noſtra feratur in finem, vel in id quod eſt ad finem, in finem verò honeſtum, vel delectabilem, vel vtilem, ſecundùm quod triplex bonum diſtinguitur in honeſtũ, vtile, & delectabile; reſpectu ergo finis honeſti ponitur libertas arbitrij; reſpectu boni vtilis, ponitur libertas conſilij; reſpectu boni delectabilis ponitur libertas beneplaciti: & quamuis diſcretio ſit per ignorantiam diminuta, nõ tamen omnino ablata; & ideo libertas arbitrij per peccatum eſt quidem debilitata, ſed non amiſſa. De ver. q. 24. art. 1. ad vndecimum.

Reſpectu boni boneſti, vtilis, & delectabilis, datur libertas.

Libido quæ aggrauat peccatum, eſt quæ conſiſtit in inclinatione voluntatis; libido autem quæ eſt in appetitu ſenſitiuo, diminuit peccatum, quia quanto aliquis ex maiori paſſione impulſus peccat, tanto leuius eſt peccatum; & hoc modo libido in fornicatione eſt maxima, quia inter omnia Chriſtianorum certamina, duriora ſunt prælia caſtitatis, vbi eſt quotidiana pugna, & rara victoria, quia magis per carnis luxuriam humanum genus ſubditur Diabolo, quàm per aliquod aliud, quia difficilius eſt vincere vehementiam huiuſmodi paſſionis, vt notat S. Th. 2. 2. q. 154. art. 3. ad primum. Vbi nota, quòd libido dicitur, quicquid libet, & dicitur à labando, quia quæ placent in mentem prolabuntur, ſiue ſint turpia ſiue honeſta; vnde capitur aliquando pro improba voluntate, & praua animi cupiditate, propterea tot dicuntur libidines, quot vitiorum cupiditates. Aliquando libido dicitur delectatio immoderata; aliquando verò corruptio vitioſa, exiſtens in potentia generatiua, & in ſemine, & hoc modo pertinet ad luxuriam, &c.

Licitum illud dicitur, quòd nulla lege prohibetur: vnde illicitè acquiſitum dicitur, quod contra prohibitionem legis acquiritur: quod poteſt eſſe dupliciter, quia aut lex prohibet ipſum lucrum, vel cauſam lucri tantum; ſi primo, aut nõ transfertur dominium, vt in rapina, & furto, & de hoc non poteſt eleemoſina fieri; aut transfertur dominium, &

tunc

tunc vel competit repetitio ei à quo quis lucratus est, secundum aliquod ius, sicut de vsura accidit, & de hac etiam eleemosina fieri non potest: aut non competit repetitio secundùm turpitudinem sceleris ex parte dantis, sicut in symonia accidit, & tunc tale acquisitum potest in eleemosinas erogari; si autem lex prohibuit actum ex quo quis lucratur, sed non lucrum, supposito actu, tunc quamuis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo, non facit contra legem, sicut cùm quis de lenocinio vel meretricio lucratur, & ideo hæc retineri possunt, & de eis eleemosina fieri potest, vt docet S.Thom.4.sent. dist.15.q.2.art.4. ad secundam quæst. *Non semper est licitū eleemosinam facere.*

Limbus Patrum dicitur infernus inferiorum, non simpliciter, sed respectu huius habitationis, de quo anima Dauid, vel etiam Christi educta fuit; similiter etiam ille locus potest dici profundissimum inferni comparatiuè, vt profundum sit respectu cœli, aer caliginosus, in quo sunt Dæmones, profundior locus habitationis nostræ, profundissimus autem limbus Patrum, de quo Iob liberatus fuit, vt asserit S.Thom.3.sent.dist.22.q.2.art.2.q.2. ad primum: in hoc enim limbo erat dolor de dilatione gloriæ, non autem pœna sensibilis pro peccato, vnde erat quies per immunitatem pœnarum, non autem per immunitatem desiderij, vnde Patres ibi habebant fidem, & spem. & Christus expoliauit ipsum, claudendo ne aliquis vlterius introeat.

Limus dicitur terra aquæ permixta, vnde corpus hominis dicitur formatum de limo terræ, quia in limo terræ est aqua terræ conglutinata. Verùm de alijs elementis Sacra scriptura non fecit mentionem, tum quia minus abundant secundum quantitatem in corpore hominis, tum etiam quia in tota rerum productione de igne & aere, quæ sensu non percipiuntur a rudibus, mentionem nō fecit sacra scriptura, quæ rudi populo tradebatur: vnde non fecit etiam mentionem de alijs rebus, quas homo habet in se, nam de genere spiritualium substantiarum habet animam rationalem, de similitudine cœlestium corporū habet elongationem a contrarijs, per æqualitatem maximam complexionis, elementa verò secundùm substantiam, ita tamen quod superiora elementa prædominantur in eo secundum virtutem. s. ignis & aer, quia vita præcipuè consistit in calido, quod est ignis, & humido, quod est aeris; inferiora verò elementa abundant in eo secundum substantiam, aliter non posset esse mixtionis æqualitas, nisi inferiora elementa abundarent in homine secundum quantitatem, vt ait S.Th.p.p.q.91.art.1. *Homo ex elementis compositus.*

Linea dupliciter accipi potest: aliquando propriè, pro ipsa dimensione, quæ est prima species quantitatis continuæ, & sic linea recta continet tantum duo puncta in actu, quæ terminant ipsam, sed infinita in potentia, quorum quolibet signato in actu linea diuiditur, & fiunt duæ lineæ: aliquando verò linea sumitur pro his, quæ linealiter disponuntur, & secundùm hoc assignatur in numeris linea, & figura, prout vnitas post vnitatem ponitur in aliquo numero, & sic quælibet vnitas adiecta, gradum facit in tali linea; & similiter est de linea consanguinitatis; vnde vna linea continet plures gradus, vnde dicitur linea descendentium. s. patris ad filium. & ascendentium. s. filij ad patrem, & transuersalium secundùm habitudinem eorum, quæ sunt ab vno principio ad inuicem, sicut fratres dicuntur nasci ex eisdem, vt ait S.Th.4.sent.dist.40.q.1.art.2.ad tertium.

Lingua infirmi, quia plena est cholerico humore, omnia sentit vt amara, vt notat S.Th. p.p.q.111.art.4.in corp. Et nota, quòd lingua dicitur a ligando cibo, lingua enim conglobat & deprimit, ac transmittit in ventrem: vel dicitur a lingendo, quia lingit adulando, mordet detrahendo: vel dicitur, quòd sit dentium sepes, quasi muro circumuallata ac ligata: & sumitur aliquando pro affectione animæ, vt habetur Lucæ 17. de diuite epulone, qui petebat guttam aquæ ad refrigerandum linguam suam, &c. Et peccatum linguæ grauatur sextupliciter. s. frequentia, dolo, deliberatione, conditione loquentis, conditione audientium, & conditione eorum contra quos est. Est autem facilis ad peccandum, quia est mobilis, & est immediatum instrumentum cordis, vt scribit S.Th. in expos. Psal.38. *Lingua à ligādo, & à lingendo dicta.*

Litigium propriè consistit in verbis, cum. s. vnus verbis alterius cōtradicit: in qua quidem contradictione duo possunt attendi; quandoq; enim contingit contradictio propter personam dicentis, cui cōtradicens consentire recusat, propter defectum amoris animos vnientis, & hoc videtur ad discordiam pertinere, charitati contrariam: quandoque verò contradictio oritur ratione personæ quam aliquis contristare non veretur, & sic fit litigium, quod amicitiæ & affabilitati opponitur, ad quam pertinet delectabiliter cōuiuere. Et est grauius peccatum, quàm adulatio, quia tanto peccatum est grauius, quanto spirituali statui magis repugnat, sed litigium magis repugnare videtur statui spirituali vt scri-

vt ſcribitur 1. ad Timoth. 4. Oportet Epiſcopum non litigioſum eſſe. igitur litigium eſt grauius peccatum, quàm adulatio; quod intelligitur quo ad ſpeciem peccati, non autem quo ad motiua exteriora, vt ait S.Th.2.2.q.116.art.1. & 2.

Lignum vitę quodammodo immortalitatem cauſabat, non ſimpliciter: vnde primus homo habebat duo remedia ad conſeruationem vitæ, contra duos defectus; quorum primus erat, deperditio humidi per actionem caloris naturalis, & huic ſubueniebatur per eſum aliorum lignorum paradiſi, ſicut & nunc ſubuenitur nobis per cibos quos ſumimus: Secũdus defectus erat, quia illud quod generatur ex aliquo extraneo, adiunctũ ei, quod prius erat humido præexiſtenti, imminuit virtutem actiuam ſpeciei, ſicut aqua adiuncta vino diminuit fortitudinem vini, ſic virtus primi hominis debilitabatur per longitudinem temporis; & ad hunc defectum ſubueniendum fuit datum lignum vitæ, quod ſemel ſumptum præſeruabat à corruptione vſque ad determinatum tempus, quo finito, vel homo tranſlatus fuiſſet ad ſpiritualem vitam, vel indiguiſſet iterum ſumere de ligno vitæ, vt notat S.Th.p.p.q.98.ar.4. hinc dicunt aliqui, quod erat triplex lignum, vnum.ſ.in documentum, vt arbor boni & mali; aliud in nutrimentum; aliud ad viuendum perpetuò, &c.

Lignum vitæ triplex.

Locus, vt ſcribit S.Thom. quolib.6.art.3. duæ opiniones fuerunt de ipſo apud antiquos; nam aliqui dixerunt locum eſſe quoddam ſpatium, ſiue dimenſiones per ſe exiſtentes; quæ quidem opinio ſi vera eſſet, locus ipſe deberetur corpori, quia ex hoc ipſo quod corpus eſt dimenſiones habens, neceſſe eſt aliquas dimenſiones occupare: Sed hæc opinio fuit reprobata ab Ariſt.4.Phyſ. Vnde alia eſt eius opinio, quòd locus ſit ſuperficies corporis continentis, non quidem inquantum huiuſmodi corporis, quod immediatè continet, alioquin ſequeretur, quòd corpus quieſcens non ſemper eſſet in eodem loco, puta ſi homo ſtaret in fluuio, per cuius decurſum ſemper renouarentur diuerſæ ſuperficies aquæ circa ipſum, ſed ſuperficies corporis immediatè continentis, habet quod ſit locus ex ordine ad primum continens, vnde accipitur idem locus ſecundùm eundem ſitum ad primum continens, & propter hoc locus eſt immobilis: ſecundum ergo hanc opinionem, quæ vera eſt, neceſſitas eſſendi in loco conuenit corpori, ex hoc quod dependet à primo continente, & propter hoc primum continens non eſt in loco, niſi per accidens, & per partes dimenſiuè; Angelus eſt in loco diffinitiuè per operationem; Deus verò repletiuè, per potentiam, præſentiam, & eſſentiam, & cum cauſalitate effectuum.

Logica poteſt conſiderari ſecundùm quod eſt docens; & ſecundum quod eſt vtens; ſecundùm quidem quod eſt docens, habet conſiderationem de intentionibus, inſtituens modum quomodo per eas procedi poſſit ad concluſiones, in ſingulis ſcientijs probabiliter oſtendendas, & hoc demonſtratiuè facit, & ſecundùm hoc eſt ſcientia: vtens verò eſt, ſecundum quod modo adiuncto vtitur ad concludendum aliquid probabiliter in ſingulis ſcientijs, & ſic recedit à modo ſcientiæ; & ſimiliter dicẽdum eſt de Sophiſtica, quia prout eſt docens, tradidit per neceſſarias & demonſtratiuas rationes modum arguendi apparenter; ſecundùm verò quod eſt vtens, deficit à proceſſu veræ argumentationis: ſed in parte Logicę, quæ dicitur demonſtratiua ſolùm doctrina pertinet ad Logicam, vſus verò ad Philoſophiam, & ad alias particulares ſcientias, quæ ſunt de rebus naturæ, & hoc ideo, quia vſus demonſtratiuæ conſiſtit in vtendo principijs rerum, de quibus fit demonſtratio, quæ ad ſcientias reales pertinet, non vtendo intentionibus logicis, &c. vt ait S.Th.4.Metaph. lect.3.& in opuſ.70.cap.17. dicit, Logica eſt ſcientia rationalis, & non eſt pars principalis ſcientiæ ſpeculatiuæ, ſed reducitur ad eam vt adminiculum, ſiue vt inſtrumentum eius: & dicitur rationalis, non ſolum ex hoc quod eſt ſecundùm rationem, quod eſt omnibus artibus commune, ſed ex hoc, quod dirigit actum rationis, ſiue ex hoc quod eſt circa actum rationis, ſicut circa propriam materiam, propterea etiam nominatur ars artium, &c.

Lõgitudo dierũ datur his qui parẽtes honore afficiũt.

Longęuitas promittitur honorantibus parentes, nõ ſolum quantùm ad futuram vitam, ſed etiam quantùm ad præſentem, ſecundùm illud Apoſtoli primæ ad Timoth.4. Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ: & hoc rationabiliter, qui enim eſt gratus beneficio, meretur ſecundùm quandam congruentiam, vt ſibi beneficium conſeruetur, propter ingratitudinem autem meretur aliquis beneficium perdere: beneficium autem vitæ corporalis poſt Deum à parentibus habemus, & ideo ille qui honorat parentes, quaſi beneficio gratus meretur vitæ conſeruationem, qui autem non honorat parentes, tanquam ingratus meretur vita priuari, &c. vt ait S.Th.2.2.q.122.ar.5.

Longanimitas dicitur, per quam aliquis habet animum tendendi in aliquid, quod in longinquum diſtat, & ideo ſicut magnanimitas magis reſpicit ſpem tendentem in bonum,

quàm

quàm audaciam, vel timorem, fine tristitiam, quæ respiciunt malum, ita etiam & longanimitas: vnde longanimitas maiorem conuenientiam videtur habere cum magnanimitate, quàm cum patientia, vt notat S.Th.2.2.q.136.art.5. in corp.

Loqui quid est explicatur.

Loqui vnius ad alterum, nihil aliud est, quàm conceptum mentis alteri manifestare; & quia in nobis interior conceptus mentis quasi duplici obstaculo clauditur; Primo quidē ipsa voluntate, quæ conceptum intellectus potest retinere interius, vel ad extra ordinare, & quantùm ad hoc mentem vnius nullus alius potest videre, nisi solus Deus, secundùm illud 1.Cor.2. Quæ sunt hominis nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui in ipso est; Secundo autem clauditur mens hominis ab alio homine per grossitiem corporis: vnde cū etiam voluntas ordinat conceptum mentis ad manifestandum alteri, non statim cognoscitur ab alio, sed oportet signum aliquod sensibile adhibere: & hoc est, quod Greg. dicit 2.moral. Alienis oculis intra secretum mentis quasi post parietem corporis stamus, sed cum manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ ianuam egredimur, vt quales sumus intrinsecus, ostendamus, &c. vt notat S.Th.p.p.q.107.art.1. Vbi nota, quòd hoc est loqui vocaliter. s. proferre verba vocalia, vt aliquis audiat vocali auditione, & intelligat illud quod per voces significatur, hoc est formare in se conceptus vocibus correspondentes, ad differentiam loqui mentaliter, quod nihil aliud est nisi habere, vel formare in se verbum mentale, vt aliquis audiat mentaliter, & intelligat quod per verbum mentale significatur, &c.

Locutio est duplex, interior, & exterior. Locutio exterior est illa, quæ fit per vocem, & est nobis necessaria propter obstaculum corporis, & hæc non conuenit Angelo: locutio verò interior est intellectualis operatio Angeli, qua conceptio mentis vnius Angeli ordinatur ad alterum. Et quia ea quæ mente concipiuntur ad duplex principium referri possunt. s. ad ipsum Deum, qui est prima veritas, & ad voluntatem intelligentis per quam aliquid actu consideramus. & quia veritas est lumen intellectus, & regula omnis veritatis est ipse Deus, manifestatio eius quod mente concipitur secundum quod dependet à prima veritate, & locutio est, & illuminatio, puta si vnus homo dicat alij, Cœlum est à Deo creatum, vel homo est animal; sed manifestatio eorum quæ dependent ex voluntate intelligentis, non potest dici illuminatio, sed locutio tantum, puta cum alter alteri dicat, Volo hoc addiscere, volo hoc, illud facere: cuius ratio est, quia voluntas creata non est lux, nec regula veritatis, sed participans lucem; vnde communicare ea quæ sunt à voluntate creata, inquantùm huiusmodi, non est illuminare, non enim pertinet ad perfectionem intellectus mei, quid tu velis, vel quid tu intelligas cognoscere, sed solum quid veritas rei habeat. Manifestum est autem, quòd Angeli dicuntur superiores, vel inferiores, per comparationem ad hoc principium, quod est Deus, & ideo illuminatio quæ dependet à principio, quod est Deus, solum per superiores Angelos ad inferiores deducitur, sed in ordine ad principium quod est voluntas, ipse volens est primus, & supremus, & ideo manifestatio eorum quæ ad voluntatem pertinent, per ipsum volentem deducitur ad alios quoscunque; & quantùm ad hoc & superiores inferioribus loquuntur, & omnis Dei loquutio ad Angelos, est illuminatio, vt ait S.Th.p.p.q.107.art.2.

Angeli dicuntur inferiores per comparationē ad Deū, superiores autem per comparationē ad alios Angelos.

Loth offerens filias suas incestui, non elegit culpam pœnæ, sed ostendit ordinem esse seruandum in fuga culparum, quia tolerabilius est si quis committit minorem culpam, quàm maiorem. Hanc responsionem tradit S.Th.in disputatis de malo q.1.art.5.arg.14. quod erat tale, Illud quod præeligitur à viro iusto, præsupponit esse minus malū, sed Loth cùm esset iustus, præelegit culpam pœnæ, offerens. s. filias suas libidini Sodomitarum, quod erat culpa, ne pateretur iniuriam in domo sua, dum hospitibus suis violentia inferretur, quod est pœna, ergo pœna est magis malū, quàm culpa, &c. Sic & Caietanus excusat Loth à peccato, 2.2.q.78.art.4. dicens, quòd Loth petijt à Sodomitis vt non committerent sodomiam cum masculis hospitibus, quod sine peccato concedere poterat, & obtulit proprias se filias educturum extra, ita quod non oporteret inferri ipsi patri aliam violentiam, ad hoc vt puellæ essent extra, quod totum sine peccato est, quamuis sciret, quòd occasionem abutendi sumerent, & ipsi peccarent faciendo iniustum, filiæ etiam paterentur iniustum: vnde ad neutrum peccatum inducebat eos Loth, sciens quòd non sunt facienda minus mala, vt euitentur maiora, &c.

Lucia Sancta verum dixit, quòd corpus non inquinatur nisi de consensu mentis, vt notat Sanctus Thomas 2.2.q.64.art.5.ad secundum, & q.32.ar.8.in responsione ad secundum, loquens de ipsamet Lucia Sancta, quòd habebat sponsum, non virum, vnde de consensu matris poterat eleemosinam facere, quia quando vxor habet alias res præter dotem, quæ

Lucia Sancta de cōsensu matris poterat eleemosinā facere.

ordinatur

ordinatur ad sustentandum onera matrimonij, vel ex proprio lucro, vel quocunque alio licito modo, potest dare eleemosinas, et non requisito assensu viri, moderatas tamen, ne ex earum superfluitate vir depauperetur: aliàs autem non debet dare eleemosinas sine cõsensu viri tacito, vel expresso, siue præsumpto, nisi in articulo necessitatis: sicut monachus qui nihil proprium habet, non potest facere eleemosinam sine licentia Abbatis, vel expressè habita, vel probabiliter præsumpta, nisi in articulo necessitatis extremæ, in quo licitum est ei furari, vt eleemosinam daret, &c.

Lucifer factus est in malitia maior, quia Angelus non habet aliquid retardans, sed secundùm suam totam virtutem mouetur in illud, ad quod mouetur, siue in bonum, siue in malum: & quia supremus Angelus maiorem habuit naturalem virtutem, quàm inferiores, intensiori motu in peccatum prolapsus est, quod quidem peccatũ fuit superbia, cuius motiuum est excellẽtia, quæ fuit maior in superioribus: & ideo ille qui peccauit, fuit superior inter omnes, quia peccatum Angeli non processit ex aliqua pronitate, sed ex solo libero arbitrio, & ideo in eo consideranda est ratio, quæ sumitur à motiuo ad peccandum, vt notat S. Th. p. p. q. 63. art. 8. & 7.

Lucrum duplex, cessans, et acquisitũ.

Lucrum est duplex. s. cessans, & turpe acquisitum; vtrunque videtur negari à S. Thoma, quia cum peccato fit, & de hoc secundo, quod fieri potest multis vitijs annexis, puta simonia, vel auaritia, vel meretricio, aut lenocinio, vt patet 4. sent. dist. 15. q. 2. ar. 4. ad 2. quæst; quod nos annotauimus supra verbo Licitum: de alio vero lucro cessante, patet etiam 2. 2. q. 78. art. 2. ad primum, vbi ait, quòd ille qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere, cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid quod debet habere, & hoc est damnum emergens, quod non est vendere vsum pecuniæ, sed damnum vitare: & potest esse ꝙ accipiens mutuum, cum sua vtilitate dãnum alterius non recompenset, sed recompensationem damni, quod consideratur in hoc quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo; licet Caiet. distinguat ibi de potentia pecuniæ, quod est duplex. s. absolutè considerata in ordine ad lucrum; alia verò est potentia ad lucrum ex pecunia, consequens pecuniam non absolutè, sed vt stat tali industriæ negotiatoris, vel emptoris, tali tempore, in tali loco, in tali commoditate, &c. & tale lucrum cessans potest esse licitum, de quo vide Caietanum ibi.

Luctus est duplex. s. luctus de peccatis, & hic est actus pœnitentiæ, vt ait S. Ambrosius, Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. & S. Greg. Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere: Alter est luctus, quo spretis terrenis, ad cœlestia suspiramus, & hic est actus prudentiæ; de quo luctu habet quædam Glosa super illud Lucæ, cap. 6. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, Ecce prudentia; qua ostenditur quàm hæc terrena sint misera, & quàm beata cœlestia, nam luctus propriè est plãctus pro mortuis, vt notat S. Th. 4. sent. dist. 14. q. 1. ar. 1. q. 5. ad secundũ.

Quãdo iocosa dicta vel facta non aggrauant animã.

Ludicra vel iocosa dicuntur, dicta vel facta, in quibus non quæritur nisi delectatio animalis: & est necesse interdum talibus vti, quasi ad quandam animæ quietem. Sed oportet tria obseruare; Primo, quòd prędicta delectatio non quæratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, vel nociuis; Secundo, ne grauitas animæ resoluatur; Tertio, vt congruat personæ, tempori, & loco, & secundùm alias circunstantias debitè ordinetur; vnde Beatus Ioannes Euangelista cùm quidam scandalizarentur, quod eum cum discipulis suis ludentem inuenerant, dicitur mandasse vni eorum qui arcum gerebat, vt sagittam traheret, quod cùm pluries fecisset; quæsiuit vtrum hoc continuè facere posset, qui respondit, quòd si hoc continuè faceret, arcus frangeretur, vnde Beatus Ioannes subintulit, quòd similiter animus hominis frangeretur, si nunquam à sua intentione relaxaretur, vt notat S. Thom. 2. 2. q. 168. art. 1.

Ludus est triplex; deuotus, turpis, & recreatiuus: Primus est laudabilis, secundus debet vitari à quolibet, tertius debet sumi, sed temperatius à pœnitente; excessus enim ludi est duplex. s. turpitudinis, vel nocumenti. Et ratione indebitæ circunstantiæ, primus est peccatum mortale, secundus est veniale, nisi ponatur finis in hoc; & quia ludus est necessarius ad conuersationem vitæ, ad omnia autem quæ sunt vtilia conuersationi humanæ deputari possunt aliqua officia licita: & ideo etiam officium Hystrionum quod ordinatur ad solatiũ hominibus exhibendum, non est secundùm se illicitum, nec sunt in statu peccati, dummodo moderatè ludo vtantur. i. non vtendo aliquibus illicitis verbis, vel factis ad ludum, & non adhibendo ludum negocijs & temporibus indebitis, &c. S. Thomas 2. 2. q. 168. art. 3.

Addunt

Addunt alij, quòd ludus est in factis, iocus autem in verbis. & ludorum aliqui innituntur viribus corporis, aut ingenio, vt proiectio pilæ, aut lapidum, aut arcus, vel balistæ ad metam, siue luctatio cursus in stadio, & similes alij sunt ludi, qui innituntur fortunæ ex cupiditate lucri, vt ludus alearum, siue fiat taxillis, siue chartis, siue alio modo qui subest fortunæ. Solet fieri ludus malus quadruplici de causa; propter modum, quando est modus lasciuus; propter finem, quando fit ad prouocandam libidinem; propter tempora, vt si fiat tempore tristitiæ; propter personam, vt si fiat à persona religiosa, præsertim in spectaculis, & torneamentis, &c.

Ludus quadruplici de causa fit malus.

Lumen est triplex, scilicet naturæ, gratiæ, & gloriæ, vt notat S.Th.p.p.q.106.ar.1.ad 2. & quia lumen primo institutum est nomen eius ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visus, postmodum autem extensum est ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundum quamcunque cognitionem: si ergo accipiatur nomen luminis secundùm suam primam impositionem, metaphoricè in spiritualibus dicitur; si autem accipiatur secundùm vsum loquentium, extensum est ad omnem manifestationem, & sic propriè dicitur in spiritualibus p.p.q.67.art.1. Et quia lumen naturale nostrum, est lumen intellectus agentis, & rationis, quo omnia naturalia anima nostra potest cognoscere, quomodo anima nostra est immortalis, & dependens à primo esse, quod est Deus, prout naturaliter cognouerunt Philosophi Deum, & Intelligentias, & animam nostrã esse immortalem. & in eadem parte intellectus ponitur lumen rationis, quæ dicitur inferior pars, per quod potest cognoscere quæ sunt bona, & quæ sunt mala, iusta vel iniusta, turpia vel honesta, agenda vel non agenda: vnde sicut primum lumen dicitur speculatiuum, ita secundum dicitur practicum, & tamen vtrunque lumen dicitur nobis naturaliter insitum. Lumẽ autem supernaturale seu gratiæ est illud, quod infunditur ex speciali dono Spiritus sancti, eleuans intelligentiam vltra naturam suam, ad apprehendendum ea quæ sunt supra humanam facultatem, prout Spiritus sanctus diuidit singulis prout vult: & illud dupliciter peruenit ad nos; Vno modo per spiritualem infusionem, & illustrationem, & sic receperunt ipsum Patriarchæ, & Prophetæ in veteri testamento; Secundo peruenit illud lumen ad simplices fideles per doctrinam & prædicationẽ, & hoc etiam dicitur lumen Dei, quod aliquando dicitur ipse Deus, quandoque verò aliquod lumen deriuatum ab ipso, secundùm illud Psal. In lumine tuo videbimus lumen, vt scribit S.Th.quol.1.ar.1.ad secundum, quod lumen vocatur lumen gloriæ, quod lumen est dispositio supernaturalis eleuans animam ad videndum Deum, vt ait ipsemet S.Th. p.p.q.12.art.5.

Lumen Spiritus sancti dupliciter peruenit ad nos.

Lumen Solis recipitur in diuersis corporibus diuersimodè, secundùm diuersam capacitatem eorum; & ideo aliqua sunt quæ illuminantur in superficie tantùm, vt corpora opaca; aliqua verò sunt quæ illuminantur in profundo, sicut diaphana, quæ tamen lucem non retinent, quia imperfectè lumen recipiunt, vnde oportet, quòd lumen in eis cesset, absente illuminante; alia verò sunt quæ perfectius lumen recipiunt, & lumen tenent, vt Carbunculus, sicut docet S.Th.2.sent.dist.9.q.1.art.3. hinc in Stellis est qualitas permanens, in aëre verò est passio transiens, per modum intentionis, sicut colores in aëre, & imago in speculo.

Luminare dicitur, quod est vas luminis: & quia quædam corpora recipiunt lumen vt lucentia, & radios emittentia, sicut Luna & Stellæ, & talia possunt dici luminaria, & vasa luminis: alia verò corpora non sic recipientia, non possunt dici luminaria; hinc Sol dicitur magnum luminare, & propter quantitatem, & propter virtutem, Luna verò dicitur magnum, non tam propter quantitatem veram, quàm propter quantitatem apparentem, & propter excessum claritatis respectu aliarum Stellarum, ex propinquitate eius ad nos, & propter euidentiam effectus quem habet in rebus humidis: & ista luminaria fuerunt producta primo die, quoad substantiam, sed quoad collationem determinatæ virtutis, producta sunt quarta die, vt habet S.Th.p.p.q.70.art.1.

Luna est mensis dominatiua, ad cuius conuersionem commensurantur conceptus, & imprægnationes: vnde Luna est alter Sol, eo quod recipit lumen à Sole: & quod Sol facit in anno, Luna facit in mense: à prima enim intentione, vsque ad hoc quod est dimidia, est calida & humida, sicut tempus Veris à mediatione vsq; ad plenilunium est calida & sicca, sicut æstas, vt ait S.Thomas opusc.28.cap.4. Luna plena oritur vespere, & occidit mane. Ideo dicitur præesse nocti, quia probabile est, quod producta sit perfecta, sicut & plantæ. Non præest diei, licet appareat, propter præsentiam Solis, &c.

Luna tãtum facit in mense, quantum Sol in anno.

Lux non est forma substantialis Solis, vt aliqui dicebant; nec est forma substantialis aëris, sed sicut calor est qualitas actiua consequens formam substantialem ignis, ita lux est

M qualitas

qualitas actiua consequens formam substantialem Solis, vel cuiuscunque alterius corporis à se lucentis, si aliquod aliud tale est; neque habet esse intentionale in aere, vt similitudo coloris in aere existens, vt alij etiam asserebant; neque est corpus, licet feriatur, intersecetur, reflectatur, & figuretur, quia hæ proprietates metaphoricè sibi appropriantur, vt docet S.Th.p.p.q.67.ar.1. Et 2.lib.sent.dist.13.q.1.art.3.ait, quòd ista quatuor differunt, lux, lumen, radius, splendor. Lux enim dicitur secundum quod est in aliquo corpore lucido in actu à quo alia illuminantur, vt in Sole; Lumen autem dicitur secundum quod est receptum in corpore diaphano illuminato; Radius autem dicitur illuminatio secundum directam lineam ad corpus lucidum; & ideo vbicunque est radius, est lumen, sed non econuerso; Splendor autem est ex reflexione radij ad aliquod corpus tersum & politum, sicut ad aquam, & ad argentum, &c.

Lux, lumen, radius, et splendor inter se differunt.

Luxuria maxime consideratur circa voluptates venereas; vnde luxuriosus aliquis dicitur, quasi solutus in voluptates: vnde sicut intemperantia principaliter quidē est & propriè circa delectationes tactus, sed dicitur ex consequenti, & per similitudinem quandam in alijs materijs, ita etiam luxuria principaliter quidem est in voluptatibus venereis, quæ maximè & præcipuè animum hominis resoluunt; secundariò autem dicitur in quibuscunque alijs ad excessum pertinentibus; vnde ad Gal.5.dicit Glosa, quòd luxuria est quælibet superfluitas: & Aug.libro confessionum ait, Luxuria ad satietatem atque abundantiam se cupit vocari, vt scribit S.Th.2.2.q.151.ar.1. Ex his patet, quomodo non propriè loquutus est Scotus 2.sent.dist.5.q.1. loquens de peccato Diaboli, quòd peccauit peccato luxuriæ, capiendo luxuriā pro inordinato amore suiipsius vel alterius, fuit enim inordinatus amor suiipsius concupiscentiæ, & quia concupiuit beatitudinem intensissimè, quia non minorē, quàm Deus habet, & quia concupiuit beatitudinem nimis accelerando, quia nolebat eam mereri, sed ante tempus determinatum volebat habere, & volebat habere eam sine meritis, vltra ordinationem diuinam, fuit inordinatus amor excellentiæ super alios, & sic peccauit peccato luxuriæ secundùm Scotum. Sed melius est dicere iuxta communem opinionem, quòd Diabolus peccauit peccato superbiæ, &c.

Luxuriæ species sunt sex.s.fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, & vitia contra naturam; nam peccatum luxuriæ consistit in hoc, quòd aliquis non secundùm rectam rationem delectatione venerea vtitur: quod quidem contingit dupliciter; Vno modo secundùm materiam in qua huiusmodi delectationem quærit; Alio modo secundùm quod materia debita existente, non obseruantur aliæ debitæ conditiones. Et quia circunstantia inquantum huiusmodi non dat speciem actui morali, sed eius species sumitur ab obiecto, quod est materia actus, ideo oportet species luxuriæ assignari ex parte materiæ vel obiecti: quæ quidem potest non conuenire rationi dupliciter; Vno modo, quia habet repugnantiam ad finem venerei actus, & sic inquantum impeditur generatio prolis, est vitium contra naturam, quod est in omni actu venereo, ex quo generatio sequi non potest, inquantùm impeditur debita educatio, & promotio prolis natæ est fornicatio simplex, quæ est soluti cum soluta; Alio modo materia in qua exercetur actus venereus potest esse non conueniens rationi rectæ, per comparationem ad alios homines. Et hoc dupliciter; Primo quidem ex parte ipsius fœminæ, cui aliquis commiscetur, quia ei debitus honor non seruatur, & sic est incestus, quia consistit in abusu mulierum, consanguinitate vel affinitate iunctarum; Secundo ex parte eius in cuius potestate est fœmina: quæ si est in potestate viri, est adulterium; si autem est in potestate patris, est stuprum, si non inferatur violentia; raptus autem, si inferatur. Diuersificantur autem istæ species magis ex parte fœminæ, quàm viri, quia in actu venereo fœmina se habet sicut patiens, & per modum materiæ, vir autem per modum agentis. & species istæ assignantur secundùm differentiam materiæ, vt scribit S.Th.2.2.q.154.art.1.

Delectatione venerea vti non secūdum rationem, contingit dupliciter.

Luxuriæ species contra naturam sunt quatuor.s.mollicies, bestialitas, sodomia, & modus innaturalis, quia ibi est determinata luxuriæ species, vbi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum: quod quidem potest esse dupliciter; Vno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ, quod est commune in omni vitio luxuriæ; Alio modo, quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali actus humanę speciei, quod dicitur vitium contra naturam: quod quidem potest contingere pluribus modis; Vno quidem modo, si absque omni concubitu, causa delectationis venereæ pollutio procuretur, quod pertinet ad peccatum immunditię, quam quidam molliciem vocant; Alio modo, si fiat per concubitum ad rem non eiusdem speciei, quod vocatur bestialitas; Tertio, si fiat per con-

Vitium contra naturam quatuor modis committitur.

per concupitum ad non debitum sexum, puta masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, quod dicitur sodomiticum vitium; Quarto, si non seruatur naturalis modus concubendi, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monstruosos & bestiales concubendi modos, vt notat S.Th.2.2.q.154.art.11.

Luxuriæ filiæ sunt octo, scilicet cœcitas mentis, vt dixit Daniel 12. Species decepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum; Secunda est inconsideratio; Tertia præcipitatio; Quarta inconstantia; Quinta amor sui, quantum scilicet ad delectationem, quam inordinatè appetit; Sexta odium Dei, qui prohibet delectationem concupitam; Septima affectus præsentis seculi, in quo scilicet aliquis vult frui voluptate; & per oppositum ponitur desperatio futuri seculi, quæ est octaua, quia dum aliquis nimis detinetur carnalibus delectationibus, non curat peruenire ad spirituales, sed fastidit, &c. vt ait S.Thomas 2.2. q.153.art.5. *Luxuriæ octo filiæ.*

Luxuriæ gradus est quintuplex, scilicet aspectus, cogitatio, delectatio, consensus, & opus, vt docet Sanctus Thomas 1.2. q.72. art.7. in quo disputat, si conuenienter diuidatur peccatum, in peccatum cordis, oris, & operis. & 2.2. quæst.153.art.5. ad quartum, dicit, quòd ex luxuria oriuntur quatuor actus inordinati exteriores, quorum Primus dicitur turpitudo, quia luxuriosi prorumpunt in turpia verba; Secundus est scurrilitas, quia prorumpunt in verba leuiter & inconsideratè dicta, quæ dicuntur scurrilia; Tertius dicitur ludicrus, quia luxuriosi quærunt delectationem etiam in verbis, & sic prorumpunt in verba ludrica; Quartus dicitur stultiloquus, quia luxuria cùm causet cœcitatem mentis, sic luxuriosi non aduertentes, prorumpunt in stultiloquia, &c. *Luxuria gradus quintuplex.*

DE LITERA M.

LITERAM istam M, Latini proferunt absque lingua, ita quod & quædam bruta animalia eam proferre possunt, sicuti etiam & quidam muti. & solet hæc litera punctuari ex vtraque parte, & tunc significat numerum millenarium, vt patet in hoc exemplo .M. Aliquando significat Dominum, vt hic M.

Maceratio proprij corporis, puta per vigilias & ieiunia, non est Deo accepta, nisi inquantùm est opus virtutis, quod quidem est inquantùm cum debita discretione fit, vt scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis grauetur, & sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere, propter quod Apostolus Rom.12. postquam dixerat, Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, addidit, rationabile obsequium vestrum. Sed quia in his quæ ad seipsum pertinent de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius secundùm arbitrium superioris sunt seruanda, vel prætermittenda, ita tamen quod si ex obseruatione talis voti, magnum & manifestum grauamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non debet homo tale votum seruare: vota verò quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda, quàm seruanda, vt ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst.88. artic.2. ad tertium argumentum, quod erat tale: Ea quæ redeunt in detrimentum personæ, vel quæ ad nihil sunt vtilia, non habent rationem melioris boni, sed quandoque sunt aliqua vota de immoderatis vigilijs & ieiunijs, quæ vergunt in periculum personæ, quandoque etiam fiunt aliqua vota de aliquibus indifferentibus, & ad nihil valentibus, ergo non semper votum est melioris boni, &c. *Maceratio facta cum debita discretione placet Deo.*

Machometus introduxit sectam erroneam, & illexit populos ad desiderium carnalis concupiscentiæ; documenta autem veritatis non attulit, nisi quæ de facili à quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possunt, quin potius vera quæ docuit multis fabulis & falsissimis doctrinis immiscuit, & dixit se esse missum in armorum potentia, quæ signa etiam latronum & Tyrannorum sunt, cui crediderunt homines bestiales, morantes in desertis, & omnis diuinæ doctrinæ prorsus ignari, per quorum multitudinem alios armorum violentia in suam legem coegit, & omnia documenta noui & veteris Testamenti quasi fabulosa narratione deprauauit, vnde astuto consilio libros veteris & noui Testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur, vt notat S.Thom. 1.contra Gent.cap.6.

Macula propriè dicitur in corporalibus, quando aliquod corpus nitidum perdidit suum

nitorem ex contactu alterius corporis, sicut vestis, & aurum, & argentum, aut aliud huiusmodi; in rebus autem spiritualibus ad similitudinem huius oportet maculam dici. Habet autem anima hominis duplicem nitorem; vnum quidem ex refulgentia naturalis rationis, per quam dirigitur in suis actibus; alterum verò ex refulgentia diuini luminis, scilicet sapientiæ, & gratiæ, per quam homo perficitur ad bene & decenter agendum. Est autem quasi quidam animi actus, quando inhæret aliquibus rebus per amorem, cùm autem peccat, adhæret rebus aliquibus contra lumen rationis, & diuinæ legis: vnde ipsum detrimentum nitoris ex tali contractu proueniens, macula animæ metaphoricè dicitur, vt scribit S.Th. 1.2.q.86.ar.1. & quia est priuatio gratiæ, respicit intellectum, sed principalius affectum, hinc dicitur cæcitas, & tenebræ; & contagium. & est medium inter actum peccati & reatum, & sicut sunt diuersa peccata, ita sunt diuersæ maculæ, &c.

Anima nitor duplex.

Magis & minus tripliciter potest considerari, & sic prædicari; Vno modo secundùm solam quantitatem participati, sicut nix dicitur albior pariete, quia perfectior est albedo in niue, quàm in pariete, sed tamen vnius rationis: vnde talis diuersitas secundùm magis & minus non diuersificat speciem; Alio modo, secũdùm quod vnum participatur, & aliud per essentiam dicitur, sicut si diceremus, quòd bonitas est melior, quàm bonum; Tertio modo, secundùm quod modo eminentiori competit idem aliquid vni, quàm alteri, sicut calor Soli, quam igni; & hi duo modi impediunt vnitatem speciei, & vniuocam prædicationem, & secundùm hoc aliquid prædicatur magis & minus de Deo & creatura. S.Th. de potentia Dei, q.7.art3.ad tertium arg. Et quia magis & minus, potest dici quoad naturam participatam, & quoad modum participandi, primum conuenit tantum accidentibus, secundum verò etiam essentialibus. Et omne sumens magis & minus, educitur necessario de imperfecto ad perfectum, non autem de contrario in contrarium. Dicitur etiã per accessum ad aliquid, vel per recessum ab aliquo: & quando dicitur, quòd substantia non recipit magis & minus, non intelligitur, quòd vna species substantiæ non sit perfectior, quam alia, sed quod vnum etiam idem indiuiduum non participet suam speciem, quandoque magis, quandoque minus, nec etiam a diuersis indiuiduis participatur species substantiæ, secundùm magis & minus, vt ait S.Th.p.p.q.93.art.3.ad 3.

Magnanimitas ex suo nomine, importat quandam extensionem animi ad magna; Consideratur autem habitudo virtutis ad duo; primo ad materiam circa quam operatur; alio modo ad actum proprium, qui consistit in debito vsu talis materiæ: & quia habitus virtutis principaliter ex actu determinatur, ex hoc principaliter dicitur aliquis magnanimus, quia habet animum ad aliquem magnum actum. Et est circa magnos honores, propterea est virtus, quando seruat modum rationis circa ipsos. Et est specialis virtus, quia honor est quoddam bonum speciale, propterea ipsa magnanimitas conuenit cum fortitudine, inquantùm firmat animum circa aliquid arduum, deficit autem ab ea in hoc, quod firmat animum in eo circa quod facilius est firmitatem seruare; vnde magnanimitas, ponitur pars fortitudinis, quia adiungitur ei sicut secundaria principali. Et est in irascibili subiectiuè, & contemnit exteriora bona, vt ait S.Thom. 2.2.q.129. per totam, & præsertim art.1.

Magnes non trahit ferrum ex quacunque distantia, sed ex propinquo, si autem ferrum mouetur ad magnetem solum, sicut ad finem, sicut graue ad suum locum ex qualibet distantia tenderet ad ipsum: deinde si magnes alleis perungatur, ferrum attrahere non potest, quasi alleis vim alteratiuam ipsis impedientibus, aut etiam in contrarium alterantibus: & denique quia ad hoc, quòd magnes attrahat ferrum, oportet prius ferrum liniri cum magnete, maximè si magnes sit paruus, quasi ex magnete ferrum aliquam virtutem accipiat, vt ad eum moueatur: sic ergo magnes attrahit ferrum non solum sicut finis, sed etiam sicut mouens, & alterans, vt ait S.Th.7.Phys.lect.3.& 4.sent.dist.33.q.1.art.1. ait, quòd magneti competit ferri deorsum, ex natura sui generis, & attrahere ferrum ex natura speciei, & etiam ex virtute cœli, &c.

Magnes alleis perunctus ferrum attrahere non potest.

Magnificentia est virtus ad quam pertinet facere aliquod magnum, sicut ex ipso nomine apparet: ipsum autem opus factum potest esse magnum in quantitate, pretiositate, vel dignitate, secundùm factionem propriam, sic magnificentia est specialis virtus; si verò nomen magnificentiæ accipiatur ab eo, quod est facere magnum, secundùm quod facere communiter sumitur pro quacunque actione, sic magnificentia non est specialis virtus, quia ad quamlibet virtutem perfectam, pertinet magnum facere ex suo genere, secundùm quod facere communiter sumitur, non autem secundùm quod sumitur propriè,

quia

quia sic est circa propriam materiam, quæ est magni sumptus,&c. S.Thomas 2.2.q.134. art.1. & 2.

Magnificus dicitur a magnificentia, & ab æquali .i. a proportionato sumptu, quem facit, & non principaliter in his quæ pertinent ad personam propriam, non quia bonum suum non quærat, sed quia non est magnum, si quid tamen in his quæ ad ipsum pertinent magnitudinem habeat, hoc etiam magnificè magnificus prosequitur, sicut ea quæ semel fiunt, vt nuptiæ, vel aliquid huiusmodi, &c. vbi supra.

Magicæ artes, non sunt scientiæ, sed quædam fallaciæ dęmonum potius, & istę artes sunt prohibitæ quantum ad suum vsum, si verò prohiberetur alicui etiam earum studium propter periculum vtendi, tunc esset malum, quia prohibitum. Et quanquam appetere scientiam, vel notitiam quarumcunque rerum, siue bonarum, siue malarum, sit bonum in genere, tamen secundum diuersas circunstantias poterit esse malum: vnde si aliquis appetat has scientias vt ipsas confutet, & reprobet, bonum est & licitum; si verò appetat vt eis vtatur, est malum; vel etiam vt pręferat alijs vtilioribus rebus. S.Th. quolib.4. ar.16. *Magicæ artes quãdo sunt licitæ, & quando prohibitæ.*

Magi adorantes Christum, vt ait Aug. in sermone de Epiph. fuerunt impij, & sacrilegi, & malefici, & primitiæ gentium, quia Christus venit stulta eligere vt confunderet sapientes, & non vocare iustos, sed peccatores, vt nullus magnus superbiret, & nullus infimus desperaret. Sed D. Chrisost. dicit, quòd isti Magi non fuerunt malefici, sed sapientes Astrologi, qui apud Persas vel Caldęos Magi vocantur. & ab Oriente venerunt, vnde dies nascitur. & ibi in natiuitate Christi apparuit Stella, Romæ fluxit oleum, & in Hispania apparuerunt tres Soles, &c. S.Th. 3.p.36.q.art.3.

Magnitudo est duplex .s. molis seu dimensiua, quę in solis rebus corporalibus est, secundùm longitudinem, latitudinem, & profunditatem; Alia est magnitudo virtutis, quæ reperitur in spiritualibus; & dicit perfectionem naturæ: vnde Aug.9. de Trin. dicebat, In his quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse, nã melius dicitur quod perfectius est. S.Thom.p.p.q.42.art.1. & 3. *Magnitudo duplex, molis, & virtutis.*

Maius dupliciter dicitur; Vno modo intensiuè, sicut est maior albedo, quę est intensior, & per hunc modum maius est peccatum actuale, quàm originale, quia plus habet de ratione voluntarij; Alio modo dicitur maius extensiuè, sicut dicitur maior albedo, quæ est in maiori superficie, & hoc modo peccatum originale per quod totum genus humanum inficitur, est maius peccato actuali. S.Th. 3.p.q.1.art.4. in corp.

Maledicere idem est quod malum dicere; & potest esse tripliciter; Vno modo per modũ enunciationis, sicut aliquid exprimitur modo indicatiuo, & sic maledicere nihil aliud est, quàm malum alterius referre, quod pertinet ad detractionem; vnde quandoque detractores dicuntur maledici. Secundo causaliter, vel imperatiuè, & optatiuè; & hoc dupliciter .s. per se .i. sub ratione mali, & sic est peccatum, non autem si per accidens .i. sub ratione boni duplicis .s. iusti, sicut iudex licitè maledicit illum, cui præcipit iustam pœnam inferri, sic etiam Ecclesia maledicit anathematizando, sic & Prophetæ imprecantur mala peccatoribus. Tertio maledicere capitur sub ratione vtilis, puta cum aliquis optat aliquem peccatorem pati aliquam ægritudinem, aut aliquod impedimentum, vel vt ipse melior efficiatur, vel vt à nocendo cesset. S.Th. 2.2.q.76. art.1.

Maleficium quidam dixerunt nihil esse in mundo, sed tantùm in ęstimatione hominum. Alij dixerunt per maleficium posse impediri carnalem copulam, sed nullum tale esse perpetuum; sed vtrique dixerunt falsum, quia maleficium dicitur perpetuum, quod non potest habere remedium humano opere, quamuis Deus possit remedium præstare, Dęmonem cogendo, vel etiam Dęmone desistendo; sed non debet maleficium vnum destrui per aliud maleficium (vt ipsi malefici confitentur) quia non debet inuocari auxilium Dęmonis ad hoc, sed auxilium Dei, per orationes & exorcismos. Et si ex hoc non reprimitur potestas Dęmonis, hoc est diuino iudicio exigente. Et Ecclesia præfixit triennium, & si non destruitur maleficium, dat licentiam vtrique vt alteram copulam quærat; quia impedimentum maleficij potest esse ex impressione Dæmonis in imaginatione hominis, ex qua tollitur viro concupiscentia, mouens ad talem mulierem, & non ad aliam, &c. S.Th. 4.sent.dist.34.q.1.art.3. *Vnum maleficiũ per aliud destrui nõ debet.*

Malitia contracta, dicitur quædam pronitas, quæ ex corruptione fomitis nobis inest ad mala agenda; & sic non accipitur malitia, cum dicitur aliquis ex malitia peccare, sed accipitur malitia acta, secundum quòd ipsa interior electio dicitur malitia: & sic intelligendum est, quod semper cum aliquis peccat ex malitia, est interior actus peccati, qui

dicitur

dicitur malitia, ex qua procedit exterior actus peccati, &c. S. Thomas de malo q. 3. art. 14. ad octauum.

Malum est aliquid deficiens à bono. & inuenitur in rebus, sicut corruptio, nam & ipsa corruptio malum quoddam est: vnde dicitur esse ens, quod significat veritatem propositionis, quæ in compositione consistit, cuius nota est, hoc verbum est, & hoc est ens, quod respondet ad quæstionem an est, vt ait S. Thomas p. p. q. 48. art. 2. & art. 1. in corp. ait, quòd nomine mali significatur absentia boni, & non pertinet ad perfectionem vniuersi; neque sub ordine eius concluditur, nisi ratione boni & per accidens. & contingit ex defectu secundarum causarum. Et potest esse triplex, naturæ, pœnæ, & culpæ: duo prima Deus potest velle directè, sed tertium vult tantùm indirectè; & ad illa duo prima licet concurrat directè, non tamen concurrit positiuè, cùm talia pro formali sint negationes. & malum naturæ est tantùm in generabilibus & corruptibilibus. malum moris contingit ex voluntate, quæ deficit ab ordine rationis; malum pœnæ opponitur bono creaturæ, malum verò culpæ bono increato, &c.

Mali triplex

Malignus dicitur, quasi malus ignis, vt habet S. Th. in expositione Psal. 36. & Deus permittit aliquando hos malignos & peccatores viuere quadruplici ratione: Primo, propter peccata hominum, & ideo mali sunt quasi flagella Dei ad populum. Secundo, quia mali dominando peccant, & sic grauius pereunt. Tertio, ad instructionem iustorum, vt non multum reputent hæc temporalia. Quarto, vt mali iustè damnentur, quia abutuntur bonis sibi datis: & denique ad exercitium bonorum, quia semper vnum contrarium exercetur per alterum, &c.

Malignos viuere Deus permittit propter quatuor causas.

Mandatum est illud, quod Deus per alios mandauit, vt ipsum nomen sonare videtur, vt ait S. Th. 1. 2. q. 99. art. 5. in quo distinguit præcepta à mandatis, dicens, quòd præcepta à mandatis distinguuntur in hoc, quod præcepta dicuntur, quæ Deus per seipsum iussit; mandata autem, quæ per alios mandauit; ex quo apparet, quòd omnia legis præcepta continentur sub moralibus, ceremonialibus, & iudicialibus; alia verò non habent rationem præceptorum, sed ordinantur ad obseruationem præceptorum, &c.

Manducatio dicit multa. s. fractionem siue masticationem, & traiectionem in ventrem, siue nutritionem; primum autem conuenit ipsis speciebus tantùm, sed secundùm etiã speciebus continentibus, & corpori contento, quia vbi sunt species, est verum corpus Christi; sed tertium si loquamur spiritualiter, conuenit corpori Christi, si autem corporaliter speciebus ipsis; & ideo manducatio aliquo modo competit corpori Christi, sed non fractio, siue diuisio, &c. vt docet S. Th. 4. sent. dist. 12. q. 1. art. 3. q. 1. ad primum.

Mansiones diuersæ, significant diuersitatem beatitudinis, secundùm diuersum gradum fruitionis, & vnitas denarij significat vnitatem beatitudinis ex parte obiecti, quia in ratione beatitudinis duo includũtur. s. ipse finis vltimus, qui est summum bonum, & adeptio vel fruitio ipsius boni: quantùm ad primum, vna beatitudo non est maior altera, sed bene quantùm ad secundum, quia quanto magis hoc bono fruitur, tanto beatior est. S. Thom. 1. 2. q. 5. art. 2.

Mansuetudo propriè diminuit passionem iræ, secundùm rectam rationem, & refrænat impetum iræ, ideo est virtus, & pars temperantiæ. & præparat hominem ad cognitionem Dei, remouendo duplex impedimentum. s. iram, & contradictionem veritatis, quod plerunque aliqui faciunt ex commotione iræ: vnde mansuetudo facit hominem compotem sui, & licet homo sit naturaliter mansuetus, quia est temperatissimæ complexionis, tamen irasci conuenit etiam naturaliter, inquantùm ratio nunciat causam iræ. S. Thomas 2. 2. q. 157. art. 4.

Mansuetudo iram, & contradictionem veritatis ab homine remouet.

Manus est organum organorum, omnia enim opera attribuuntur manibus, iuxta illud, Lauabo inter innocentes manus meas, vt ait S. Thomas 3. p. q. 83. art. 5. ad primum, vnde aliquando significat multitudinem, aliquando potestatem, iuxta illud, Manus tuæ Domine fecerunt me. & Beatus Petrus Apostolus prima sua Canonica cap. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei, &c. vnde manus Dei dicitur aliquando creantis, continentis, & protegentis omnia; quandoque dicitur manus iustitiæ probantis, flagellantis, & damnantis; aliquando manus misericordiæ sanantis, pascentis, & coronantis, &c.

Mare, à quo dicitur marinus, dictum est ab amaritudine aquarum. & fluxus & refluxus eius non est contra naturam, quamuis sit præter motum naturalem aquæ, quæ mouetur deorsum, est enim ex impressione cœlestis corporis, à quo dependet naturalis inclinatio corporum inferiorum. S. Th. p. q. 105. art. 6.

Maria,

Maria, & Ioseph fuerunt ex vna tribu, & de semine Dauid, vt scribit S.Thom.3.p.q.28. art.1.ad secundum. & non dicitur Christotocos, quia est nomen inuentum à Nestorio, ad abolendum nomen Theotochos. Et quanquam sit verè Mater Christi & Dei, non tamen dicitur Mater Deitatis, aut Diuinitatis. Et habuit triplicem perfectionem gratiæ, in eius sanctificatione, in Conceptione Christi, & in eius glorificatione. Et fuit bis sanctificata, scilicet in vtero matris, & quando concepit Christum. Et habuit plenitudinem gratiæ super omnes post Christum. Habet tres eminentias singulares, quia est super omnes mulieres propter virginitatem, super omnes virgines propter fœcunditatem, & super omnes Angelos propter fructus dignitatem. Interpretatur autem Stella maris, Illuminatrix, & Domina, &c.

Martyr in Græco dicitur quasi testis, vt scribit S.Th.2.2.q.124.art.2. arg.1. hinc Innocentes non ex priuilegio, sed quia fuerunt occisi propter Christum, martyres dicuntur, & eadem est ratio de omnibus infantibus occisis, pura quia sunt Christianorum filij, etiam in vtero matris: nam Christianitas est causa mortis, & causa cuiuslibet martyrij est veritas Fidei, sed ad Fidei veritatem non solum pertinet ipsa credulitas cordis, sed etiam exterior protestatio, quæ quidem fit non solum per verba, quibus aliquis confitetur Fidem, sed etiam per facta quibus aliquis ostendit se habere Fidem: immo quodlibet bonum humanum relatum in Deum, potest esse causa martyrij, &c.

Martyrium est actus charitatis vt imperantis; fortitudinis autem vt elicientis, & ipsius patientiæ concomitanter, vt ait S.Th. vbi sup. & Fidei vt finis. & quia martyrium dicitur testimonium pro Christo: quod potest esse corporis tantum, vt innocentibus; & voluntatis tantum, vt in Beato Dominico, & Francisco; & vtroque modo, vt in Beato Stephano, & Laurentio. Ead hoc perfectum martyrium quatuor requiruntur, iusta causa, s. vt patiatur propter Deum, quia non pœna facit martyrem, sed causa, vnde si mulier prægnans occideretur pro Fide Catholica, puer in vtero non sus esset martyr corpore: Secundo requiritur recta intentio. Tertio voluntas non coacta; hinc latro crucifixus cum Christo non propriè est martyr. Quarto persona quæ occidit, oportet vt sit distincta; hinc Samson qui seipsum occidit non est martyr, &c. *Ad perfectum martyrium quatuor requiruntur.*

Materia prima est sua potentia passiua pura, sicut Deus est suus actus purus, vt scribit S.Thom.p.p.q.115.art.1. ad secundum: & dicitur hyle, quia est receptiua subiecti, massa, origo, elementum, silua, mater, fœmina, turpe fraus, latens. Dicitur materia prima respectu formæ futuræ; secunda respectu formæ præsentis; materia compositionis, vt lapides respectu domus; alterationis, vt farina respectu panis; compositionis, & alterationis simul, vt elementa respectu mixti; Materia in qua, circa quam, & ex qua, vt aie S.Th.2.2.q.55. art.4. loquens de virtute, quæ non habet materiam ex qua, nec circa quam, sed in qua.

Mater alicuius dicitur aliqua mulier, quia eum concepit & genuit, vnde Beata Virgo verè dicitur Mater Dei, vt scribit S.Th.3.p.q.35.art.4.in corp. & dicitur mater à materia, quasi quod in fœtu materiam præbeat, nam semen patris pro artifice est, & formam præbet, mater sanguinem præstat, ex quo fœtus formatur. Aliquando mater pro matrice ponitur, & passiuè concurrit in generatione, vt notat Caiet. contra oppositum docentes 3. p. q.32. art.4. *Mater à materia, & à matrice dicta.*

Mathematica non subsistunt separata secundùm esse, quia si subsisterent, esset in eis bonum, quod est falsum, quia abstrahunt à ratione boni, vt ait S.Th.p.p.q.4.art.3.ad tertium. & Caietanus ibidem dicit, quòd abstrahunt à ratione finis, & boni formaliter, non fundamentaliter; & ideo in scientijs Mathematicis non demonstratur aliquid per causam efficientem, aut finalem, licet processus ipsarum sit disciplinabilior, certior, & facilior, quàm processus Physicus, aut Metaphysicus, aut cuiuslibet alterius scientiæ: hinc veteres (præsertim Chaldæi) maximè profitebantur has disciplinas, &c.

Matrimonium dicitur quasi matris munium.i.officium, quia fœminis maximè incumbit officium educandæ prolis. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem muniens, quia iam habet quo defendatur & muniatur.s.virum. Vel dicitur matrimonium, quasi matrem monens, ne virum relinquat alteri adhærens. Vel dicitur matrimonium, quasi materia vnius, quia in eo fit coniunctio ad vnam prolem materialiter inducendam, vt dicatur matrimonium à *μονος* & materia. Vel dicitur matrimonium à matre & nato, quia per matrimonium efficitur aliqua mater nati: vnde optimè exprimitur eius definitio, quæ dicit, quòd Matrimonium est viri, mulierisq; coniunctio maritalis, inter legitimas personas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens, &c. S.Th.4.sent. dist.27.q.1.art.1.

Matutinum

Matutinum licitè & absque peccato potest clericus dicere in sero; sed consideranda est intentio eius, qui præuenit tempus in matutinis dicendis, vel in quibuscunque horis canonicis; si enim hoc facit propter lasciuiam, vt.s.quietius somnolentiæ, & voluptati vacet, non est absque peccato; si verò hoc faciat propter necessitatem licitarum & honestarum occupationum, puta si clericus, aut magister debet videre lectiones suas de nocte, vel propter aliquid aliud huiusmodi, licitè potest de sero dicere matutinas sequentis diei, sicut etiam hoc in solennibus Ecclesijs fit, quia melius est Deo vtrunque reddere, quàm quod vnum impediatur per aliud. S.Th.quolib.5.art.28.

Maximum per se est causa aliorum, non autem per accidens. S.Th.de potentia Dei q.3. art.6.ad 8.arg.quòd erat tale; Cui aliquid inest per prius, est causa omnium in quibus illud per posterius inuenitur, sicut ignis est causa caloris in omnibus calidis, sed malitia per prius fuit in Diabolo, ergo ipse est causa malitiæ in omnibus malis, & sic est vnum principium omnium malorum, sicut & bonorum: & respondens ait, quòd malum per prius inest Diabolo, quàm alij tempore, non natura, quasi malitia sit eius essentia, vel accidẽs ex principijs propriç naturæ deriuatum: nec obstat si ipse est alijs peior, cùm hoc non sit propter connaturalitatem malitiæ ad ipsum, sed per accidens, quia plus peccauit: illa autem principia aliorum sunt de quibus aliquid maximè dicitur per se, & non per accidens, &c.

Mediator Dei & hominum est solus Christus, verissimè & principaliter, inquantùm homo, quia ad officium mediatoris propriè pertinet coniungere & vnire eos inter quos est mediator; nam extrema vniuntur in medio, vnire autem homines Deo perfectiuè, conuenit Christo, per quem reconciliati sunt, ergo &c. Prophetæ & Sacerdotes vtriusque Testamenti, & Angeli, dicuntur mediatores dispositiuè & ministerialiter, &c.

Medicina duplex purgatiua, & confortatiua.

Medicina est duplex, purgatiua seu euacuatiua, quæ est ad tollendam febrem à febricitantibus; Alia est medicina confortatiua, quæ datur liberatis à febre, vt notat S.Thomas 3.parte, q.80.art.4.ad secundum, vbi ait, quòd non quælibet medicina competit secundùm quemlibet statum infirmitatis; nam medicina quæ datur iam liberatis à febre ad confortationem, noceret si daretur adhuc febricitantibus; ita etiam Baptismus, & Pœnitentia, sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrem peccati; Sacramentum autem Eucharistiæ est medicina confortatiua, quæ non debet dari nisi liberatis à peccato, &c.

Medicus sapiens, in remedium maioris morbi, patitur infirmum in leuiorem morbum incidere. S.Thom. 2.2.q.172.art.6.ad tertium. & habet medicinam practicam & speculatiuam, ex quibus vtitur medicina curatiua, conseruatiua, & præseruatiua. & tenetur gratis curare pauperes, quando nec per se, nec per alios magis coniunctos, nec per eos qui magis possunt, valent curari. Et melior est medicus, qui efficaciori via sanitatem inducit, & si aliquando alium medicum sanat, non sanat ipsum inquantùm medicus est, sed inquantùm est infirmus.

Mediũ multiplex, cõgruentiæ, necessitatis, per negationem, colligantiæ, actionis dispositiuæ, & virtutis moralis.

Medium est duplex, Congruentiæ.s.& necessitatis: primum est quod facit ad decentem coniunctionem extremorum, quæ tamen sine illo esse potest, sicut pulchritudo facit ad decentem coniunctionem matrimonij, qua tamen amissa, matrimonium non soluitur: medium autem necessitatis est, sine quo coniunctio extremorum esse non potest, sicut Ignis tamen coniungitur aëri mediante diaphaneitate, vt notat S.Thom. 3.sent.dist.2.q.2. art.1. Datur etiam medium per negationem, vt lapis non est cæcus, neque videns. Datur medium per participationem, vt rubrum inter album & nigrum. Datur medium colligantiæ, vt clauus colligans duas tabulas. Medium actionis dispositiuæ & perfectiuæ: medium virtutis moralis, &c.

Melchisedech dictus est sine patre, & sine matre, & sine genealogia, & quod non habet initium dierum, neque finem, non quia ista non habuerit, sed quia in Scriptura sacra ista de eo non leguntur: & per hoc assimilatus est Filio Dei, qui in terris est sine patre, & in cœlis sine matre. S.Th.3.p.q.22.ar.6.

Membrum quodlibet operatur, non solum sibi, sed toti corpori, vt oculus videt toti corpori, ita etiam est in potentijs animæ: nam intellectus intelligit non solùm sibi, sed omnibus potentijs animæ, & voluntas vult non solum sibi, sed omnibus potentijs. S.Thomas 1.2.q.17.ar.5. ad secundum. Et membrum propriè dicitur caro, artus tegens, & pars alicuius: vnde membrum Christi est duplex, scilicet verum, vt aliqua pars integralis sui corporis, puta manus, & pes; & membrum mysticum, vt quilibet homo iustus, habens fidem, & charitatem. Et quadrupliciter vniuntur hæc membra ipsi corpori, secundùm naturam,

colligationem,

colligationem, formam, & influxum. 3. sententiarum, distinct. 13. quaest. 2. articulo 2.

Memoria est duplex, intellectiua. s. quae est vis conseruatiua specierum, & sensitiua, quae est apprehensiua particularium, vt docet S. Th. p. p. q. 79. ar. 6. in corp. Et memoria intellectiua non differt realiter ab intellectu possibili, sed est habitualis retentio eius, cuius actus est intelligentia, quae oritur ex memoria sicut actus ex habitu; memoria verò sensitiua est thesaurus specierum intentionalium .i. intentionum sensibilium cum sensu acceptarum, cuius organum est in extrema parte capitis. Ponunt etiam aliqui memoriam foecundam, quae est principium generandi Filium in diuinis, & voluntatem foecundam, quae est principium spirandi Spiritum sanctum. Et ex memoria deriuatur memoriale, quod est illud de quo memoramus, vel memoriam habemus, vel quod facit nos recordari de aliquo, vt memoriale passionis Christi, &c.

Mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur, vt ait S. Th. 2. 2. q. 110. ar. 1. & est triplex .s. perniciosum, vt quando est in nocumentum alterius quo ad animam, vel mores, vel quoad doctrinam, siue quoad corpus, siue quoad res exteriores coniunctas, vel possessas, & tale semper est peccatum mortale: Iocosum, quando ordinatur ad bonum delectabile, vt cùm fabulae dicuntur, sicuti quando Ioseph dixit fratribus suis, Exploratores estis. Et mendacium officiosum, quo intenditur iuuamentum alterius, vel remotio impedimenti, & hoc nulli nocet, & alicui prodest, vt si quis neget aliquem inimico eum occidere volenti; & haec duo sunt peccata venialia. Et potest fieri mendacium verbo, vel facto, vel nutibus, &c. & semper est aequaliter peccatum. *Mendacium triplex, perniciosum, iocosum, & officiosum.*

Mens, vt ait S. Thom. de veritate, q. 10. art. 1. in corp. dicitur à mensurando; res autem cuiusque generis mensuratur per id quod est minimum, & principium primum in genere illo; & ideo nomen mentis hoc modo dicitur in anima, sicut & nomen intellectus, solum autem intellectus accipit cognitionem de rebus, mensurando eas quasi ad sua principia: & quia anima humana pertingit ad altissimum gradum, qui est inter potentias animae, propterea mens in anima nostra dicit illud, quod est altissimum in virtute ipsius: vnde aliquando mens stat pro tota anima, tam pro potentijs superioribus, quàm pro inferioribus. Aliquando à metiendo venit, & sic dicitur de quacunque potentia cognoscitiua, & indicatiua, quae mensurat suum obiectum. Aliquando ab eminendo, & sic capitur pro parte superiori. Dicitur quoque mens à meminisse, & tunc valet sicut memoria, siue sensitiua, siue intellectiua, &c.

Menstruum, quod foeminae per singulos menses emittunt, impuritatem quandam naturalem habet corruptionis, sicut & caeterae superfluitates, quibus natura nō indiget, sed eas expellit: ex tali autem menstruo corruptionem habente, quod natura repudiat, non formatur conceptus, sed hoc est purgamentum quoddam illius puri sanguinis, qui digestione quadam est praeparatus ad conceptum, quasi purior & perfectior alio sanguine; habet tamen impuritatem libidinis in conceptione aliorum hominum, inquantùm ex ipsa commixtione maris & foeminae talis sanguis ad locum generationi congruum attrahitur. S. Th. 3. p. q. 31. ar. 5. ad tertium. Absolutè tamen sanguis ille, qui propriè dicitur mēstruus, est venenosus, ita quod si canis comederet eum, efficeretur rapidus; & si tangeret segetes, desiccarentur. Et quando vir cognoscit mulierem tempore menstruo, efficit prolem gibbosam, vel coecam, vel leprosam, vel habentem aliquam aliam infirmitatem: propterea si mulier, aut vir petit debitum illo tempore, male facit, &c. *Sanguis menstruus venenosus.*

Mensura est duplex, quaedam intrinseca, quae est in mensurato, sicut accidens in subiecto, & haec multiplicatur ad multiplicationem mensurati, sicut plures lineae sunt quę mensurant longitudinem plurium corporum aequalium; est etiam quaedam mensura extrinseca, & hanc nōn est necesse multiplicari ad multiplicationem mensuratorum, sed est in vno sicut in subiecto, ad quod multa mensurantur, sicut multi panni mensurantur ad longitudinem vnius vlnae, & hoc modo multi motus mensurantur ad numerum vnius primi motus, qui numerus est tempus, & multa permanentia ad vnitatem vnius permanentis, quod est aeuum. S. Th. 2. sent. dist. 2. q. 1. ar. 2. ad primum. Et sic etiam Deus potest dici mensura omnium, pro quanto vna res quae magis accedit ad perfectionem Dei, quàm alia, est perfectior. Datur & mensura homogenea mensurato, & haec est per replicationem, non per virtualem continentiam, &c.

Merces propriè dicitur praemium, quod quis ex labore, vel aliquo opere meretur; vnde merces inquantùm huiusmodi, importat aliquid referibile per amorem, ad id cui merces redditur, mercedem enim aliquis per seipsum amat: non tamen est de ratione mercedis,

N quod

quod sit finis intentionis, quia plerunque aliquis mercedem ex opere non quęrit, cui merces datur. S.Thom. 3. sent. dist. 29. q. 1. art. 4. in corp. hinc etiam dicitur, quòd merces est id quòd recompensatur pro retributione operis, ideo reddere mercedem est actus iustitiæ, sicut reddere pretium rei emptæ. Dicitur etiam merces terminus operis: & actus mercenarius dicitur, qui fit propter mercedem, non autem qui est circa eam; & quia merces dicitur dupliciter. s. præmium finale, & omne quo quis fit dignus laborando, propterea bona temporalia sunt mercedes Prædicatorum secundo modo, non autem primo, &c.

Meretrices in ciuitatibus quare tolerantur.

Meretrix in mundo facit id, quod sentina in mari, vel cloaca in palatio, tolle cloacam & replebis fętore palatium, & similiter de sentina, tolle meretrices de mundo, & replebis ipsum sodomia; propter quam causam terrena ciuitas vsum scortorum, licitam turpitudinem fecit. S.Th. opusc. 20. lib. 4 cap. 14. vnde permittitur in ciuitate, quia secundùm ius positiuum, simplex fornicatio non prohibebatur, immo potius in pœnam secundùm antiquas leges mulieres lupanaribus tradendæ condemnabantur. Sed præualente Christiana religione, lex illa extirpata est, licet etiam modo tolerentur, ne aliqua mala peiora incurrantur, quia aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus: hinc retinere possunt quod sibi datum est propter fornicationem, sed si superfluè ad fraudem vel dolum extorquent, tenentur eidem restituere. S.Th. 2. 2. q. 62. art. 5.

Meritum tria requirit. s. vt agens sit in via, & non in termino; Secundum, vt actio sit voluntaria, non coacta, aut necessaria; Tertium, vt æquiparetur mercedi secundùm iustitiam distributiuam. Et est triplex meritum. s. de condigno, de congruo, & interpretatum: primum est actio in charitate existens; secundum est actio existentis in peccato mortali dantis eleemosinam propter Deum; tertiũ est actio alicuius dantis eleemosinam pauperi propter inanem gloriam, vt scribit S.Thom. 3. sent. dist. 18. q. 1. art. 2. & quia vita æterna in Dei fruitione cõsistit, motus autem humanæ mentis ad fruitionem diuini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finẽ, secundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate, & ideo meritum vitæ æternæ primo pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundario, secundùm quod eorum actus à charitate imperantur, vt idem S.Th. docet 1. 2. q. 114. art. 4. & hoc loquendo de merito vt ordinatur ad bonum, quia quandoque meritum ordinatur ad malum seu ad pœnam, & sic tale potius dicitur demeritum, quàm meritum, tamen vt sic est indifferens ad bonum & malum, cùm sit actio, qua iustum est vt agenti aliquid detur, &c.

Metaphysica vnde denominatur.

Metaphysica ordinatur ad Dei cognitionem sicut ad vltimum finem, vnde & scientia diuina nominatur, vt notat S. Th. 3. contra Gent. cap. 25. vnde est nobilissima inter omnes scientias humanitus inuentas, & ordinatiua ipsarum. Et dicitur Metaphysica, quia est de Ente; dicitur scientia diuina, quia est de Deo; dicitur prima Philosophia, quia est de primis causis. Et subiectum eius est duplex, vt communiter consideratum in tota scientia, & sic est ens & vnum; & vt principaliter intentum, & sic est substantia, vt ait idem S.Thomas 5. Metaph. lect. 6. Et disputat contra negantes principia singularum scientiarum; & demonstrat per causam efficientem, & finalem, necnon est maximè consideratiua veritatis, quia considerat eã simpliciter, aliæ verò scientiæ cõsiderant aliquod genus veritatis, &c.

Metaphora, vt scribit S.Th. de veritate q. 7. ar. 2. in corp. non sumitur secundùm quamcunque similitudinem, sed secundùm conuenientiam in illo, quod est de propria ratione rei, cuius nomen transfertur, sicut nomen leonis in Deo, non transfertur propter conuenientiam quæ est in sensibilitate, sed propter cõuenientiam in aliqua proprietate leonis; quia illa quæ dicuntur metaphoricè, non oportet secũdùm omnia esse similia, habet enim leo virtutem, habet & sæuitiam; virtus Dominum, sæuitia Diabolum signat: vnde dicitur in Apocalip. Vicit leo de tribu Iuda: de Diabolo verò ait Princeps Apost. Sicut leo rugiens circuit quærens quem deuoret; propterea dicitur, quòd metaphora est rerum, verborumq; translatio. Et dicitur à μετα, quod est trans, & φερω, quod est ferre, hinc metaphora. i. translatio rei, vel verbi, &c.

Metus duplex, leuis, & grauis.

Metus non causat inuoluntarium simpliciter, sed secundùm quid, quia ea quæ per metum aguntur, sunt voluntaria simpliciter, inuoluntaria autem secundùm quid, vt notat S. Th. 1. 2. q. 6. art. 6. Et nota, quòd metus est expectatio mali, siue opinio magni mali impendentis, cui subijcitur pigritia, terror, timor, pauor, formido, &c. vnde est duplex metus; Quidam leuis, qui non excusat, nec impedit matrimonium, vt quando quis peccat ne sustineat mortem corporalem; Alter est grauis, cadens in constantem seu virtuosum virum, dum quis metu maioris mali fugiendi, eligit minus malũ. Et nullus metus potest

inducere

inducere aliquem ad peccandum mortaliter, secundùm rectam rationem, quia non potest esse maius malum quod imminet, quàm sit illud peccatum, quia nulla pœna prior est, quàm culpa mortalis, &c. vt docet idem S.Thom.4.sent.dist.29.q.1.art.2. de qua re lege etiam Siluest.in summa, verbo Metus.

Michael, est Archangelus vnus de Principibus, vt notat S.Th.p.p.q.113.art.3. in corp. Et interpretatur fortitudo Dei. & est de ordine Principatuum vel Archangelorum. & est ille cui commissus fuit populus Iudæorum, & modo est Princeps Ecclesiæ, sicut prius fuit Princeps Sinagogæ, &c. *Michael est Princeps Ecclesia modo, sicut antea Sinagoga.*

Militia apud Gentiles reputabatur sacra, immo dicebantur sacramenta militaria, quibus homo mancipabatur officio militari, quod sacramentum reputabant, sicut & omnia quę ad communitatem pertinebant. S.Th.4.sent.dist.1.q.1.ar.5.ad primum. Et 3.sent. dist.27.q.2.art.4.q.3. in corp. ait, quòd ars militaris, quæ est propter victoriam ad quam omne officium bellicum ordinatur, ordinat equestrem & nauale, & omnia huiusmodi in suũ finem, sicut charitas quæ cõparatur ad alias virtutes vt motor, & finis, & forma, &c.

Minister Ecclesiæ est quicunq; quantum ad aliquid gerit typum Christi, qui fuit exemplar omnium officiorum Ecclesiasticorum: vnde superior minister repræsentat Christum secundùm maiorem perfectionem; hinc Sacerdos repræsentat Christum in hoc, quòd secundùm aliquod ministerium impleuit; Episcopus in hoc, quòd alios ministros instituit, & Ecclesiam fundauit, & sic de alijs, S.Thom.4.sent.dist.24.q.13 art.2.q.1.ad tertium. Vbi nota, quòd minister noui Testamenti est maioris dignitatis, quàm minister veteris Testamenti. & agit ad salutem in Sacramentis in virtute Christi tantum, Christus autem in virtute propria. & melius est habere paucos ministros bonos, quàm multos malos. & Deus daret idoneos ministros sufficienter, si tantùm idonei, & digni promouerentur, &c.

Miraculum dicitur quasi admiratione plenum, quod scilicet habet causam simpliciter, & omnibus occultam, quæ est Deus: vnde illa quæ à Deo fiunt præter causas nobis notas, miracula dicuntur, quia nomen miraculi ab admiratione sumitur; admiratio autem consurgit, cum effectus sunt manifesti, & causa est occulta, sicut aliquis admiratur cùm videt Ecclypsim Solis, & ignorat causam, vt dicit S.Th.1.p.q.105.ar.7. Miraculum quoq; sumitur aliquando pro operatione mirabili; vnde potest esse quadruplex miraculum, supra naturam, præter naturam, & contra naturam, & quoad modum fiendi, vt prima institutio rerum, &c. Miraculum etiam potest esse verum & falsum: verum est illud, quòd fit ad commendationem sanctitatis, & à Sanctis: falsum est illud, quod fit virtute Dæmonum ab Antichristo ad decipiendum. Et differunt ista quintupliciter. s. in efficacia, duratione, vtilitate, fine, & modo: vnde aliquod miraculum dicitur mendax tripliciter; primo, quia deficit à ratione facti, vt in prestigijs; secũdo, quia deficit à ratione miraculi, vt in miris; tertio, quia deficit à fine Dei, vt in malis Christianis. Miraculum quoque, signum, & prodigium differunt, quia signum est paruum miraculum, prodigium est magnum, vt resuscitatio mortuorum, miraculum est commune vtrisque: vnde de S.Stephano legitur, quod faciebat signa & prodigia magna in populo, &c. *Miraculum quadruplex.*

Miseria non omnis defectus propriè dici potest, sed solùm defectus naturæ rationalis, quam contingit esse fęlicem, nam miseria fęlicitati opponitur. S.Th.p.p.q.21.ar.4. in corp. Et nota, quòd est duplex. pœnæ, & culpæ; Miseria pœnæ est per subtractionem formæ, & integritatis rei, & præcipuè supposito, quòd omnia prouidentiæ, & iustitiæ diuinæ subdantur, de ratione enim pœnæ est, quòd sit contraria voluntati; Miseria culpæ consistit in subtractione debitæ operationis in rebus voluntarijs, hoc enim imputatur alicui in culpam, cùm deficit à perfecta actione, cuius dominus est secundùm voluntatem, &c.

Misericordia est compassio alienæ miseriæ: vnde misericors dicitur aliquis quasi habés miserum cor, quia scilicet afficitur ex miseria alterius per tristitiam, ac si esset eius propria miseria, & ex hoc sequitur, quòd operetur ad depellendam miseriam alterius, sicut propriam, & hic est effectus misericordiæ: vnde Deo maximè competit misericordia, tamen secundùm effectum, non autem secundùm passionis affectum, quia tristari de miseria alterius non conuenit Deo, sed repellere alterius miseriam, vt per miseriam quemcunq; defectum intelligamus; defectus autẽ non tolluntur nisi per perfectionem alicuius bonitatis, sed prima origo bonitatis est ipse Deus, propterea ipse poterit tãtùm expellere omnem defectum & miseriam. S.Th.p.p.q 21.ar.3. Vel dicas, quòd misericordia Dei est duplex, liberans, & relaxans, quia sicut homo misericors non repellit miseriam alienam, nisi inquantùm ratio iudicat, sic Deus non repellit miseriam nostram, nisi quatenus ordo suæ *Misericors dicitur quasi habens miserum cor.*

sapientiæ iudicat eam repellendam, quę si secundùm ordinem suę sapientię totaliter repellatur, vocatur misericordia liberans; si verò non totaliter liberatur, sed de ea aliquid minuatur, vocatur misericordia relaxans, &c.

Missa dicitur quasi transmissa .s. à populo ad Deum, & econuerso; propterea tres sunt differentiæ finium Missarum, nam finis Missæ pro Sanctis est, Ite missa est, quasi dicat, Hostia missa est à nobis ad Patrem, vel missa est nobis à Patre, ideo festinate ingredi illam requiem: finis Missę pro viuis hortatur nos qui sumus in hac vita peregrinationis, vt demus iugiter Deo benedictionem, & gloriam, iuxta illud, Nos qui viuimus benedicimus Domino, ideo terminatur per Benedicamus Domino: in fine Missæ pro defunctis eis optamus requiem per Requiescāt in pace, quod in principio petimus similiter per requiem æternā. S.Th.opusc.66.cap.1. Vbi nota, quòd Missa de requiem magis prodest defunctis ex parte orationum, sed hoc potest recompensari per maiorem deuotionem celebrantis, vel eius qui facit eam celebrari, vel per intercessionem Sancti in cuius veneratione Missa celebratur, &c.

Missio est temporalis processio, & non solùm importat processionem à principio, sed determinat processionis terminum temporalem. Vnde missio solùm est temporalis; vel missio includit processionem æternam, & aliquid addit.s. temporalem effectum, habitudo enim diuinæ personę ad suum principium non est nisi ab æterno: vnde gemina dicitur processio, æterna.s.& temporalis, non propter hoc quod habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis & æterni, vt docet S.Thom.p.p.q.43.art.1. Vbi nota, quòd missio est duplex, visibilis, & inuisibilis: Visibilis est aliqua apparitio rerū corporalium circa creaturam rationalem humanam, eidem creaturæ rationali repræsentans missionem inuisibilem personæ, sicut Christus visibiliter missus est in carne sua, qua non solùm apparuit, sed humanam naturam in vnitate suppositi assumpsit: & Spiritus sanctus quando apparuit in specie columbæ super Christum baptizatum, & in specie nubis lucidæ in transfiguratione, & in specie linguæ igneæ in die Penthecostes, & in specie flatus, instante Christo resurgente, & dicente, Accipite Spiritum sanctum, &c. Missio inuisibilis est diuinam personam ad aliquem per inuisibilem gratiam inhabitare, iuxta illud Sap.9. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, &c. Datur deinde missio per imperium, vt Dux exercitus mittit Capitaneum. Datur & missio per consilium, vt consilians mittit consiliatum. Datur & missio ministerialis, vt in Angelis, tam bonis, quàm malis, &c. S.Th.p.p.q. 112.

Missio duplex, visibilis, & inuisibilis.

Misterium dicitur à μυεω, quod est secretum, vt notat S.Th. in prologo super Esai. hinc dicitur misterium Fidei sacramentum, quod est occultum, secundùm illud Tobiæ, Sacramentum Regis abscondere bonum est. Misticum quoque dicitur, & interpretatur absconditum, vt Dionysius egit librum de mystica Theologia. Mysterium quoque dicitur secretum, & sigillum confessionis, Prouerb. 20. Ei qui reuelat mysteria ne commiseearis. Dicitur adhuc & absconsio sacramentorum Fidei, vt habetur 1. Corinth. 14. Spiritus loquitur mysteria. Capitur quoque pro inuolutione figurarum & ęnigmatum, vt ait Apost. 1. Cor. 15. Ecce mysterium vobis dico, &c.

Mitis dicitur, qui semper fuit sine ira.s. pius, humilis; sed mansuetus dicitur, qui de feritate reducitur ad hoc. S.Th. super Psal. 24. propterea Christus Saluator noster dicitur mitis verbis & factis, vt habetur Matth. 5. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. & Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Et virtus ista mititatis potest naturaliter induci, quia homo est animal naturaliter mansuetum, vnde de Moyse dicitur, quòd erat mitissimus inter omnes.

Mixtio est miscibilium alteratorum vnio, vt ait S.Th.2.sent.dist.17.q.3.art.1. in corp. vbi docet, quod aliquid venit in compositionem alicuius vel per compositionem, quæ est cum ordine, vt domus ex lapidibus; vel per aggregationem, vt ex lignis fit aceruus; vel per mixtionem, vt ex elementis fit mixtum; vel per effectum virtutis suæ, vt corpus cœleste in compositionem omnium inferiorum, &c.

Modestia est virtus moderatiua passionum: & differt à temperantia in hoc, quòd temperantia est moderatiua eorum, quę difficillimum est refrenare, modestia autem est moderatiua eorum, quæ in hoc mediocriter se habent. Quatuor enim sunt moderanda in homine, scilicet excellentia, quæ moderatur per humilitatem; secundum est desiderium cognitionis, quod moderatur per studiositatem; tertium est actio corporalis, vt decenter & honestè fiat, & hæc moderatur per eutrapeliam; quartum exterior apparatus, & hic moderatur

Quatuor sūt moderāda in homine.

ratur per modestiam, quæ nedum respicit exteriores actiones, sed etiam interiores, &c. S.Th. 2.2.q.160.art.2.

Modus est determinatio adiacens rei, quæ quidem fit per adiectionem nominis adiectiui, quod determinat substantiuum, vt cùm dicitur, homo est albus; vel per aduerbium, vt cùm dicitur, homo currit bene. Et est triplex modus; quidam determinat subiectum, vt homo albus currit; quidam prædicatum, vt homo currit velociter; quidam compositionẽ prædicati ad subiectum, vt Sortem currere est possibile, & ab hoc dicitur propositio modalis, quæ constituitur per verum, falsum, necessarium, possibile, impossibile, contingens. S.Thom.opusc.40.in principio. Potest etiam esse modus substantialis, & accidentalis. & in quolibet actu virtutis oportet esse modum ex commensuratione potentiæ ad obiectum, quia modus commensurationem quandam importat: hinc modificari dupliciter dicitur, scilicet formaliter per proprium modum rei, & effectiuè ab eo qui dat modum omni rei, scilicet Deus. S.Th.1.sent.dist.3.q.2.art.3. & p.p.q.5.art.5.

Mollities propriè respicit defectum delectationum: & causatur dupliciter; Vno modo ex consuetudine, cùm enim aliquis cõsuetus est voluptatibus frui, difficilius potest earum absentiam sustinere; Alio modo ex naturali dispositione, quia videlicet habet animum minus constantem propter fragilitatem complexionis, & hoc modo comparantur fœminę ad masculos, & illi qui muliebria patiuntur; & talis mollities opponitur bono perseuerantiæ, & est contra castitatem, & est vitium contra naturam. S.Th.2.2.q.138.art.1. Et super tex.94.2.de anima, exponens, molles carne sunt bene apti ingenio, qui autem sunt duri, inepti mente, ait, quòd est verum, quando hæc mollities causatur ex contemperantia miscibilium, non autem ex superabundanti humido, vt in mulieribus, & vermibus. *Mollities causatur dupliciter, ex consuetudine, & naturali dispositione.*

Momentum potest accipi, vel pro ipso instanti temporis, quod dicitur nunc, vel pro aliquo tempore, imperceptibili tamen: vtroque modo potest accipi hoc, referendo illud ad diuersa: quia si nos referimus ad collectionem puluerum, quæ fit ministerio Angelorum, tunc momentum accipitur pro tempore imperceptibili; si autem referamus ad vnionem animæ cum corpore, tunc accipitur pro instanti temporis. S.Thom.1.ad Corinth.lect.8, exponens verba Apost. In momento, & in ictu oculi, &c.

Monachus comedens carnes, non ex hoc ipso peccat mortaliter, nisi in casu propter inobedientiam & contemptum, quia abstinere à carnibus non ponitur in regula Beati Benedicti vt præceptum, sed vt statutum quoddam, & non est contra votum eius: vnde si comedenti infligitur pœna ab ipso Prælato, est, quia contumaciter & inobedienter comedit; S.Th.quolib.1.ar.20. Et dicitur monachus à μονὸς, idest solus, quia viuit separatus à conuersatione hominum, &c.

Monarchia est quadruplex, Assyriorum, significata per caput aureum statuæ; Medorum, & Persarum per brachia argentea; Græcorum per ventrem æreum; Romanorum per tibias ferreas; Additur quinta Monarchia ipsius Christi, qui est verus Monarcha post resurrectionem dicens, Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, quod quidem ad humanitatem oportet referre, non autem ad diuinitatem. S.Thom.opusc.20.lib.3.cap.10.& 12. Et dicitur Monarchia quasi vnus Principatus; & Monarcha quasi vnicus & supremus Princeps. *Monarchia quadruplex, Assyriorum, Medorum, Græcorum, et Romanorũ.*

Moneta est regula & mensura rerum venalium, & est ornamentum Regis, & Regni, & cuiuslibet regiminis, quia in ea repræsentatur imago Regis; vnde in nulla re tanta potest esse claritas memoriæ eius, eo quod nihil sic per manus hominum frequentatur, quod ad Regem, vel quemcunq; dominum pertineat, quàm moneta. S.Th.opusc.20.libro 2.cap.13. Et dicitur moneta, quia signi impressione, auctoris, vel pretij nos monet, &c.

Monstrum contingit in natura præter intentionem virtutis formatiuæ, quæ agit in semine, reducitur tamen in aliquas causas naturales, quia contingit ex aliqua indispositione materiæ, sicut ex principio proximo, vel ex impressione alicuius signi cœlestis, sicut ex principio remoto. S.Th 2.sent.dist.18.q.1.ar.3.ad sextum. Et dicitur monstrum deordinatio aliqua in natura, & præter solitum cursum naturæ; sicuti narratur de quoddam mõstro tempore Alberti Magni, quod habebat duo capita, quorum vnum dicit noluisse id quod aliud volebat, vnum appetebat sobriè viuere, alterum epulari, & propter istam diuersitatem voluntatum fuit iudicatum monstrum illud habuisse duas animas, quod potuerat esse Deo puniente, quia nihil euenit in mundo præter eius intentionem. *Monstrũ reducitur 1 causas naturales licet sit præter intentionẽ virtutis formatiuæ.*

Mors inflicta per iudicem peccatori prodest, siue conuertatur ad culpæ expiationem, siue etiam conuertatur ad culpæ terminationem, quia per hoc tollitur ei potestas amplius peccandi.

peccandi. S.Th.2.2.q.13.art.6.ad secundum. Et aufert totam pœnam debitam pro criminibus in alia vita, vel partem pœnæ, secundùm quantitatem culpæ, patientiæ, & contritionis, quod non facit mors naturalis. Et est maxima pœnarum, inquantùm priuat primum bonum hominis .s. esse, sed inquantùm priuat vitam malam, est remedium pœnarum. Et licet sit odibilis naturaliter, est tamen appetibilis propter beatitudinem. Et variè diffinitur: dicitur enim, quòd est priuatio vitæ; vel recessus animæ à corpore; vel separatio animæ à corpore; vel vltimum terribilium; vel finis malorum seu dolorum. Et est duplex, scilicet corporalis & spiritualis: secunda est peior, quàm prima, ratione loci, & amissæ spei, &c.

Mortuus patitur detrimentum, si tardetur exequutio eleemosinarum quas prius mandauit fieri, non quidem quoad meritum, sed quoad effectum remedij: meritum enim principaliter ex voluntate & ex intentione dependet, sed quantùm ad effectum eleemosinæ patitur detrimentum, non quidem vt pro huiusmodi tarditate puniatur, sed quia remedium ei non adhibetur, dum suffragia differuntur, ex quibus plurimum iuuaretur, vt notat S.Th quolib.6.art.13.

Mos pro consuetudine, & pro inclinatione naturali sumitur.

Mos, duo significat; Aliquando consuetudinem, iuxta illud Actorum 15. Nisi circuncidamini, secundùm morem Moysi, non poteritis salui fieri; Aliquando verò significat inclinationem quandam naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum: vnde etiam brutorum animalium dicuntur aliqui mores, iuxta illud, Qui habitare facit vnius moris in domo: & hæ duæ significationes in nullo distinguuntur apud Latinos quantùm ad vocem, in Græco autem distinguuntur: nam æthos, quod apud nos morem significat, quandoque habet primam longam, & scribitur per η, Græcam literam, quandoq; autem habet primam correptam, & scribitur per e. Dicitur autem virtus moralis, à more, secundùm quod mos significat quandam inclinationem naturalem, vel quasi naturalem ad aliquid agendum; & huic significationi moris propinqua est alia significatio, quæ significat consuetudinem, nam consuetudo quodammodo vertitur in naturam, & facit inclinationem similem naturali. S.Th.1.2.q.58.art.1.

Moyses vidit Deum per essentiam in quodam raptu, quia fuit legifer Iudæorum, sicuti & Paulus, vt habetur 2. Cor. cap. 12. qui fuit Doctor gentium, vt in hoc essent æquales. S.Th.de ver.q.10.ar.11.ad primum. Et fuit Sacerdos, quasi sacra dans, quia accepit sacra à Deo immediatè, & ea primo dedit populo: non autem fuit Sacerdos ex officio offerendi. Et non habuit faciem cornutam, vt aliqui Rabini existimant, sed radiantem, & propter multam mansuetudinem suam fuit dignus apparitione diuina, quia mansuetudo & clementia reddunt hominem Deo & hominibus acceptum, secundùm quod concurrunt in eundem effectum cum charitate. S.Th.2.2.q 157.ar.4. ad primum arg.& ad secundum.

Motus est duplex; Communiter, & sic qualibet operatio vt intelligere, & velle, & amare dicitur motus, quo pacto in Deo potest esse motus, & in Angelis; Alio modo propriè, & sic est actus existentis in potentia, & hic dicitur motus physicus, & competit tantùm corporibus. S.Th.p.p. q. art.1.ad primum.

Mulier, dicitur quasi mollis aer.

Mulier facta est in adiutorium viri, non quidem in adiutorium alicuius alterius operis, vt quidam dixerunt, cùm ad quodlibet aliud opus iuuari possit vir per alium virum conuenientius quàm per mulierem, sed facta est in adiutorium generationis. S.Th.p.p.q.92. art.1. Et dicitur mulier, quasi mollis aer, quia est fragilior & mollior ad resistendum infirmitatibus, & alijs malis, quàm vir. Dicitur etiam mulier mollis, quia mollificat cor viri suis blanditijs ad peccandum: vnde Adam, Samsonem, Salomonem mulier decepit, quis ergo tutus erit? hinc Origenes loquens de muliere, ait, quòd est caput peccati, mater delicti antiqui, membrum Diaboli, corruptio legis antiquæ, expulsio Paradisi. Et denique mulier dicitur propter sexum distinctum contra virum, &c.

Multiforme dici potest aliquod principium dupliciter: Vno modo quantùm ad ipsam essentiam principij, inquantùm .s. est compositum, & sic multiforme principium oportet esse posterius vniformi; Alio modo per respectum ad effectus, vt dicatur illud principium multiforme, quod ad multa se extendit, & sic multiforme est prius, quàm vniforme, quia quanto aliquod principium est simplicius, tanto ad plura se extendit; & secundùm hunc modum voluntas dicitur multiforme principium, natura autem vniforme, vt scribit S.Th. in disputatis de ver.q.5.art.2.ad secundum, loquens de prouidentia Dei, &c.

Multiloquium est filia gulæ, quæ habet quinque filias .s. ineptam lætitiam, scurrilitatem seu iocularitatem, quia à stultis scurrilitas dicitur .i. iocularitas, quæ risum mouere solet,

etsi

etsi vtrunq; ad verba refertur, in quibus contingit peccare, vel ratione superfluitatis, quod pertinet ad multiloquium, vel ratione inhonestatis, quod pertinet ad scurrilitatem. Quarta filia dicitur immunditia; quinta hebitudo mentis propter fumositates ciborum, perturbantes caput. S.Th.2.2 q.148.ar.6. Et nota, quòd dicitur multiloquium, quasi multitudo locutionum, cum superfluitate, præter vtilitatem, & necessitatem, propterea in multiloquio non deest peccatum. *Multiloquiū, est multitudo loquutionum cū superfluitate.*

Multiplicitas non est in Deo, vt notat S.Th.1.sent.dist.24.q.2.art.1. dicens, quòd circa Fidem Trinitatis fuerunt duæ hæreses.s. Arrij, qui induxit pluralitatem essentiæ: Sabellij, qui abstulit pluralitatem personarum, quorum vtrunq; concedit Fides Catholica, & ideo oportet ea concedere, quæ vtriq; hęresi aduersantur, & ea negare quæ vtriq; sunt consona; vnde contra Arrium quatuor ponit Ecclesia.s. vnitatem essentiæ, & simplicitatem, ob hoc negat multiplicitatem, vel diuisionem, quæ ponit rationem totius & partis, quæ simplicitati aduersantur: tertio ponit similitudinem in natura Deitatis: quatto indiuisam virtutē trium personarum. Contra Sabellium ponit etiam quatuor.s. naturæ communicationem pluribus suppositis: secundo, quòd hæc communicatio cum pluralitate suppositorum est rei, & non rationis: tertio, quòd in hac pluralitate est ordo originis, ideo prædicat discretionem, quæ ordinem quendam importat, & excludit confusionem: quarto ponit tres personas vnitas societate quadam amoris, qui est Spiritus sanctus, & ideo prædicat consonantiam. Non igitur reperitur in Deo multiplicitas aliqua, &c.

Munditia duplex est; Vna quidem præambula & dispositiua ad visionem, quæ est depuratio affectus ab inordinatis affectionibus, & hæc munditia fit per virtutes, & dona, quæ pertinent ad vim appetitiuam; Alia verò est munditia, quæ est quasi completiua, respectu visionis diuinæ, & hæc quidem est munditia mentis depuratę à phantasmatibus, & erroribus, vt.s. ea quæ de Deo proponuntur, non accipiantur per modum corporalium phantasmatum, nec secundùm hæreticas prauitates; & hanc munditiam facit donum intellectus. S.Thom.2.2.q.8.art.7.

Mundanę res ad tria reducuntur.s. ad honores, diuitias, & delicias, secundū illud 1.Io.2. Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, quod pertinet ad delicias carnis; & concupiscentia oculorum, quod pertinet ad diuitias; & superbia vitæ, quod pertinet ad ambitum gloriæ & honoris. S.Th.1.2.q.108 art.3. in resp. ad quartum. Et in corp.4.ar. ait, quòd bona huius mundi quę pertinent ad vsum humanę vitę in tribus consistunt.s. in diuitijs exteriorum bonorum, quę pertinent ad concupiscentiam oculorum; & in delicijs carnis, quę pertinent ad concupiscentiam carnis; & in honoribus, quę pertinēt ad superbiam vitę: hæc autem tria totaliter relinquere secundùm quod possibile est, pertinet ad consilia Euangelica, &c.

Mundus aliquo modo propter hominem factus est, ideo oportet, quòd quando homo secundùm corpus glorificabitur, etiam alia corpora ad statum meliorem immutentur, vt sit & locus conuenientior, & status atq; aspectus delectabilior. S.Th.4.sent.dist 47.q.2.at.1. Et nota, quòd mundus capitur aliquando pro mundo archetypo, qui est Filius Dei, vel notitia diuina, vt dixit Boetius 3. de Consolatione Philosophię, Tu cuncta superno ducis ab exemplo, pulcherrim pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similiq; ab imagine formans. Secundo capitur mundus pro homine, qui dicitur microscosmus.i. minor mundus, quia continet omnes gradus rerum, qui sunt in mundo. Tertio dicitur mundus spiritualis, qui est vniuersitas intelligentiarum separatarum, cum suis actibus & habitibus spiritualibus, ordinata ad Deum, & inter se, & inferiores creaturas. Quarto capitur mundus pro amatoribus huius mūdi, vnde dicitur, Et mundus eum non cognouit.i. mūdani homines. Quinto capitur mundus pro delectabilibus & vitijs huius mundi, vt scribitur 1.Io.cap.2. Nolite diligere mundum, neque ea quę in mundo sunt. Sexto capitur pro mundana conuersatione, vt habetur Ioan.18. Regnum meum non est de hoc mundo.i. de mundana conuersatione, humana, vitiosa. Septimo capitur pro tota congregatione omnium rerum creatarum, siue sint substantiæ, siue accidentia, & talis non potest esse nisi vnus, quod ordo in rebus creatis à Deo existens manifestat, vt docet S.Th.1.p.q.47.ar.3. in corp.&c. *Mundus diuersimodè accipitur.*

Munus datum vel acceptum pro re spirituali quasi pretium eius, est simonia, non autem quasi stipendium: vnde si quis expectet vel exigat quasi per obligationem pacti taciti vel expressi recompensationem muneris ab obsequio, vel à lingua, perinde est ac si expectaret vel exigeret munus à manu, quia vtrunque pecunia æstimari potest, vt patet in his qui locant operas suas, quas manu vel lingua exercent: si verò munus ab obsequio, vel lingua

non

non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex beneuolentia, quæ sub æstimatione pecuniæ non cadit, licet hoc accipere, & exigere, & expetere. S. Thomas 2.2.q 78.ar.2.ad tertium. Et nota, quòd munus accipitur aliquando pro onere, aliquando pro officio, aliquando pro dono facto à Principe.

Triplex mutatio, naturalis, miraculosa, & conuersibilis in nihil.

Mutatio est triplex; Vna quidem naturalis, quæ fit à proprio agente secundùm ordinem naturæ; Alia verò est miraculosa, quæ fit ab agente supranaturali, supra consuetum ordinem & cursum naturæ, vt resuscitatio mortuorum; Tertia verò est, secundùm quod omnis creatura vertibilis est in nihil. S. Th. 3.p.q.13.ar.2. Et q 75.ar.7.ait, quòd aliqua mutatio potest esse instantanea ex parte formæ, quæ est terminus mutationis: si enim fuerit aliqua forma, quæ suscipit magis & minus, successiuè acquiritur in subiecto, cuius oppositum est in forma substantiali: secundo ex parte subiecti, quod successiuè præparatur ad susceptionem formæ, vt quando aqua calefit, cuius oppositum est in diaphano illuminato: tertio ex parte agentis, quod est infinitæ virtutis potentis in instanti disponere materiam ad formam: & omnibus his modis conuersio panis in corpus Christi est instantanea, &c.

Mutilatio seu abscissio alicuius membri, etsi vergat in detrimentum totius corporis, ordinatur tamen ad bonum communitatis, inquantùm alicui infertur in pœnam, ad cohibitionem peccatorum: & ideo sicut per publicam potestatem aliquis licitè priuatur totaliter vita, propter aliquas maiores culpas, ita etiam priuatur membro propter aliquas culpas minores: hoc autem non est licitum alicui priuatæ personæ (etiam volente illo cuius est membrum) quia per hoc fit iniuria communitati, cuius est ipse homo, & omnes partes eius; si verò per putredinem membrum fit corruptiuum totius corporis, tunc licitũ est de voluntate eius præscindere propter sanitatẽ totius corporis. S.Th.2.2.q.65.ar.1.

Mutuum accipere sub vsuris, propter aliquod bonum, quod est subuentio suæ necessitatis, vel alterius (ab eo tamen qui hoc paratus est facere & vsuras exercet) licitum est, & fieri potest sine peccato, sicut etiam licet ei qui incidit in latrones manifestare bona quæ habet, quæ latrones peccant diripiendo, ad hoc quod non occidatur: exemplo decem virorum, qui dixerunt ad Ismael, Noli occidere nos, quia thesauros habemus in agro, vt dicitur Hierem. 4. Nullo tamen modo licet inducere aliquem ad mutuandum sub vsuris, quando non est paratus ad illas exercendas, quia non licet inducere hominem ad peccandum, vti tamen peccato alterius ad bonum, licitum est: quia & Deus vtitur omnibus peccatis ad bonum aliquod, ex quolibet enim malo elicit aliquod bonum: & inde est, quòd etiam vti possumus non ad malum, sed ad bonum fide illius, qui iurat per falsos Deos, non tamen licet inducere aliquem ad iurandum per falsos Deos, &c. S.Th.2.2.q.78.ar.4.

Hominem nõ licet inducere ad mutuandum sub vsuris, sicut neq; ad alia peccata.

DE LITERA N.

HÆc litera apud Latinos est vna ex semiuocalibus, ab antiquis verò auctoribus connumerabatur inter liquidas; & quando ponitur per se punctuata ex vtraque parte, verbi gratia .N. significat nostrum, vel nostram, &c.

Nasi abscissio facit hominem ineptum ad susceptionem Ordinis, vel propter impedimentum actus, vel propter impedimentum claritatis personæ; nam talis abscissio inducit notabilem maculam, per quam obscuratur claritas personæ, vt dicit Sanctus Thomas 4.sentent. dist.25. quæst.2. artic.2.

Natiuitas ex vtero, in vtero, dolorosa, gratiosa, nobilis, gloriosa.

Natiuitas est duplex, Altera quæ dicitur ex vtero, de qua intelligitur dictum illud Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Altera est generatio in vtero, per quam infunditur anima ipsi corpori, de qua scribitur Matthæi 1. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est, i. conceptum, vt docet S.Th.3.sent.dist.3.q.1.ar.1. vbi notat, quòd natiuitas ex vtero est exitus à generante, seu egressus prolis de ventre, qua paruulus egreditur de matre primo apparens visibilis. Solet etiam dici, quòd generatio seu natiuitas aliqua est dolorosa, vt quando puer nascitur plorando in hoc mundo mortali. Aliqua est gratiosa, vt quando puer natus suscipit Sacramentum Baptismi. Et aliqua natiuitas dicitur nobilis, vt quando aliqua persona assumitur ad aliquam dignitatem, puta Cardinalatus, aut Papatus. Et aliqua dicitur natiuitas gloriosa, vt quãdo assumuntur Sancti in gloriã.

Natura dicitur à nascendo, quia hoc nomen impositum fuit primo ad significandam generationẽ viuentium, quæ dicitur natiuitas; & quia huiusmodi generatio est à principio

intrinseco,

intrinseco, extensum est hoc nomen ad significandum principium intrinsecum cuiuscunq; motus. Et sic solet definiri, quod natura, quæ est materia, vel forma, est principium mouendi & quiescendi eius, in quo est primo & per se, & non secundùm accidens. Et quia per formam completur essentia vniuscuiusque rei, communiter essentia significata per definitionem, dicitur etiam natura. S. Th. p. p. q. 29. art. 1. in resp. ad quartum. Vbi nota, quòd natura dicitur etiam ratio artis diuinæ indita rebus, qua mouentur ad suos fines. Dicitur etiam proprietas rei, vt natura Reubarbari est purgare coleram. Dicitur quoq; quęlibet entitas, quæ intelligi potest ab intellectu nostro positiuè. Dicitur adhuc ipse Deus, qui vocatur natura naturans .i. producens omnia. Dicitur quoque connexio causarum secundarum, quæ vocatur natura naturata; & quia à natura venit naturale, hinc est, ꝙ aliud est natura vt materia & forma; aliud naturale vt ferri sursum igni; aliud habens naturã vt Sortes, &c. Natura etiam est triplex, scilicet intellectualis diuina, quæ est pelagus infinitæ substantiæ; & natura media Angelica distincta in nouem ordines Angelorum; & natura humana, quæ est compositum quoddam ex materia & forma rationali, &c.

Deus est natura naturãs, idest producens omnia.

Naturale potest dupliciter sumi; Vno modo prout diuiditur contra ens in anima, & sic dicitur naturale omne illud, quod habet esse fixum in natura, sicut cœlum Empyreum, & Angeli dicuntur naturalia: Alio modo dicitur naturale, secundùm quod diuiditur contra ens diuinum, quod abstrahitur à materia & motu, & sic naturale dicitur illud solum quod mouetur, & est ordinatum ad generationem & corruptionem in rebus; & hoc modo cœlum Empyreum non est naturale, sed diuinum, quod est ordinatum ad gloriam bonorum, nec materiam habet ad motum, sed ad finem suum: vnde non oportet quod vbicunque est materia, quod sit motus. S. Th. 2. sent. dist. 2. q. 2. art. 2. ad quartum. Naturale etiam aliquando opponitur supranaturali, vt in Incarnatione.

Necessitas dicitur multipliciter (necesse est enim, quod non potest non esse) quod quidem conuenit alicui vno modo ex principio intrinseco siue materiali, sicut cùm dicimus, omne compositum ex contrarijs necesse est corrumpi; siue formali, vt quando dicimus, necesse est triangulum habere tres angulos, æquales duobus rectis, & hæc dicitur necessitas absoluta & naturalis: Alio modo conuenit alicui, quod non possit non esse ex aliquo extrinseco, vel fine vel agente; fine quidem, sicut cùm aliquis non potest sine hoc consequi, aut bene consequi finem aliquem, vt cibus dicitur necessarius ad vitam, & equus ad iter; & hæc vocatur necessitas finis, quæ interdum dicitur vtilitas; ex agente autem conuenit alicui, sicut cùm aliquis cogitur ab aliquo agente, ita quod non possit contrarium agere; & hæc vocatur necessitas coactionis. S. Th. p. p. q. 82. art. 1. Vbi nota, ꝙ necessitas dicitur à non cesso, quasi non cessans esse, cesso autem est vacare ab opere: hinc aliquando dicitur necessitas à priori, vt in mathematicis; & à posteriori, vt in naturalibus. Et potest esse necessitas consequentis, vt est rationale, ergo risibile; & consequẽtiæ, vt currit, ergo mouetur. Et est necessitas coactionis absoluta, & ex suppositione, & obedientiæ: primæ tollunt rationem laudis & meriti, non autem necessitas obedientiæ. Poterit etiam esse necessitas præcepti, & ministri, vt celebret indutus vestibus, & ieiuno stomacho; est necessitas Sacramenti, vt quod minister sit ritè ordinatus, &c.

Necessitas dicitur à non cesso.

Negatio est duplex; quædam quæ negat in genere determinato, & hæc habet aliquid simile priuationi, inquantùm ponitur aliquod determinatum genus: Alia est negatio extra genus, & hæc est absoluta negatio, quia nullum genus determinat: vnde ingenitus si dicit negationem extra genus, tunc conuenit omni ei quod est, & quod non est ab alio per generationem, siue sit ab aliquo alio, siue non, & siue sit creatum, siue increatum, & sic Pater, essentia diuina, & Spiritus sanctus, & primæ creaturæ sunt ingenitæ: si verò capiatur negatio in genere principij in natura diuina, sic solus Pater est ingenitus. S. Th. 1. sent. dist. 13. q. 1. art. 4. in corp. Vbi nota, ꝙ negatio dicitur à non & ago, quasi non agere seu dicere, & est enunciatio alicuius ab aliquo. Et potest esse triplex; Negatio negans, vt homo non est lapis; & negatio priuans, quæ est illa quæ aliquid negat ab aliquo, ponit tamen aptitudinẽ, vt catulus ante nonum diem est non videns; & negatio infinitans, vt lapis est non homo: & quia omnis negatio fundatur in aliqua affirmatione intellecta vel imaginata, non autem in affirmatione reali, hinc causa negationis potest esse negatio causæ, & positio contrarij, & quia non propriè negatio est in specie, sed reducitur ad speciem, &c.

Negatio est triplex, negãs, priuans, et infinitans.

Negligentia directè opponitur sollicitudini, sollicitudo autem pertinet ad rationem, & rectitudo sollicitudinis ad prudentiam, vnde per oppositum negligentia ad imprudentiam pertinet, quod ex ipso nomine apparet, quia negligens dicitur quasi nec eligens,

electio autem recta eorum quæ sunt ad finem, ad prudentiam pertinet, propterea negligentia pertinet ad imprudentiam,& prouenit ex quadam remissione voluntatis,per quam contingit quod ratio non sollicitetur, vt præcipiat ea quæ debet, vel eo modo quo debet; vnde differt à pigritia & torpore, quia pigritia est tarditas in exequendis præceptis prudentiæ; torpor est remissio in executione postquam quis cœperit; negligentia verò consistit in prætermissione alicuius actus vel circunstantię: quod si est de necessitate salutis, tunc est peccatum mortale; si verò non, erit peccatum veniale. S. Th. 2.2.q.54.art.1.& 2.

Negociatio secundùm se considerata, quandam turpitudinem habet, inquantùm non importat de sui ratione finem honestum, vel necessarium: Lucrum tamen quod est negociationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium: vnde nihil prohibet lucrū ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum; & sic negociatio licita redditur, sicut cùm aliquis lucrum moderatum quod negociando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subueniendum indigentibus, vel etiam cùm aliquis negociationi intendit propter publicam vtilitatem, ne scilicet res necessariæ ad vitam patriæ desint: & lucrum expetit non quasi finem, sed quasi stipendium finis. S. Th. 2.2.q.77.
Negociatio maxime interdicitur Clericis. art.4. Vbi nota, quòd maxime negociatio interdicitur Clericis, quia vita eorum debet esse abstinens, nedum à malis, sed etiam ab his quæ habent speciem mali, & quia difficile est inter vendentes, & ementes non interuenire peccatum, &c.

Nescire dicitur dupliciter; Vno modo metaphoricè, ad similitudinem nescientis se habere; & sic ipsum reprobare, Dei nescire dicitur, quia malos à gloria sua excludit, sicut aliquis ignotos à secretis suis excludit, & per oppositum Deus dicitur scire, quæ approbat; & sic verum est, quòd Deus dicitur nescire mala; Alio modo dicitur nescire propriè, quod est carere notitia rei, & per oppositum scire est notitiam rei habere, & ita Deus nouit & bona, & mala, cognoscendo essentiam suam, sicut tenebræ cognoscuntur per cognitionem lucis. S. Th. 1. sent. dist. 36. q. 1. art. 2. & quia ex hoc nascitur nescientia, quæ differt ab ignorantia, & errore, quia nescientia negat simpliciter scientiam eorum, quæ quis non tenetur scire, vnde reperitur etiam in Angelis, & Beatis, qui multa nesciunt: sed ignorantia, dicit negationem priuationis addentis debitum finem sciendi, quia est nescire, quod tenetur
Errare dicitur ille, qui verū pro falso existimat. scire: error verò dicit priuationem dispositionis, quia vltra prædicta addit contrariam dispositionem: ille enim propriè dicitur errare, qui verum pro falso existimat.

Neutrum genus, est informe, masculinum autem est formatum, & distinctum, & similiter fœmininum; & ideo conuenienter per neutrum genus, significatur essentia communis, per masculinum autem & fœmininum aliquod suppositum determinatum in communi natura: vnde etiam in rebus humanis si quæratur, quis est iste? Respondetur, Sortes, quod est nomen suppositi: si autem quæratur, quid est iste? Respondetur, animal rationale, mortale; & ideo quia in diuinis distinctio est secundùm personas, non autem secundùm essentiam, dicimus quo Pater est alius à Filio, sed non aliud, & econuerso dicimus, quod sunt vnum, & non vnus. S. Th. p. p. q 31. art. 2. ad quartum.

Nexus vel connexio amoris, proprium est Spiritus sancti; sed quia illa quæ conueniunt in aliquo vno, possunt dici connexa in illo, ideo connexio absolutè dicta, nō importat nisi conuenientiam quandam, & sic non est proprium Spiritus sancti, sed appropriatum: si tamen sumeretur vt est proprium, non esset magnum inconueniens, quod assignatio non est vniformis simpliciter, quia huiusmodi attribuuntur personis, inquantùm sunt appropriata, & sic accedunt ad rationem propriorum: vnde proprium & appropriatum inquantùm appropriatum, non habent rationem deformitatis. 1. sent. dist. 31. q. 3. art. 1. ad quintum. Vbi nota, quòd quando dicitur, Spiritus sanctus est nexus amborum, tantùm valet, ac si dicatur, Spiritus sanctus est amor vniformiter productus à duobus conuenientibus in vno principio spiratiuo.

Nihil fit ex nihilo, secundùm emanationem effectuum particularium, à causis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione: & has causas considerauerūt Philosophi, & ideo apud ipsos erat communis opinio, ex nihilo nihil fieri: sed tamen in prima emanatione rerum per quam producta est tota substantia rerum sine motu, & ab vni-
Nihil aliquādo peccatum, aliquādo non aliquid significat. uersalissima causa, quę est Deus, ex nihilo facta sunt omnia, iuxta illud, In principio creauit Deus cœlū & terrā; vbi dicit Glosa, Creare est aliquid ex nihilo facere. S. Th. p. p. q. 45 ar. 2. Sed aduerte, quòd nihil aliquando significat peccatum, vt dicit Augustinus super Ioan. Sine ipso factū est nihil, idest peccatum: Aliquando significat non aliquid, Sine ipso factum est nihil,

est nihil, idest non aliquid. Potest etiam nihil capi priuatiuè, vt si dicatur, ille loquitur de nihilo: Aliquando positiuè, quemadmodum domus fit ex lapidibus: Aliquando ordinabiliter seu ordinaliter, vt quando dicitur, creatura facta est ex nihilo. i. post nihil, &c.

Nitor animæ est duplex; Alter qui causatur ex refulgentia luminis naturalis, rationis, per quam dirigitur in suis actibus; Alter qui causatur ex refulgentia diuini luminis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam homo perficitur ad bene & decenter agendum. S.Thom. 1.2. q.86. art. 1. Nitor etiam animæ potest esse duplex, habitualis, & actualis, sicut nitor corporis potest esse intrinsecus & extrinsecus.

Nobilitas cuiuscunq; rei est sibi secundùm suum esse, nulla enim nobilitas esset homini ex sua sapientia, nisi per eam sapiens esset, & sic de alijs: sic ergo secundùm modum quo res habet esse, est suus modus in nobilitate: nam res secundùm quod suum esse contrahitur ad aliquem specialem modum nobilitatis maiorem vel minorem, dicitur esse secundùm hoc nobilior, vel minus nobilis. S.Thom. 1. contra Gent. cap. 28. Et nobilitas dicitur multis modis; quandoquidem quædam est nobilitas naturalis, quæ est eminentia notabilis, proueniens homini ex perspicaci iudicio rationis; quædam est nobilitas virtualis, quæ est eminentia proueniens homini ex assuefactione, vel habituatione virtutum moralium; quædam est parentalis, proueniens homini ex laude propinquorum, parentum, qui fuerunt insignes in armis, vel in scientijs, propterea dicitur, quod nobilitas est quædam claritas maiorum, vel honorabilitas progenitorum, vel ingenuitas, & virtus, & diuitiæ antiquæ, & laus veniens ex meritis parentum; quædam est nobilitas supernaturalis, quæ est eminentia quædam notabilis, proueniens homini ex charitate, & ex donis supranaturalibus, quibus homo fit filius Dei adoptiuus: hinc est, quòd nobilitas reperitur in superiori mentis apice, quæ creata est ad imaginem & similitudinem beatissimæ Trinitatis, secundùm tres potentias, memoriam, intelligentiam, & voluntatem, conuenientes in vna essentia: & quia nobilitas est nomen abstractum, à quo deriuatur concretum, quod est nobile prodiens ex bono genere, hinc nobilis dicitur, quasi generosus, qui à natura suorum progenitorum non degenerauit. Aliquando etiam nobilis significat virum excellentem, & dignum, &c.

Nomen correspondet proprietatibus rerum, vt patet in nominibus generum, & specierum, quia dicitur, quod ratio quam significat nomen, est definitio, quæ designat propriam rei naturam. Nomina autem singularium hominum, semper imponuntur ab aliqua proprietate eius, cui nomen imponitur: vel à tempore, sicut imponuntur nomina aliquorum Sanctorum his qui in eorum festis nascuntur: vel à cognatione, sicut cùm filio imponitur nomen patris, vel alicuius de cognatione eius, sicut propinqui S. Ioannis Baptistæ volebant eum vocare nomine patris sui Zachariam, non autem Ioannem, quia nullus erat in cognatione eius, qui vocaretur hoc nomine, vt dicitur Luc. 1. vel etiam ab euentu, sicut Ioseph vocauit primogenitum suum Manassem, dicens, Obliuisci fecit me Deus omnium laborum meorum, Gen. 41. vel etiam ex aliqua qualitate eius, cui nomen imponitur: sicut dicitur Gen. 25: quia qui primus egressus est de vtero matris, rufus erat: & totus in morē pellis hispidus, vocatum est nomen eius Esau, quod interpretatur rubeus. Nomina autem quæ imponuntur aliquibus diuinitus, semper significant aliquod gratuitum donum eis diuinitus datum, sicut Gen. 17. dictum est Abrahæ, Appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te: & Matth. 16. dictum est Petro, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Quia igitur Christo hoc munus gratię collatum erat, vt per ipsum omnes saluarentur, ideo conuenienter vocatum est nomen eius Iesus, idest Saluator, Angelo hoc nomen pronunciante, non solùm Matri, sed etiam Ioseph, qui erat futurus eius nutritius. S.Th. 3. p. q. 37. art. 2. Nomina apud Grammaticos, & Logicos sunt ad placitum, & quodlibet ipsorum tria amplectitur, vocem, significationem, & rationem innotescendi. Apud Theologos aliqua sunt nomina purè abstracta, vt essentia, Deitas, diuinitas: aliqua purè concreta, vt Deus, & sapiens, & iustus: aliqua verò medio modo se habentia, vt iustitia, sapientia, quæ sunt communicabiles; nam iustitia est reddere vnicuique quod suum est, &c.

Nomina hominibus imponūtur propter diuersos respectus.

Theologi nomina habent aliqua abstracta, aliqua cōcreta, aliqua medio modo se habentia.

Non ens dicitur tripliciter: Vno modo, quod nullo modo est, & ex tali non ente non fit generatio, quia ex nihilo, nihil fit, secundùm naturam: Alio modo dicitur non ens ipsa priuatio, quæ consideratur in aliquo subiecto, & ex tali non ente fit quidem generatio, sed per accidens, inquantùm scilicet generatio fit ex subiecto, cui accidit priuatio: Tertio modo dicitur non ens ipsa materia, quæ quantùm est de se non est ens actu, sed ens potentia. Sanctus Thomas 12. Metaphys. lect. 2.

O 2 Nonhomo

Nonhomo simul acceptum, quasi in vi vnius dictionis, est nomen infinitum, ex quo componitur propositio aliqua. S.Th.3.sent.dist.1.q.2.art.2. Et ex his verbis quoq; potest sumi doctrina de triplici illa negatione. s. infinitante, priuante, & negante, de qua supra dictum est, quod negatio infinitans est illa, quæ cadit solum supra terminum quem infinitat, vt nonhomo: vnde ex tali negatione & dictione super quam cadit, fit vna dictio tantùm, quæ potest sumi pro omni re alia ab homine: potest etiam dici de non ente, vt Chimæra est nonhomo, est enim Chimæra ens compositum ex impossibilibus: negatio priuans est illa, quæ negat actum, & ponit aptitudinem in subiecto, vt cæcus est ille qui non videt, est tamen aptus videre: negatio negans est illa, quæ quicquid inuenit, destruit, & eius oppositum inducit, & talis cadit supra copulam, vt nullus homo currit, hæc dicitur enunciatio negatiua, quæ est alicuius ab aliquo, vt homo non est lapis, &c.

Notitia quatuor modis accipi potest; Primo pro ipsa natura cognoscitiua; Secundo pro potētia cognitiua; Tertio pro habitu cognoscitiuo; Quarto pro ipso cognitionis actu sicut etiam hoc nomen sensus, quandoque nominat naturam sensitiuam, prout est principium huius naturæ, quod est sensibile, quandoque verò nominat ipsam potentiam, quandoque verò actū: loquendo ergo de notitia primo modo accepta, constat quod non est in substantia mentis, sicut accidens in subiecto, sed substantialiter & realiter; sicut dicitur, quod rationale est in viuo, & viuum in mente: si autem loquamur de notitia tribus alijs modis accepta, sic dupliciter potest considerari; Vel secundùm quod comparatur ad cognoscentem, & sic inest cognoscenti, sicut accidens in subiecto, & non excedit subiectum, quia nunquam inuenitur inesse alicui, nisi menti; Vel secundùm quod comparatur ad cognoscibile, & ex hac parte nō habet quod insit, sed quod ad aliud sit, S.Th.quodlib.7.art.4.

Notitia multiplex, intuitiua, abstractiua, arguitiua, habitualis, confusa, & distincta.

Notitia quoq; est multiplex, quia poterit esse intuitiua, & est cognitio rei existentis qua attingitur obiectum, in sua propria existentia actuali; Notitia abstractiua est illa, quæ est de re in aliquo repræsentatiuo, scilicet quando res præsens haberi non potest; Notitia arguitiua est illa, quæ fit quando aliquis per magis notum discurrit ad aliquod minus notū, vt est cognitio quæ fit per creaturas ad Deum, & hæc notitia vocatur aliquando discursiua, aliquando ratiocinatiua, aliquādo arguitiua; Notitia habitualis est illa, quæ vt habet obiectum præsens, potest & est nata causare notitiā sui, vt quando Philosophus dormiens habet cognitionem de rebus philosophicis; Notitia confusa est illa, quando aliquid cognoscitur præcisè per quid nominis eius, vel in suo vniuersali, vt quando cognoscitur homo per hoc quod est corpus; Notitia distincta est illa, qua cognoscitur aliquid per eius definitionem, vt homo est animal rationale, mortale, &c.

Notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi diuinam personam. Diuinæ autem personæ multiplicantur secundùm originem; Ad originem autem pertinet à quo alius, & quod ab alio; & secundùm hos duos modos potest innotescere persona. Igitur persona Patris non potest innotescere per hoc quod sit ab alio, sed per hoc quod à nullo est, & sic ex hac parte eius notio est innascibilitas: sed inquantùm aliquis est ab eo, innotescit dupliciter; Quia inquantùm Filius est ab eo, innotescit notione paternitatis; Inquantùm autem Spiritus sanctus est ab eo, innotescit notione communis spirationis: Filius autem potest innotescere per hoc, quod est ab alio nascendo, & sic innotescit per filiationem, & per hoc quod est alius ab eo. s. Spiritus sanctus, & per hoc innotescit eodem modo, sicut & Pater, scilicet communi spiratione: Spiritus sanctus autem innotescere potest per hoc, quod est ab alio, vel ab alijs, & sic innotescit processione, non autem per hoc quod alius sit ab eo, quia nulla diuina persona procedit ab eo. sunt igitur quinque notiones in diuinis. s. innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, & processio; harum autem tantùm quatuor sunt relationes, nam innascibilitas non est relatio nisi per reductionem: quatuor autem tantùm proprietates sunt, nam communis spiratio non est proprietas, quia conuenit duabus personis; tres autem sunt notiones personales, id est constituentes personas, scilicet paternitas, filiatio, & processio, nam communis spiratio, & innascibilitas dicuntur notiones personarum, non autem personales, &c. S.Th.p.q.32.art.3.

Notorium potest esse per sententiam quæ fertur in conuictum, vel per confessionem in iure factam, vel quando non potest peccatum aliqua tergiuersatione celari. S.Thom.3.p.q.82.art.●.

Illa propositio est nota per se, quādo prædicatū...

Notum per se dupliciter esse potest; Vno modo secundùm se, & non quoad nos; Alio modo secundū se, & quoad nos: Ex hoc enim aliqua propositio est per se nota, quod prædicatū includitur in ratione subiecti, vt homo est animal, nā animal est de ratione hominis. Si igitur

Si igitur notum sit omnibus de prædicato, & de subiecto quid sit, propositio illa erit omnibus per se nota, sicut patet in primis demonstrationum principijs, quorum termini sunt quædam communia, quæ nullus ignorat, vt ens & non ens, totum & pars, & similia: si autē apud aliquos notum non sit de prædicato & subiecto quid sit, propositio quidem quātum in se est, erit per se nota: non tamen apud illos qui prædicatum & subiectum propositionis ignorant: & ideo contingit, vt dicit Boët. in lib. de hebdo. quod quædam sunt communes animi conceptiones & per se notæ apud sapientes tantùm, vt incorporalia in loco nō esse. Dico ergo, quòd hæc propositio, Deus est, quantum in se est, per se nota est, quia prædicatum est idem subiecto. Deus enim est suum esse; sed quia nos non scimus de Deo quid est, non est nobis per se nota; sed indiget demonstrari per ea quæ sunt magis nota quoad nos, & minus nota quoad naturam, scilicet per effectum. S. Th. p. p. q. 2. art. 1. *dicatū includitur in ratione subiecti.*

Nox post resurrectionem nullibi erit, nisi in centro terræ, vbi erit infernus, quia tunc Luna lucebit, quantum nunc lucet Sol, Sol autem in septuplum quam modo luceat; corpora autem Beatorum septies magis Sole. S. Thomas 4. sent. dist. 48. q. 2. art. 3. ad quartum. Nox etiam significat primo obscuritatem peccati originalis, vel actualis, vel infidelitatis, vel ignorantiæ; Secundo horrorem desperationis, vel tribulationis, vel damnationis; Tertio quietem contemplationis, vel amoris, vel confessionis, vel beatitudinis, vt idem S. Th. in Esaiam cap. 15. ait: hinc aliqui dicunt, quòd nox capitur Vno modo, pro ipsis Dæmonibus, propter peccatum sub quo ipsi subijciuntur; Secundo nox dicitur pro quolibet peccato etiam actuali vel veniali, quia nox deriuatur à noceo noces, quia omnibus nocet; Tertio capitur pro absentia illuminationis super hemisphærium hoc nostrum; & hoc modo etiam dupliciter dici potest; Vno modo pro absentia Solis; Alio modo pro absentia luminis causati à nube lucida, quæ fuit facta prima die. Capitur etiam nox pro tribulatione, vel aduersitate, vnde Propheta dicit, Et in lege eius meditabitur die ac nocte. Potest etiam capi nox pro errore conscientiæ, vt scribitur apud Ioan. cap. 9. Venit nox in qua nullus operari potest; illa enim nox est error conscientiæ, non intendens debitum finem in suis operibus. Nox quoque potest dici Lex vetus, iuxta illud Apostoli, Nox præcessit, dies autem appropinquauit, loquendo de Lege noua, quæ vocatur dies: Nam totum tempus illud ab Adam vsque ad Christum dicitur nox, &c.

Nugæ in ore Sacerdotis sunt sacrilegium vel blasphemia, quæ verba sunt Hieronymi, & intelligenda sunt materialiter, quia omne peccatum quod sacra persona committit, materialiter quidem, & quasi per accidens est sacrilegium, formaliter autem & propriè illud solum peccatum sacræ personæ est sacrilegium, quod agitur directè contra eius sanctitatem, puta si virgo Deo dicata fornicetur. S. Th. 2. 2. q. 99. art. 3. *Nugæ in ore sacerdotis materialiter sumptæ, sunt sacrilegium, nō autē formaliter.*

Numerus, qui est species quantitatis causatur ex diuisione continui: vnde sicut quantitas continua est quid mathematicum, quia est separata à materia sensibili secundùm rationem, & non secundùm esse, ita & numerus, qui est species quantitatis, qui est etiam subiectum Arithmeticæ, cuius principium est vnum, quod est prima mensura quantitatis: & hic numerus nō est in rebus immaterialibus; sed est in eis multitudo, quæ opponitur vni, quod conuertitur cum ente, quæ quidem causatur ex diuisione formali, quę est per quasdam formas oppositas, vel absolutas, vel relatiuas; & talis numerus, qui dicitur transcendens, potest esse in diuinis. S. Th. de potentia Dei, q. 9. art. 5. & p. p. q. 30. art. 3. vnde ponitur in diuinis numerus dualitatis processionum, quarum vna est per modum intellectus, & alia per modum voluntatis: ponitur etiam & numerus ternarius propter diuinas personas, quæ sunt tres realiter distinctæ: ponitur & numerus quaternarius propter quatuor relationes, scilicet paternitatem, filiationem, spirationem actiuam; & passiuam: ponitur & numerus quinquenarius propter quinque notiones. Et hinc etiam est, quòd numerus est triplex, videlicet numerus numerans, qui est anima numerans ipsas res; & numerus numeratus, qui est res ipsa numerata, vt decem canes vel lapides; & numerus quo numeramus, qui dicitur esse quantitas discreta: vnde omnis numerus vt habet esse in anima, est accidens; vt verò habet esse extra animam, sic non semper est accidens, sed quandoq; est accidens, quandoq; substantia, præsertim numerus ille transcendens repertus in Deo: vnde non suscipit magis & minus, sicuti neque substantia ipsa suscipit magis & minus. Poterit ergo numerus sic multiplicari, quia aut est mathematicus, aut sensibilis, aut transcendens, aut numerus numerans, aut numerus numeratus, aut quo numeramus, &c.

Neophytus, vt exponit S. Th. in epist. ad Timotheum lect. 2. dicitur ille, qui habet nouam Fidem: vnde iubet Apostolus Neophytum non debere assumi ad Episcopatum, quia est *Neophytus est ille, qui habet nouā Fidem.*

nona

noua planta. Et dicitur a νεος, quod est nouum, & πιστις, quod est Fides, quasi nouus in Fide: vel interpretatur aliquando nouitius vel rudis, tam in religione, quàm in disciplina.

Nullus debet inducere aliquem ad religionem, seu ad vitam conuentualium, quia actus iste (scilicet inducere homines vt profiteantur vitam) reprehensibilis est, & ex genere suo malus: quia omnis vita reprehensibilis est mala, sed communis vita religiosorum conuentualium est reprehensibilis, & mala ex hoc ipso; quod exorbitat à regulari vita, & ex hoc ipso, quod continuus bonorum Prælatorum conatus est ad reformationem illorum, & tamen ipsi recusant: propterea vituperabile est, non solùm inducere, sed etiam ingredi & recipere ad vitam irregularem personas vtriusque sexus, quamuis Ecclesia toleret hoc permissiuè: inducere enim alios ad religionem, est vtique actus laudabilis ex suo genere, & sanctus, sed oportet vt adsint duæ conditiones; Altera ex parte personæ inducendæ, vt non coacta, nec illecta, sed spontaneè ob imitationem Christi, & ob fugam seculi ingrediatur; Altera est ex parte religionis, vt viuatur in ea ita exemplariter, vt habeat occasionem proficiendi; nam si tepidè maiores viuunt, & inter minores est multa relaxatio, melius est non ingredi religionem illam tepidam, quàm ingredi. Caietanus Cardinalis 2.2. S. Thomæ q. 199. art. 9.

Inducere alios ad religionem quando est laudabile.

Nunc, vt scribit S. Th. in 4. Phys. lect. 18. quodammodo semper est idem, & quodammodo non idem, inquantùm enim semper consideratur vt aliud & aliud, secundùm successionem temporis & motus, sic est alterum & alterum; sed secundùm quod consideratur in se, sic est idem; vnde est continuatio temporis, continuat enim præteritum & futurum, & est terminus præteriti temporis, & principium futuri: veluti pũctum in linea, quod fluxu suo continuat & terminat lineam, sic in tempore est nunc, continuans & terminans, in principio & in fine; quod patet ex hoc, quia motus terminatur à nunc, puta iam præteritus, & aliquis .s. motus incipit in nunc, puta futurus; nec aliter partes temporis continuæ esse possunt, quia de ipso tempore non habemus nisi nunc, tempus enim præteritum non est, futurum etiã non est, Igitur solum tempus præsens est: & sublata ista dispositione, & fluentia, ab isto nunc causante tempus, erit nunc æternitatis, quæ est tota simul perfecta possessio vitæ interminabilis, vt docet S. Th. p. p. q. 10. art. 1.

Nullus potest facere iniustum per se, & formaliter, nisi volens; nec pati, nisi nolens, quia actio de sui ratione procedit ab agente, & passio secundùm propriam rationem est ab alio: vnde non potest esse idem secundùm idem agens & patiens, principium enim proprium agendi in hominibus est voluntas, & ideo illud propriè, & per se homo facit, quod volens facit, & econtrario illud propriè homo patitur, quod præter voluntatem suam patitur; quia inquantùm est volens, principium est ex seipso, & ideo inquantùm huiusmodi magis est agens, quàm patiens: per accidens autem & quasi materialiter loquendo potest aliquis id quod est de se iniustum, vel facere nolens, sicut cùm quis præter intentionem operatur; vel pati volens, sicut cùm aliquis plus alteri dat sua voluntate, quam debeat. S. Thomas 2. 2. q. 59. art. 3.

Nuptiæ secundæ non benedicuntur; quod intelligendum est quando secundæ nuptiæ, sunt secundæ ex parte viri, & ex parte mulieris, vel ex parte mulieris tantùm; si enim virgo contrahat cum illo qui habuit aliam vxorem, nihilominus nuptiæ benedicuntur, saluatur enim aliquo modo significatio etiam in ordine ad primas nuptias, quia Christus etsi vnam Ecclesiam sponsam habeat, habet tamen plures personas desponsatas in vna Ecclesia, sed anima non potest esse alterius quam Christi, quia cum Dæmone fornicatur, nec est ibi matrimonium spirituale, & propter hoc quando mulier secundo nubit, nuptiæ non benedicuntur, propter defectum Sacramenti. S. Th. 4. sent. dist. 42. q. 3. art. 2. Verùm sciendum est, quia nuptiæ secundæ, & etiam tertiæ, & quartæ, sunt licitæ, dummodo fiant bono animo, scilicet propter prolem generandam, vel propter fornicationem vitandam, vel propter necessitatem suam sustentandam, &c. De hac materia latius scribit Silnester in summa, verbo Nuptiæ, quæ dicuntur quasi nube tectæ, eo quod nubentium capita velabantur, &c.

Nubentium capita antiquius velabantur.

Nutrire non est actus formæ sed magis materiæ, quæ accipit formam nutriti, recedente forma nutrici: hinc nutrimentum in principio est dissimile, in fine autem simile, S. Th. 3. p. q. 77. art. 6. vbi disputat, si species sacramentales possint nutrire; & affirmat quòd sic, quia cibus nutrit, ex hoc quod conuertitur in substantiam nutriti, & quia species sacramentales possunt conuerti in substantiam aliquam; quæ ex eis generatur; & per eandem rationem possunt conuerti in corpus humanum, per quam possunt cõuerti in cineres vel in vermes;

& ideo

& ideo manifestum est quod nutriunt. Hinc reprehenduntur quidam dicentes, quod non verè nutriunt, quasi in corpus humanum conuertantur, sed reficiunt, & confortant quadam sensuum immutatione, sicut homo confortatur ex odore cibi, & inebriatur ex odore vini. Similiter reprehendendi sunt quidam alij, dicentes, species sacramentales nutrire, propter formam substantialem panis, & vini, quæ remanet: & propterea S. Th. determinat ex Apostolo primæ ad Corinth. cap. 11. loquente de Sacramento Eucharistiæ, & dicente, Alius quidem esurit, alius autem ebrius est: vbi dicit Glosa, quòd notat illos qui post celebrationem Sacramenti mysterij, & consecrationem panis & vini suas oblationes vendicabant, & alios non communicantes soli sumebant, ita vt inde etiam inebriarentur, quod quidem non posset contingere si sacramentales species non verè nutrirent. Verùm nutritio est duplex; Vna propriè dicta, quæ est per conuersionem alimenti in rem alendam, ita quod ex illa fiat restauratio rei deperditæ; Alio modo vocatur nutritio, quæcunque deductio membrorum animalis ad statum priorem, secũdùm qualitates, vnde quemadmodum quilibet alius cibus, puta hostia non consecrata nutrit, sic etiam species sacramentales nutrire possunt. Sunt multa alia quæ diuersimodè dicuntur nutrire, sed spiritualiter, nam Deus nutrit omnes nos, quemadmodum dicit Isaias; Filios enutriui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Prædicatores etiam docentes & prædicantes, dicuntur nutrire populum, vt scribitur Exod. cap. 2. Accipe puerum, & nutri eum mihi, & ego dabo tibi mercedem. Diabolus quoque fallaciter decipiendo dicitur nutrire, & fouere fatuos peccatores, in suis vitijs & peccatis, vt scribitur 2. lib. Paralip. cap. 10. quod Roboam cum iuuenibus tractare cœpit, qui cum eo nutriti fuerant ab adolescentia sua. Caro quoque dicitur plures nutrire, quia delitiosè tractat, & nutrit claudos in moribus, & in conuiuijs & impudicitijs, & in cubilibus, vt ait Salomon in Prouerbijs cap. 29. Qui delicatè nutrit seruum suum, idest corpus, à pueritia sua, ipsum in fine sentiet contumacem. Sic etiam & mundus multos nutrit amicabiliter alliciendo per suam prosperitatem, vt dicit Propheta Baruch cap 4. Nutriui eos cum iucunditate, & dimisi eos cum luctu; quod verisimiliter dici potest de illo diuite, qui epulabatur quotidie splendidè, & vestiebatur purpura & bisso, &c.

Nutrire spiritualiter, multis modis accipitur.

DE LITERA O.

HÆc litera est quarta inter vocales, & apud Latinos habet sonum aliquando placabilẽ & desiderantem, vt scribit Ouidius, O vtinam tunc cum Lacedæmona classe petebat: aliquando crudelem & durum, vt scribit Terentius, O hominem perditum, miserum, atque sacrilegum, &c.

Obduratio, vt dicit S. Tho. p. p. q. 23. art. 3. competit reprobatis, sicuti excæcatio; nam reprobare dicit deficientiã aliquorum à beatitudine, quæ est finis supranaturalis: vnde obduratio potest dupliciter sumi; Vno modo pro ipsa reprobatione, vt dictum est; Alio modo pro obstinatione mentis in peccato, & sic non est reprobatio, sed potius sequela eius, quia ille cui Deus non vult misereri, & gratiam conferre, à peccato non consurgit. Et est vocabulum translatiuũ, dictum ab obduratione in corporibus, in quibus duritiam sequitur triplex proprietas: quia durum est, quod est inhabile ad suscipiendum, & stabile ad permanendum, & forte ad resistendum, quia non cedit tactui: sic etiam cor est inhabile ad suscipiendam gratiam, & stabile in peccato, & forte ad resistendum diuinis inspirationibus, &c.

Obduratio dupliciter sumi potest, pro reprobatione, & pro obstinatione mentis in peccato.

Obedientia respicit præceptum personæ excellentis, & ideo non est vnius rationis, & est medium inter superfluum, quod attenditur ex parte eius, qui subtrahit superiori debitum obedientiæ, quia superabundat in implendo propriam voluntatem, diminutum autem ex parte superioris, cui non obeditur: vnde non est virtus Theologica, quia per se obiectum eius non est Deus, sed præceptum superioris cuiuscunque, vel expressum, vel interpretatũ, puta simplex verbum Prælati eius indicans voluntatem, cui obedit promptus obediens, sed est virtus moralis, cùm sit pars iustitiæ, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 104. art. 2. Vnde est subiectio propriæ voluntatis hominis ad hominem, & debita reuerentia minoris ad maiorem. Est etiam affectio voluntatis coniunctæ Deo, quia non debemus obedire superioribus, neque Principibus contra Deum; ipsi autem Deo tenemur obedire in omnibus & per omnia, non solùm in indifferentibus, sed etiam in his quæ de se videntur mala, sicut occisio innocentum, vel fornicatio, &c.

Obiectum

Obiectum tria complectitur, scilicet id quod est formale in ipso, & id quod est materiale, & id quod est accidentale, sicut patet in obiecto visus, quia formale in ipso est lumen, quod facit colorem visibilem actu, & dicitur obiectum quo; materiale verò est ipse color, qui est potentia visibilis, accidentale autem est sicut quantitas, & alia huiusmodi, quæ colorem comitantur. S.Tho.3.sent.q.1.art.1.q.2. Et quia obiectum vocatur quicquid cerni potest, & quicquid oculis obijcitur; & venit ab obijcio, quod est oppono, proptereà obiectum dicitur, quod se obijcit, & præsentat potentiæ operanti circa ipsum, vt ens est obiectum nostri intellectus. f.adæquatum, & quidditas rei materialis est obiectum primo motiuum nostri intellectus, & verum est obiectum quo: Deus autem est obiectum primum primitate perfectionis, non autem primitate originis, aut adæquationis (vt aliqui existimant) licet Deus sit principium nostræ cognitionis tanquam causa efficiens, non autem vt obiectum cognitum, quia obiectum (vt dictum est) est illud, circa quod fertur operatio potentiæ, sicut lignum est obiectum circa quod versatur artifex, & scientia Metaphysicalis versatur circa ens.

Deus est obiectũ primum primitate perfectionis, non originis.

Oblatio est odor suauissimus victimæ Dei, vt notat S.Tho.2.2.q.86.att.1. dicens, quòd nomen oblationis commune est ad omnes res, quæ in cultum Dei exhibentur, ita quòd si aliquid exhibeatur in cultum diuinum, quasi in aliquod sacrum, quod inde fieri debeat consumendum, & oblatio est, & sacrificium. Verùm tripliciter sumi potest ipsa oblatio; Vno modo pro omni illo, quod Deo iustè offertur, cũ deuotione, siue actione interiori, siue exteriori. Secundo sumitur prout distinguitur contra decimam, & primitias, & sic omne illud quod offerebatur Deo præter decimas & primitias dicebatur oblatio. Tertio, vt distinguitur contra sacrificium & holocaustum, vt dicebat Propheta Dauid, Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes, & holocausta, &c.

Obstaculum est illud, quod opponitur charitati, vel omittendo, vel committendo, sicut fuit ingressus illius, qui non habebat vestem nuptialem ad sacrum conuiuium, Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? vt scribit S.Th.in disp.de malo q.2.art.5.ad 8. Et quia idem est obstaculum, quod obex, siue repagulum, vnde quando quis non suscipit gratiam, dicitur ponere obstaculum, seu obicem: quod obstaculum potest esse triplex, scilicet peccatum mortale, siue quoad actum interiorem, siue exteriorem, siue quoad complacentiam eius: Secundum obstaculum potest esse omissio debitæ præparationis, quia quando quis accedit ad Sacramentum Eucharistiæ non debitè se præparat vt decet: Tertium poterit esse sollicitudo nimis circa exteriora, vel magna distractio animi ad diuersa; Hæc obstacula, & impedimenta debet homo remouere, vt consequatur gratiam apud Deum, &c.

Obligatio est quædam actio, qua homo se homini constringit ad aliquid agendum, per modum promissionis, vel dimittendum, vt notat S.Thom.2.2.q.88 art.1. loquens de voto, quod importat obligationem quandam. Et respectu Dei ista obligatio poterit esse per actum interiorem & exteriorem, respectu autem hominis est per verba exteriora. Et potest esse duplex; vel absoluta, qua quis simpliciter obligatur ad aliquid faciendum vel omittendum, ita quod si illud non facit, incurrit reatum omissionis; poterit etiam esse obligatio conditionalis, & est, qua quis obligatur ad aliquid faciendum vel omittendum, supposito aliquo alio, & hæc obligatio non inducit reatum omissionis in eo qui omittit, nisi adueniente & supposita conditionali facta, &c.

Obligatio duplex, absoluta, & conditionalis.

Obligari potest vnus pro alio in his rantùm, ad quæ omnes tenentur, vt notat S.Th.3.p. q.71.att.1.ad 3.vbi loquitur de cathechismo, quod ille qui pro puero baptizato respondet Credo, non prædicit puerum credirurum, cùm ad legitimos annos peruenerit, alioquin diceret, Credet, sed profitetur Fidem Ecclesiæ in persona pueri cui communicatur, cuius Sacramentum ei attribuit, & ad quam obligatur per alium: non est enim inconueniens, quod aliquis obligetur per alium in his quæ sunt de necessitate salutis, quia obligari est teneri ad aliqualiter esse vel non esse, siue ad aliquam dispositionem habendam, vel aliqua dispositione carendam, & hoc vel propter diuinum mandatum, vel propter officium susceptum, vel propter vitandum scandalum, siue propter iudicium conscientiæ, &c.

Obliqui sunt transitiui, secundùm Grammaticos, & constructio transitiua exigit diuersitatem constructi, siue eorum quæ construuntur, saltem secundùm rationem, vt notat S.Th.1.sent.dist.34 q.1.art.1.in primo argumento, quod est tale; Secundùm Grammaticum obliqui transitiui sunt, sed constructio transitiua exigit diuersitatem eorum quæ construuntur, cùm igitur essentia non sit diuersa à persona, videtur inconueniens dici tres

personas esse vnius essentiæ: Et si dicas, quòd genitiui illi construuntur intransitiuè, sicut cùm dicitur donum Spiritus sancti.i.quod est Spiritus sanctus; Contra, Sicut tres personę sunt vna essentia,etiam sunt vnus Deus,ergo si illa ratio sufficit,adhuc videtur quod similiter possit dici esse tres personas vnius Dei,quod est falsum. Et respondet, quòd quamuis essentia & persona sunt idem re,tamen differunt ratione, quia vnum vt forma alterius significatur;& talis diuersitas sufficit apud Grāmaticum,qui modos significandi considerat; & quia Deus non significatur forma,propterea nō dicitur tres personæ sunt vnius Dei,&c.

Obliuio non potest esse ex quacunque diuturnitate: vnde in anima separata,& in homine, post diem Iudicij, non est obliuio, vt scribit S.Th.4.sent.dist.50.q.2.art.2.respondendo ad primam quæst.ad tertium argumentum. vbi dicit,quòd tempus est causa obliuionis per accidens, inquantùm motus cuius est mensura, est causa transmutationis, sed post diem Iudicij non erit motus cœli, vnde nec obliuio esse poterit, ex quacunque diuturnitate, sed ante diem Iudicij anima separata non mutatur à sua dispositione per motum. Et dupliciter poterit esse obliuio; Vno modo quod deleantur species de memoria, & sic quis amittit aliqua,quę ante in sua memoria retinebat habitualiter; Alio modo fit obliuio,quando ipsa intelligentia non conuertitur actione sua super ea,quæ in memoria retinebantur,& ex hoc dicitur obliuiosus, quando quis non conuertit seipsum super ea quæ scit, &c.

Post diē iudicij obliuio esse non poterit, quia neq; motus cœli erit.

Obseruantia continetur sub pietate,per quam cultus & honor exhibetur personis constitutis sub dignitate,vt notat S.Thomas 2.2.q.102.art.1. & quia pietas est sub religione. Præterea obseruantia directè respicit personam excellentem, constitutam in dignitate, cui dupliciter aliquid potest exhiberi: Vno modo in ordine ad bonum cōmune, puta cùm aliquis eis seruit in administratione Reipublicæ,& hoc iam non pertinet ad obseruātiam, sed ad pietatem, quæ cultum exhibet,non solùm patri,sed etiam patriæ: Alio modo exhibetur aliquid pertinens specialiter ad personalem vtilitatem, & gloriam ipsius personæ in dignitate constitutæ, & hoc propriè pertinet ad obseruantiam, secundùm quod distinguitur à pietate:& omissio honoris debiti istis personis in dignitate constitutis,non solùm est peccatum, sed est punibilis per humanam legem, quando illæ personæ sunt Prælati: omissio verò honoris extraneorum præsidentium, non est punibilis, pro quanto ad legale debitum non spectat,tamen peccatum est,quia declinat à morali, vt notat Caiet.ibidē,&c.

Obscuritas quæ importatur in nomine ęnigmatis, dupliciter potest accipi: Vno modo secundùm quod quælibet creatura est quoddam obscurum, si comparetur ad immensitatē diuinæ claritatis, & sic Adam videbat Deum in obscuritate, quia videbat Deum per effectum creatum: Alio modo potest accipi obscuritas,quæ consequuta est ex peccato, prout scilicet impeditur homo à consideratione intelligibilium, per occupationem sensibilium, & secundùm hoc Adam non videbat Deum in obscuritate & in ænigmate. S.Th. p.p.q.94. art.1.ad tertium. Et quia ab obscuritate venit obscurum,quod dicitur à cura,quia ea quæ lumine carent curam nobis obijciunt.& est propriè obscurum quod est sine lumine.& metaphoricè aliquando ponitur pro ignobili; aliquando verò pro latenti sermone: vnde solemus dicere, obscuram orationem, vel obscurum sermonem, quod est ænigma, vt Ibis, redibis non, morieris in bello, &c.

Obscurum est quod est sine lumine.

Obstetrix, vt scribit S.Th.3.par.q.35.art.6. ad tertium, in natiuitate Saluatoris nostri nulla fuit, sed beata Virgo ipsum puerum quem pepeterat, pannis inuoluit, & posuit in præsepio,propterea nulla ibi obstetrix,nulla mulicularum sedulitas intercessit,& mater & obstetrix fuit, pannis inuoluit infantem, & posuit in præsepio. Quæ sententia apocryphorum deliramenta conuincit, loquens de obstetricibus 1.2.quæst.114. art.10. in 2 arg. exponendo verba Exodi 1.cap. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit illis domos, ait, quòd illæ retributiones dicuntur esse diuinitus factæ, per comparationem ad diuinam motionem,non autem secundùm respectum ad malitiam voluntatis,præcipuè quātùm ad Regem Babylonis, qui non impugnauit Tyrum, quasi volens Deo seruire, sed potius vt sibi dominium vsurparet:similiter etiam obstetrices licet habuerint bonam voluntatem, quantùm ad liberationem puerorum, non tamen fuit eorum recta voluntas, quantùm ad hoc quod mendacium confinxerunt.

Obstinatio, vt dicit S.Th.in quæst.de veritate,q.23.art.7. ad sextum, est quædam pertinacia; quia aliquis dicitur pertinax dupliciter, seu obstinatus; Vno modo simpliciter, quando.s.habet voluntatem irreuersibilem malo adhærentem,& sic sunt obstinati illi qui sunt in inferno,non autem aliquis in hac vita existens: Alio modo dicitur aliquis obstinatus secundùm quid, quando habet voluntatem adhærentem malo, non quidem omnino

irreuerfibilem,sed per difficultatem,per quē modum aliqui dicuntur obstinati in hac vita. Et quia obstinatio venit à verbo obstino, quod significat obfirmo, ex quo venit obstinatio, hoc est animi firmitas: hinc dupliciter potest accipi; Vno modo pro firma adhęsione in malo, quę est perseuerantia continua, perfecta & firma in malo, quod obstinatus eligit; Alio modo pro impossibilitate reuertendi ad pœnitentiam fructuosam, proueniens ex iustitia Dei, qui decreuit omnes damnatos nunquam sibi reconciliari, &c.

Obstinatio est animi firmitas.

Occasio est duplex; Data, & accepta. Præceptum est occasio peccati, non quidem data à præcipiente, sed accepta ab eo cui præceptum datur: propterea Apostolus dicit, Occasione accepta, peccatum permanatum, &c. dicitur enim occasio dari peccandi, *quando fit* aliquid minus rectum, ex quo per exemplum aliqui prouocantur ad peccandum. Si autē aliquis faciat rectum opus, & alius inde prouocetur ad peccandum, non erit occasio data, sed accepta, sicut cum Pharisæi scandalizabantur de doctrina Christi. Et sic quemadmodum est duplex occasio, ita est duplex scandalum.s. datum, & acceptum: vnde Deus præcipiendo, non dedit occasionem peccandi, sed homo accepit. Et qui nō fugit occasiones peccandi, peccat. S. Th. in disput. de malo q. 3. art. 1. ad 13. Vbi nota, quòd occasio est opportunitas temporis, casu proueniens. Et debemus ipsam vitare semper, quia ille qui non vult vitare occasiones peccatorum, puta luxuriæ, aut murmurationis, aut furti, & similium, non est in statu salutis.

Non vitans occasiones peccatorum, est in statu damnationis.

Occidere malefactorem licitum est, inquantùm ordinatur ad salutem totius communitatis; & ideo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis conseruādę. S. Th. 2. 2. q. 64. art. 3. Vbi animaduerte, quòd occidere animalia bruta, non est peccatum; occidens verò peccatorem auctoritate Principis, etiam non punitur; sic etiam minister Iudicis, occidens latronem condemnatum ad mortem, non peccat: sed ille qui occidit se, facit iniuriam Deo, inquantùm est aliquid Dei.s. creatura, & imago eius; facit etiam iniuriam ciuitati, inquantùm est eius pars, & ideo punitur secundùm legem diuinam, & secundùm humanam sententiam, carentia sepulturæ. Moyses occidendo Ægyptium non peccauit, quia fecit hoc ex diuina inspiratione, vel defendendo iniuriatum. Clericis non licet interficere peccatores, licet hoc licebat Sacerdotibus veteris legis. Occidendo etiam inuadentem se, defendendo se, cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec intendens mortem eius, non peccat, &c.

Occultatio aliquando est causa peccati, puta cùm quis vtitur occultatione ad peccandum, sicut accidit in fraude, & dolo, & hoc modo non diminuit, sed constituit speciem peccati, & ita est in furto: Alio modo occultatio est simplex circumstantia peccati, & sic diminuit peccatum, tum quia est signum verecundiæ, tum etiam quia tollit scandalum. S. Tho. 2. 2. q. 66 art. 3. ad primum.

Otiosum verbum, est immediatus effectus rationis, & ideo minus potest verbum prętet deliberationem esse, quàm factum; & propter hoc verbum otiosum magis est peccatum veniale, quàm factum otiosum, otiosum enim est quod caret intentione piæ voluntatis, aut ratione iustæ necessitatis: vnde non omne verbum iocosum est otiosum, si ad recreationē referatur, quia etiam in iocis contingit esse virtutem eutrapeliam. S. Thom. 2. sent. dist. 40. ar. 5. ad octauum. Vbi nota, quòd datur otium sanctum, & otium vitiosum; Otium sanctum illud est, quo quis vacat vitæ actiuæ, & intendit ad vitam contemplatiuam, & studiosam: hinc dicitur, otium literarium, quod est bonum; Otium verò vitiosum, est, quando quis vacat ab aliquo opere spirituali vel corporali, cum aliquo torpore mentis, & hoc facit hominem pigrum; & est filia Accidiæ.

Oculus quadruplex. corporalis, spiritualis, dexter, & sinister.

Oculus est duplex; Alter corporalis, quæ est potentia partis sensitiuę, vtens organo corporali in sua operatione; Alter est oculus mentis, seu spiritualis, de quo Apost. ad Ephes. 1. dicit, Det vobis spiritum sapientiæ in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri. S. Th. p. p. q. 12 art. 3. ad primum. Vbi etiam notat, quòd oculus potest esse dexter, vel sinister; & per oculum dextrum intelligitur consideratio principalis, & per oculum sinistrum intelligitur consideratio minus principalis, vt Prædicator circa temporalia, &c.

Odium consistit in quadam repugnantia vel dissonantia, sicut amor consistit in quadam conuenientia amantis ad amatum: vnde sicut bonum est obiectum amoris, ita malum est obiectum odij, oportet enim in quolibet prius considerare quid ei conueniat, quàm quid ei repugnet, per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptiuum, vel impeditiuum eius quod est conueniens: hinc necesse est, quòd amor sit prior odio, & quod nihil odio habeatur, nisi per hoc quod contrariatur cōuenienti, quod amatur. Et impossibile est, quòd

quòd aliquis per se loquendo, odiat seipsum, per accidens autem hoc poterit esse. S.Th. 1.2.q.29.per totam. Vbi attende, quòd Deus etiam in se & absolutè non potest odiri, quia est fons bonitatis; ratione verò effectuum, prout est puniens aliquod sic odiri potest; &c.

Odor, quidam dixerunt, quòd nihil aliud est, nisi quędam fumalis euaporatio. Sed hæc positio non potest esse vera; quod patet ex hoc, quod vultures currunt ex odore percepto ad cadauer ex locis remotissimis; nec esset possibile, quod euaporatio aliqua pertingeret à cadauere ad tam remota loca, etiam si totum resolueretur in vaporem, & præcipuè cùm sensibilia in æquali distantia ad quamlibet partem immutet; vnde odor immutat medium quandoq; instrumentum sentiendi, spirituali immutatione, sine aliqua euaporatione pertingendo ad organum: sed quod aliqua euaporatio requiratur, hoc est, quia odor in corporibus humidis est humiditate aspersus, vnde oportet resolutionem fieri ad hoc quod percipiatur, sed in corporibus gloriosis erit odor in vltima sui perfectione, nullo modo per humidum suppressus: vnde immutabit spirituali immutatione, sicut odor fumalis euaporationis facit, & sensus odoratus in Sanctis, quia nulla humiditate impedietur; cognoscet enim non solùm excellentias odorum, sicut nunc in nobis contingit, propter nimiam cerebri humiditatem, sed etiam minimas odorum differentias. S. Thomas 4. sent. dist. 44. q. 2. art. 1. q. 4. ad tertium.

Offensa est duplex; Finita, & infinita, quia in peccato duo sunt, quorum vnum est auersio ab incommutabili bono, quod est infinitum, & ideo ex hac parte peccatum quoque est infinitum; Aliud, quod est in peccato, est inordinata conuersio ad commutabile bonum, & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsum bonum commutabile est finitum, tum etiam quia ipsa conuersio est finita, non enim possunt esse actus creaturæ infiniti: ex parte igitur auersionis respondet peccato pœna damni, quæ etiam est infinita, est enim amissio infiniti boni. s. Dei; ex parte autem inordinatæ conuersionis, respondet ei pœna sensus, quæ etiam est finita; vnde semper pœna proportionatur peccato secundùm acerbitatem, tam in iudicio diuino, quàm in humano. In nullo iudicio requiritur, vt pœna adæquetur culpæ secundùm durationem, non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur, sed quandoque quidem perpetuo carcere, vel exilio, quandoque etiam morte, in qua non consideratur occisionis mora, sed potius ꝙ in perpetuum auferatur à societate viuentium, & sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ diuinitus: iustum enim est, quòd qui in suo æterno peccauit contra Deum, in æterno Dei puniatur. Dicitur autem aliquis in suo æterno peccasse, non solùm secundùm continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi: vnde iniqui voluissent sine fine viuere, vt sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. S.Thom. 1. 2. q. 87. art. 3. & 4. & ex hac offensa duplici infinitè & finitè, sequitur, quòd iniquus voluisset offendere seu lædere, & molestare semper infinitum bonum, &c.

Quia in peccato est aliquid finitum, & infinitum, ideo etiã offensa est finita, & infinita.

Officium sapientis est duplex. s. veritatem meditari, & errorem contra veritatem impugnare, iuxta dictum Salomonis lib. Prouerb. 8. Veritatem meditabitur guttur meum, & labia mea detestabuntur impium, &c. vt notat S.Th. 1. contra gentes, cap. 1. Et officium vario modo dicitur; aliquando officium sapientis; aliquando magistratus, quia institutus est gratia honoris, vel quia ius reddet vnicuique; dicitur etiam aliquando officium ecclesiasticum, pro iure officiandi, seu pro obligatione & actu officiandi; dicitur etiam aliquando officium medici, officium prædicatoris, & presbyteri, & sic de alijs: nam officium propriè est actus congruus cuique personæ.

Officiũ multiplex, sapientis, magistratus, ecclesiastici, medici, prædicatoris, presbyteri, &c.

Omissio à qua venit peccatum omissionis, in quo quidem peccato si consideratur solùm quod per se pertinet ad rationem peccati, sic quandoque peccatum omissionis est cũ actu interiori, vt cùm aliquis vult non ire ad Ecclesiam; quandoque verò absque omni actu interiori & exteriori, sicut cùm aliquis hora qua tenetur ire ad Ecclesiam, nihil cogitat de eundo, vel non eundo ad Ecclesiam. Si verò in peccato omissionis intelligantur etiam causæ vel occasiones omittendi, sic necesse est in peccato omissionis aliquem actum esse: non enim est peccatum omissionis, nisi cùm aliquis prætermittit quod potest facere & non facere. Quod autem aliquis declinet ad non faciendum illud, quod potest facere & non facere, non est nisi ex aliqua causa, vel occasione coniuncta, vel præcedente; & si quidem causa illa non sit in potestate hominis, omissio non habet rationem peccati; sicut cùm aliquis propter infirmitatem prætermittit ire ad Ecclesiam; si verò causa, vel occasio omittendi subiaceat voluntati, omissio habet rationem peccati, & tũc semper oportet quod ista causa

inquantùm est voluntaria, habeat aliquem actum ad minus interiorem, volũtatis, qui quidem actus quandoq; directè fertur in ipsam omissionem, puta cùm aliquis vult non ire ad Ecclesiam, vitans laborem, & tunc talis actus per se pertinet ad omissionem, volũtas enim cuiuscunq; peccati pertinet per se ad peccatum illud, eo quod voluntarium est de ratione peccati: quandoque autem actus voluntatis directè fertur in aliud, per quod homo impeditur ab actu debito, siue illud in quod fertur voluntas, sit cõiunctum omissioni, puta cùm aliquis vult ludere quando ad Ecclesiam debet ire; siue etiam sit præcedens, puta cùm aliquis vult diu vigilare de sero, ex quo sequitur, quòd non vadat hora matutinali ad Ecclesiam, & tunc actus iste interior, vel exterior, per accidens se habet ad omissionem, quia omissio sequitur præter intentionem. Hoc autem dicimus per accidens esse, quod est præter intentionem; vnde manifestum est, quòd tunc peccatum omissionis habet quidem aliquem actum coniunctum, vel præcedentem, qui tamen per accidens se habet ad peccatum omissionis: iudicium autem de rebus dandum est secundùm illud, quod est per se, & non secundùm illud, quod est per accidens: Vnde verius dici potest, quòd aliquod peccatum possit esse absque omni actu, alioquin etiam ad essentiam aliorum peccatorum actualium pertinerent actus, & occasiones circunstantes. S. Tho. 1.2.q.71.art.5. Et quia omissio propriè importat prætermissionem boni debiti, in ordine ad legem diuinam vel humanam, vel in ordine ad proximum, primo modo opponitur iustitiæ legali, secundo verò opponitur iustitiæ speciali. Et non quælibet omissio inducit peccatum, sed tantùm illa quæ omittit præceptum: aliqua enim omissio est respectu circunstantiæ, & tunc talis omissio, inducit potius quandam negligentiam, &c.

Illa omissio inducit peccatum, quæ omittit præceptũ.

Omnipotens dicitur, qui potest omnia possibilia absolutè, licet aliqui dixerunt, quòd ille dicitur omnipotens, qui habet potentiam infinitam; Aliqui verò voluerunt illum esse omnipotentem, qui non potest deficere, nec pati aliquid in ipsum; Nonnulli verò docuerunt, illum esse omnipotentem, qui potest quicquid vult. Sed melius dicendum est, quòd potentia Dei, quantùm est de se, ad omnia illa obiecta se extendit, quæ contradictionem non implicant; & ideo Deus dicitur omnipotens, quia potest omnia quæ sunt possibilia secundùm se, & quia potentia & scientia in Deo, quasi non determinatæ vniuersaliter pronunciantur, vt cùm dicitur omnisciens, vel omnipotens, sed voluntas quæ determinat, non potest esse omnium, sed eorum tantùm ad quæ potentiam & scientiam determinat; & ideo Deus non potest dici omniuolens. S. Th. de potentia Dei, q. 1. art. 2. Vbi nota, quòd omnipotentia bifariam sumi potest; Primo, vt idem est quod omnis potentia, & sic omnipotentia non est in Deo, quia in eo non est potentia mouendi, aut peccandi, aut patiendi aliquid passiuè; Alio modo potest capi omnipotentia, prout ly omnis se habet per modum termini, & tunc sensus est, omnipotentia, idest potentia omnia potens: & sic omnipotentia est in Deo, & potest etiam capi intensiuè & extensiuè. vtrum autem omnipotentia possit communicari animæ Christi, vel non, S. Th. 3. p. q. 13. per totam latius disputat de hac re, &c.

Omnipotentia dupliciter considoratur.

Opinio se habet ad verum & falsum, vt docet S. Tho. 1. 2. q. 55. art. 1. Potest enim opinio aliquando sumi pro præsumptione, seu assensu temerario, quo quis existimat se scire quod nescit; Alio modo opinio capi potest pro acceptione animæ, generata ex rationibus probabilibus, vt dicunt Logici, quod syllogismus dialecticus generat opinionem, & demonstratiuus scientiam. Potest etiam capi opinio, pro acceptione vnius partis, cum formidine alterius, & sic habet annexam formidinem & vacillationem, & ex hoc nascitur opinari, quod idem est quod putare, siue suspicari, & opinari: vnde S. Th. p. p. q. 32. art. 4. quærit, an liceat absque periculo hæresis opinari falsum circa credibilia ante determinationem Ecclesiæ? &c.

Opinio sumitur aliquãdo pro præsumptione, aliquã do pro acceptione animæ, generata ex rationibus probabilibus.

Operatio est perfectio secunda & finis, sicut finis & perfectio citharistæ, est citharizare; vel est aliquid ad quod per operationem peruenitur, sicut finis ædificatoris, est domus quã ædificando facit: quia cùm duplex sit rei perfectio, prima, & secunda, prima quidem perfectio est, secundùm quod res in sua substantia est perfecta, & est causa secundæ perfectionis, quia forma est principium operationis: secunda autem perfectio, quæ est finis, siue operatio, perficit primam. S. Th. p. p. q. 73. art. 1. Omnis operatio quidam motus dicitur: & pendet ex quatuor. s. ex genere, ex principio, & ex obiecto, & modo eius: & poterit esse vel motus localis, vel operatio intellectualis, vel voluntatis, vel operatio humana, quam operatur ipse homo, siue naturalis, siue virtuosa, siue vitiosa, siue indifferens, quia multa sunt genera operationum. Et ab operatione oritur opus, quod potest esse multiplex; Aliquando viuum, & meritorium, vt quando procedit ex radice spiritualis vitæ, quæ est charitas; Aliquando

Opus multiplex, viuum,

Aliquando mortuum, quod procedit ab illo qui est in peccato mortali, puta vsurario dante eleemosynam, illud enim opus cùm non acceptetur ad beatificam præmiationem dicitur mortuum. Aliquod etiam opus dicitur mortificatum, quod est illud, quod factum fuit in gratia, & acceptatum ad præmium æternum ab ipso Deo, sed per sequens mortale peccatum fuit impeditum à consequutione beatitudinis, tamen si auctor illius operis, per pœnitentiam consequitur gratiam, potest reuiuisci, quod nō facit opus mortuum. Hinc etiam est, quòd opus poterit dici operatum, quod est signum exterius exhibitum, quod fit ad significandum aliquod, vel ad exercendum illud; quemadmodum solemus dicere, quòd Sacramenta Euangelica instrumentaliter conferunt gratiam ex opere operato: opus verò operans, est motus ipsius agentis interior, vnde solet dici, quod Missa mali & boni Sacerdotis, ex opere operato est æqualis virtutis, sed ex opere operante, est inæqualis, quoniam Missa ex opere operante, hoc est ex merito personæ celebrantis, propter quod Deus cōfert gratiam alicui Sacerdoti, existenti in gratia, augmentando ipsam, non confert alteri Sacerdoti existenti in peccato mortali; immo hic talis peccat, indignè sumendo corpus & sanguinem Domini, iuxta dictum Apost. Qui manducat & bibit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini: sed ex opere operato .i. ex ipsa consecratione, & oblatione Eucharistiæ, non respiciendo sanctitatem aut malitiam Sacerdotis, Missa est meriti infiniti. Adde etiam hic opus creationis, quod est productio creaturæ ex nihilo: & opus distinctionis, quod fuit quando Deus distinxit principales partes mundi ab inuicem. Et opus ornatus, quod fuit productio luminarium & mixtorum in cœlo, ex materia elementorum. Datur & opus permissionis, quo Deus permittit prosperari malos, & affligi bonos in hac vita. Datur & opus punitionis, quo Deus punit malos in ordine ad suam iustitiam. Datur & opus iustificationis, quo Deus reducit pœnitentes ad gratiam. Datur & opus Incarnationis, quo Deus Filius, vniuit sibi naturam humanam. Datur & opus glorificationis, quo Deus deducit iustos ad participationem vitæ æternæ. De quibus omnibus S. Thom. in diuersis locis suæ doctrinæ tractat, sed præsertim 1.2 q. 113.

mortuū, mortificatū, opus operatum & opus operans, &c.

Oratio dicitur, quasi oris ratio: ratio autem speculatiua & practica in hoc differunt, quod ratio speculatiua est apprehensiua solum rerum; ratio verò practica, non solùm est apprehensiua, sed etiam causatiua: & quia causa aliquando inducit necessitatem, aliquando dispositionem respectu potentiarum inferiorum, & membrorum corporis, ratio imperando inducit necessitatem, respectu verò eorum quæ ei non subijciuntur, petit tantùm & deprecatur, & sic oratio spectat ad ipsam rationem practicam, & propterea dicitur, quod Oratio est petitio quædam, vel Oratio est petitio decentium à Deo. S. Th. 2.2. q. 83. art. 1. Dicitur etiam quòd oratio est ascensus mentis ad Deum, & quodammodo interpres nostri desiderij ad Deum. Et tam publica, quàm priuata, debet esse vocalis; Primo, vt homo excitet seipsum ad deuotè orandum; Secundo, vt intentionem custodiat ne mens euagetur; Tertio, vt ex quadā redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione inconsideratè mens in fletus, suspiria, iubilos, & voces prorumpat; Quarto, vt quasi ad redditionem debiti, homo Deo seruiat, secundùm illud totum quod ex Deo habet .i. non solùm mente, sed etiam corpore, quod præcipuè competit orationi, secundùm quod est satisfactoria. Et debet cōtinuari, quandiu deuotio potest conseruari, & durare semper secundùm virtutem, non autem secundùm essentiam, quia semper habebit efficaciā impetrandi, si habet quatuor conditiones: s. quod fiat piè ex parte orantis, & tunc est quando habet fidem, confidentiam, humilitatem, paupertatem, & feruorem; secundo, vt fiat ad salutem; tertio, vt fiat pro se; quarto, vt perseueranter. Et propterea in oratione debent esse tria necessaria, s. attentio, rectitudo, & deuotio, quia oratio ipsa tunc habet ista tria, quando est perfecta, humilis, cōtinua, deuota, vigilans, instans, & charitatiua; propterea Ecclesia in orationibus quas facit, ponit quatuor, s. inuocationem Dei, commemorationem beneficij Dei, petitionem, & obsecrationem. Nec requirit locum de necessitate, sed tantùm ad bene esse, quia potest fieri mentaliter in omni loco, non autem vocaliter, propter inanem gloriam. Et soli Deo porrigitur, vt per eum impleatur; Sanctis verò, & Angelis, & hominibus, vt per eos impetranda suis meritis, & precibus, non autem vt Deus cognoscat ipsam orationem, quia quando oramus Deum, non intendimus necessitates nostras aut desideria nostra ipsi manifestare, quia est cognitor omnium, sed vt nosipsi consideremus, esse recurrendum ad diuinum auxilium, & vt obtineamus nostris precibus, quæ Deus ipse disposuit; & vt recognoscamus quanta nobis est concessa fœlicitas, quanta gloria fabulari cum Deo orationibus, & desiderare quod velimus, & postulare quod desideramus. Effectus autē orationis est meri-

In oratione tria sunt necessaria, attētio, rectitudo, & deuotio.

est meritum, seu mereri; secundus est impetratio illius quod petitur; tertius est spiritualis refectio mentis; quartus est solutio debiti ad quod orans tenetur. Et inter omnes orationes, oratio Dominica est efficacior. Hæc omnia S. Th. quæst. superius citata clarius ostēdit.

Ordinatio diuina de nulla creatura frustrari potest, quia etiam si deficiat ab vno ordine, relabitur in alium ordinem. S. Th. 2. sent. dist. 6. q. 1. art. 3. ad tertium. Et quia ordinatio pendet ab ordine, qui ordo est multiplex, vt puta generationis, secundùm quem Fides est prior Charitate, & animal prius homine, & ordo perfectionis secundùm quem Charitas est prior Fide. Datur & ordo naturæ, qui est inter causam, & effectum, vt Sol est prior ordine naturæ, suo radio. Datur & ordo temporis, quo vnum duratione præcedit aliud, sicut Moyses fuit prior ipso Iosue. Solet etiam dici, quòd ordo est dispositio partium parium, dispariumque, sua cuique loca tribuens, &c.

Ordinatus per saltum, vt dicit S. Th. 4. sent. dist. 25. in expositione literæ in fine, loquendo de male promotis, qui multipliciter dicuntur: quia vel furtiuè accipiunt ordinem, vt cùm quis vna die accipit duos Ordines sacros: vel quando aliquis accipit Ordinem sine licentia Episcopi: vel quia prætermittit aliquem Ordinem, & tunc si ex malitia facit, debet deponi, quamuis characterem recipiat; si verò ignoranter, debet sibi imponi pœna ab Episcopo, & interim careat executione Ordinis, quousque Ordinem prætermissum recipiat, &c. Attende etiam, quòd Ordo est signaculum quoddam sacrum, quo spiritualis potestas traditur ordinato, & officium: quia dupliciter accipi potest Ordo ipse sacer; Primo, pro signo quo traditur potestas ordinato; vel pro ipsa potestate tradita: primo modo Ordo est Sacramentum tantùm, secundo est Sacramentum, & res. s. respectu signi prædicti & Sacramentum rei. i. gratiæ gratum facientis, seu augmenti eiusdem, cui dignè ordo confertur. Sumitur etiam aliquando ordo, pro modo viuendi in religione, vt solemus dicere, quatuor esse Ordines mendicantes; de quibus non loquimur ad præsens.

Ordinatio dupliciter capitur, pro signo potestatis, vel pro ipsa potestate.

Origo omnis, vt scribit S. Th. p. p. q. 4. art. 1. ad primum, designatur per aliquem actum: duplex autem ordo originis attribui Deo potest; vnus quidem secundùm quod creatura ab eo progreditur, & hoc est commune tribus personis, & ideo actiones quæ attribuuntur Deo ad designandum processum creaturarum ab ipso, ad essentiam pertinent; Alius autē ordo originis in diuinis attenditur, secundùm processionem personæ ad personam, vnde actus designantes huius originis ordinem, notionales dicuntur, quia notiones personarū, sunt personarum habitudines ad inuicem, &c. Vbi nota, quòd de hoc ordine originis est aliqua controuersia inter Doctores Scolasticos, quia Scotus 1. sent. dist. 10. cum isto ordine ponit prioritatem, asserendo, quòd ordo originis est, secundùm quem vna persona est ab alia, & prioritas originis est, qua quis intelligitur à se, & à quo alius: ita quòd duo requirit prioritas originis; Primum, quòd persona sit à se; Secundum, quod aliud sit ab ea: & propter hoc ponit multa signa originis, in quorum primo sunt operationes immanentes ad intra, puta intelligere & velle, quæ sunt perfectiones simpliciter, communes tribus personis; In secundo signo originis sunt operationes transeuntes ad intra, sicut dicere, & spirare; In tertio signo originis sunt operationes immanentes ad extra, puta intelligere creaturas, & eas diligere; In quarto signo originis, sunt operationes transeuntes ad extra, puta creare & conseruare. Ioannes Bacconitanus docuit etiam idē, de mente B. Augustini in lib. de triplici tabernaculo cap. 6. vbi dicit; In beata visione videbimus duas processiones, quomodo Patet præcedit Filium, origine non tempore; & sic ponit signa prioritatis, & posterioritatis, non in quibus, sed è quibus, distinguendo de priori à quo, & in quo. Hoc etiam modo scripsit Gregorius Ariminensis dist. 9. q. vnica, 1. sent. Sic etiam & Gulielmus Ochan affirmat, Patrem esse priorem origine Filio, addens, disputationem istam esse verbalem. Sed Alphonsus Toletanus, validissimis argumētis eadem dist. 9. impugnat omnes hos Doctores, ex doctrina S. Th. p. p. q. 42. art. 3. vbi ponit in diuinis personis principium secundùm originem absque prioritate; & hoc de mente Augustini, asserentis, ordinem originis, seu naturæ in diuinis esse, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero Et Caietanus ibidem arguit argumento potissimo, quia in diuinis non est nisi essentia, & relatio, sed in essentia nulla est prioritas, nec etiam in relationibus, quia sunt simul natura & intellectu. Propterea autē legenda est opinio Scoti, & cæterorum Doctorum, ponentium istam prioritatem. Nisi dicamus, controuersiam istam non esse secundùm rem, sed tātùm in vocabulis, & in verbis, vt quod ipsi vocant prius origine à quo alius, & etiam à se procedens, & posterius origine qui ab alio; nos verò dicimus, Pater est à se, & Filius à Patre; & Pater, & Filius, sunt à se; Spiritus sanctus verò est à Patre, & à Filio, &c.

Ornatus,

Ornatus, vt docet S.Th.2.2.q.169.quod circa ornamenta mulierum eſt conſiderãdum, quòd mulier licitè poteſt dare operam ad hoc, quod viro ſuo placeat, ne per eius contemptum in adulterium labatur; & ideo ſi mulier coniugata ad hoc ſe ornet, vt viro ſuo placeat, poteſt facere abſque peccato. Illæ autem mulieres, quæ viros non habent, nec volunt habere, & ſunt in ſtatu non habendi, non poſſunt abſque peccato appetere placere virorũ aſpectibus, ad concupiſcendum, quia hoc eſt dare eis incentiuum peccandi; & ſi quidem hac intentione ſe ornent vt alios prouocent ad concupiſcentiã, mortaliter peccant; ſi autem ex quadam leuitate, vel etiam ex quadam vanitate, propter iactantiam quandam, non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale: & eadem ratio eſt quantum ad hoc de viris. Vnde ſemper ornatus iſte, ſiue virorum, ſiue mulierum, eſt menſurandus ad modum, & menſuram perſonæ, & ad intentionem; ſi enim mulieres portant ornamenta decentia, ſecundùm ſtatum & dignitatem ſuam, vt moderatè ſe habeant in factis ſuis, ſecundùm conſuetudinem patriæ, erit actus virtutis modeſtię, quæ ponit modum in inceſſu, ſtatu, habitu, & in omnibus motibus exterioribus, & poterit eſſe meritorius, ſi ſit cum gratia, &c.

Ornatus mulieri quando permiſſus.

Oſculum, amplexus, vel tactus, ſecundùm ſuam ſpeciem non nominant peccatum mortale, quia poſſunt fieri abſque libidine, vel propter conſuetudinem patriæ, vel propter aliquam neceſſitatem, aut rationabilem cauſam; Alio modo oſculum poteſt eſſe peccatum mortale, ex ſua cauſa, ſi fiat cum delectatione libidinis, inducendo perſonam ad fornicandum, & luxuriandum, & præſertim quando adſunt mollities, & emiſſio ſeminis. S.Thomas 2.2.q.154.art.4.

Oſculum, tactus, & ſimilia, poſſunt eſſe aliquando abſq. peccato.

Oſeas Propheta non peccauit peccato fornicationis, accipiendo ſibi mulierem fornicariam, quia obediuit præcepto Dei, quippe qui potuit diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulę, per quę homo immediatè ordinatur ad proximum; bonum enim proximi eſt quoddam bonum particulare. Non poteſt autem Deus diſpenſare in præceptis primæ tabulæ, per quæ homo ordinatur in Deum, qui à ſeipſo alios non poteſt auertere; non enim poteſt negare ſeipſum: quãmuis quidam dicant, quòd ea quæ dicuntur de Oſea, ſunt intelligenda contigiſſe in viſione Prophetiæ. S.Th.in diſput.de malo, q.3.art.1.ad 13.

DE LITERA P.

LITERA iſta connumeratur inter mutas apud Græcos, & etiam apud Latinos, & propterea in dictionibus Græcis admittit poſt ſe aſpirationem, vt Philoſophus: ante verò non admittit n, ſed tantùm m, vt impius: quando verò geminatur addendo ſupra aliquam virgulam, ſignificat Papam PP.

Pabulare deriuatur à pabulo, & ſignificat paſtum iumentorũ, ex agris: vnde dixit Beata Agnes ad Tyrannum, Diſcede à me pabulum mortis; eſt enim propriè pabulum, idem quod cibus pecudum: vnde dictum eſt Petro, Paſce oues meas, quæ verba intelligenda veniunt metaphoricè, & ſimilitudinariè; Prælatus enim debet paſcere ſubditos ſuos verbo, exemplo ſanctæ conuerſationis, & ſubſidio etiam rerum temporalium. S.Thom.in Ioannem cap.20.

Pactum eſt duplex, tacitum, & expreſſum: & quia omnes ſuperſtitiones procedunt ex aliquo pacto inito cum Dæmonibus, propterea prohibentur in illo præcepto primo, Non habebis Deos alienos. S.Th.2.2.q.122.art.2.ad tertium. Et propriè pactum eſt conſenſus duorum vel plurium in re, quæ vtrique parti placet; pollicitatio verò cum conſenſu amorum non iungitur, quia eſt promiſſio ſolius offerentis. Et pactum venit à pactione, quæ eſt conſenſus ſeu placitum plurium: vnde appellatum eſt nomen pacis. Et varię ſunt ſpecies pactorum, &c.

Pallium datur Archiepiſcopis, in ſignum priuilegiatæ poteſtatis. Et ſignificat torquem auream, quam ſolebant legitimè certantes accipere. S.Th.4.ſent.diſt.24.q.3.art.3. Et connumeratur pallium inter communia veſtimenta, quia eſt ſuperius indumentum, quod cooperit cætera veſtimenta. Et non portatur ratione neceſſitatis, ſed potius ratione honeſtatis; vnde ſcribitur Gen. cap.38. quòd Thamar nolens cognoſci, tollens cito pallium, cooperuit ſe.

Panis ſacramentalis dat nobis quinque, ſcilicet veniam culpæ, vitam morti, confirmat ad pugnam, confortat ad viam, & facit prægustare ipſam gloriam. S.Th.in Eſaiam cap.4.

Panis ſacramentalis, quinque homini tribuit.

Et pro-

Et propriè materia Sacramenti Eucharistiæ, est panis triticeus, quia inter omnes alios panes, communius homines vtuntur pane triticeo: Cæteri verò panes introducti sunt in defectum huius panis, vt notat S.Th.3.p.q.74.art.3. Et dicitur panis à pascendo, quia pascit, & reficit esurientes. Et capitur multis modis; Primo pro pane materiali, vt dictum est; Secundo pro pane sacramentali; Tertio pro pane scientiali, qui est ipsa scientia; Quarto pro pane spirituali, qui sunt virtutes; Quinto pro pane pœnitentiali, qui est ipsa pœnitentia; de quibus panibus potest intelligi dictum Euangelicum, de quinque panibus hordeaceis, &c.

Panis multis modis accipitur.

Papa habet curam vniuersalis Ecclesiæ, & ad ipsum pertinet in omnibus generaliter quę ad dispensationem rerum Ecclesiasticarum pertinent, super quas habet plenitudinem potestatis. S.Th.2.2.q.89.art.9.ad tertium. Et est veluti Rex in regno; & vocat solos Episcopos fratres, alios autem vocat filios. Et potest abolere infamiã iuris. & quando dicitur non posse aliquid, hoc est, quia aliquando nõ expedit. Et erroneum est dicere, Papam Vicarium Christi, non habere primatum vniuersalis Ecclesiæ. Et tenetur quilibet Christianus subijci Papæ, sicut Christo: vnde dicitur Papa, quasi Pater omnium; vel ab admiratione, à pape, quod est admirantis, &c.

Parabola est sententia habens obscuram similitudinem, vt scribit S.Th.p.p.q.1.art.10. ad tertium. est enim sermo parabolicus.i.quasi similitudinarius: & dicitur à para, quod est iuxta, & bole, quod est sententia, quasi iuxta sententiam alterius: vnde sacra Scriptura est plena huiusmodi parabolis, sicuti illud, Simile est regnum cœlorum patrifamilias, & decem virginibus, quarum quinque sunt fatuæ, & quinque prudentes, & sic de alijs.

Paradisus est locus constitutus in partibus Orientis, cuius vocabulum, à Græco in Latinum vertitur ortus: conuenienter autem in parte orientali dicitur situs, quia credẽdum est, quod in nobilissimo loco totius terræ sit constitutus; Oriens autẽ cùm sit dextera cœli, & dextera est nobilior quàm sinistra, ideo conueniens fuit, vt in orientali parte Paradisus terrenus institueretur à Deo. S.Th.p.p.q.102.art.1. Et est vicinus terræ secundùm situm. & pertingit ad globum Lunæ secundùm similitudinem, quia in eo est perpetua temperies aëris. & est conueniens locus habitationi humanæ, quia habet aërem temperatum, & tenuissimum, & plantas semper floridas. Et nullus potest ad eum ire propter impedimenta montium vel marium, vel æstuantis regionis. nec potest cognosci naturaliter, nisi per reuelationem Scripturæ; & hæc opinio est vera, non autem illa, quæ dicit, quòd totus mundus erat terrestris Paradisus, & deinde propter peccatum effectus est terra, in pœnitentiam data homini; nec etiam est vera illa alia opinio, quod terra promissionis, & prouincia Palęstina, erat Paradisus terrestris, sed propter peccata postmodum effecta est sterilis, cùm Paradisus non sit nisi triplex, terrestris, de quo prima opinio, & cœlestis, & spiritualis, qui est visio Dei, &c.

Paradisus naturaliter cognosci non potest, nisi per reuelationem Scripturæ.

Pars est duplex. s. essentiæ, & pars quantitatis: pars essentiæ naturaliter, sunt materia & forma: Logice verò genus & differentia; pars quantitatis, est pars integralis, quæ intrat constitutionem totius, sicut manus & pes: datur etiam & pars potentialis, sicut intellectus & voluntas: datur & pars subiectiua, sicut homo respectu animalis, vt notat S.Th.3.p.q.90. art.1.2.& 3.

Participare nihil aliud est, quàm aliquid ab alio partialiter accipere, quia omne illud, quod est per participationem, subditur ei, quod est per essentiam, vt notat S.Th.p.p.q.96. art.1. Et aliquid participatur tripliciter; Primo, vt accidens a subiecto, vel forma à materia; Secundo, vt superius ab inferiori; Tertio, vt causa ab effectu: hinc creaturæ participant bonitatem Dei, non quidem secundùm partem, sed secundùm similitudinem, & imitationem, &c.

Particulare propriè loquendo, non est in diuinis, quia particulare dicitur, eo quod particulatur in ipso natura communis, cuius partem accipit, secundùm virtutem, qua potest esse in pluribus, quamuis accipiat totam rationem eius, sed in Patre est natura diuina secundùm totam suam virtutem, vnde non potest dici particulare, nisi forte solum secundùm rationem numeralis multitudinis: similiter etiam hoc nomen Deus, non potest esse particulare vel singulare, cùm de pluribus suppositis prædicetur, & materia careat, quæ singularitatis principium est: vnde persona dicetur de Deo non secundùm rationem particulationis vel singularitatis, sed secundùm rationem complexionis, vt est quid complexum, in natura intellectuali subsistens, & existens, vt notat S.Thomas 1.sent.dist.23.art.2. ad quartum.

Paruipensio

Paruipensio excellentiæ hominis opponitur, quæ enim homines nullo modo putant digna esse, paruipendunt: hinc omnes causæ iræ, reducuntur ad paruipensionem. Et sunt tres species paruipensionis. s. despectus, impedimentum voluntatis implendæ, & contumelia-tio; & ad hæc tria omnia motiua iræ reducuntur, vt notat S.Th. 1.2.q.47.art.2. &c.

Species paruipensionis sunt tres.

Paruus dicitur aliquis tripliciter; scilicet ætate, humilitate, & sensu, vt scribit S. Thom. super Matthæum, cap. 11. & propterea paruus dicitur abiectus, humilis, & simplex: vnde Christus dicitur paruulus quadrupliciter. s. natiuitate propter ætatem, possessione propter paupertatem, corde propter humilitatem, & morte propter eius vilitatem: & hinc etiam est, quod paruuli habent quatuor conditiones, quæ omnes in Christo paruulo excellentissimè inueniuntur. s. puritas, humilitas, amabilitas, & placabilitas: paruus quoque relatiuè ad aliquid potest dici magnus, vt mons paruus, in ordine ad aliquem minorem, potest dici maior, &c.

Christus propter quatuor paruus dicitur.

Pascha dicitur quadrupliciter; Primo agnus Paschalis; Secundo panes azimi; Tertio prima dies azimorum; Quarto omnes dies azimorum. Christus quoque dicitur Pascha nostrum, vt notat S.Th.3.p.q.46. art.9. in responsione ad primum. Et dicitur pascha quasi transitus. & celebrabatur mense primo, ad commemorandum beneficium liberationis ex Ægypto. & significabat passionem, & resurrectionem Christi: vnde festo Paschæ Hebreorum, succedit festum Passionis, & Resurrectionis Christi, &c.

Paschasius existens in Purgatorio, non orabat pro alijs, sed oratio aliorum ad eum facta, exaudita est, propter fidem orantium, vt notat S.Th.4.sent.dist.15.q.4.ar.5. in 2.quæst. argumento 3. vbi dicit, quòd legitur de Paschasio, qui etiam post mortem miraculum fecit, reuelatus est Beato Germano Capuano Episcopo esse in Purgatorio: & sic videtur, quod oratio possit dirigi ad illos, qui sunt in Purgatorio. Et respondens dicit, quòd in miraculis præcipuè attenditur fides, & deuotio orantis, & quia ille qui orabat putabat Paschasium esse in patria, & ideo fuit exaudita eius oratio, vt vita illius approbaretur, non quod existens in Purgatorio, oraret pro alijs, &c.

Passio duplex, Realis, vt amor, & gaudium, quæ ordinantur ad bonum, & timor & dolor, quæ ordinantur ad malum; Alia est passio intentionalis, quæ spectat ad perfectionem patientis, & hæc poterat esse in Adam in statu innocentiæ, vt notat S.Thom. p.p.q.95.art.2. Passio quoque dicitur dupliciter. s. impropriè, omnis receptio, quæ est passio perfectiua, vt intelligere, & velle; & dicitur passio propria cum abiectione alicuius, sicut aqua amittens frigiditatem per calefactionem, vel cum homo ægrotat aut tristatur. Et dicitur etiã passio omnis impeditio in suo conuenienti: vnde communiter solet dici passio corruptiua, & perfectiua, & metaphorica, scilicet quando aliquis impeditur à suo conuenienti. Potest etiam dici passio motus appetitiuæ virtutis sensibilis in imaginatione, boni vel mali; vel inclinatio quædam, vel conuenientia derelicta ab agente in passum; vel effectus illatioq; actionis. Et potest esse species qualitatis, & genus generalissimum; & pœna inflicta corpori, vt passiones martyrum & spiritualis affectio; & proprietas alicuius subiecti, puta risibilitas, est passio hominis, quæ secundùm S.Thomam realiter distinguitur à subiecto, licet aliqui oppositum sentiant.

Pati tripliciter dicitur; Vno modo proprijssime. s. quando remouetur ab eo quod conuenit sibi secundùm naturam, aut secundùm propriam inclinationem, sicuti cùm homo ægrotat aut tristatur. Secundo modo minus propriè dicitur aliquis pati, ex eo quod aliquid ab ipso abijcitur, siue sit ei conueniens, siue non conueniens; & secundùm hoc dicitur pati non solùm qui ægrotat, sed etiam qui sanatur. Tertio dicitur aliquis pati communiter, ex hoc solo, quod id quod est in potentia ad aliquid, recipit illud, ad quod erat in potentia, absque hoc quod aliquid abijciatur; secundùm quem modũ omne quod erit de potentia in actum, potest dici pati, etiam cùm perficitur: & sic intelligere nostrum est pati. S.Thomas p.p. q 79. art.2.

Pati aliquis dicitur, cõmuniter, propriè, & proprijssimè.

Pater quod significat paternitatem, est proprium nomen primæ personæ in diuinis, quia per hoc distinguitur ab alijs personis. Et multipliciter dicitur; Primo personaliter, & sic prius conuenit primæ personæ; Secundo essentialiter, & sic conuenit toti Trinitati; Tertio dicitur per similitudinem gratiæ, & sic dicitur Pater adoptans; Quarto per similitudinem gloriæ, vel per communicationem doctrinæ. S. Tho.p.p.q.33.art.1.& 2. Et dicitur Pater à patrando, quia patrat & producit Filium; seu à pater, quia patet & relucet per similitudinem naturalem in Filio. Et attende diligenter circa distinctionem de Patre notionaliter, & essentialiter.

Patientia est, qua mala æquo animo toleramus.i.sine perturbatione tristitiæ, ne animo iniquo bona deseramus, per quæ ad meliora perueniamus: vnde patientes propriè dicuntur, qui malunt mala non committendo ferre, quam non ferando committere: in illis autem qui mala sustinent, vt mala faciant, nec miranda, nec laudanda est patientia, quæ nulla est, quia patientia quæ est virtus, non facit mala. S. Thom.2.2.q.136.art 1. Et Canonistæ volunt, quòd patientia, quæ est virtus, est suas, & suorum iniurias, ac cætera mala æquanimiter ferre; Vel, honestatis & vtilitatis causa, rerum arduarum & difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.

Patientia secundùm Canonistas definitio.

Paulus iuxta sententiam Hieronymi, simulatoriè reprehendit Petrum, quia Petrus simulatoriè subtrahebat se à Gentilibus, vt vitaret scandalum Iudæorum, & propterea non peccauit. Sed iuxta sententiam Augustini, Paulus verè reprehendit Petrum, quia Petrus verè peccauit. S.Th.1.2.q.103.art.4.ad secundum. Et Paulus in bula Papæ ponitur à dextris, Petrus autem à sinistris, quia Paulus vocatus fuit à Christo impassibili, & Petrus à Christo passibili. Et fuit homo ignobilis, abiectus, & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, vt dicit ipse Chrysostomus in homelia 4. loquens de ipso Paulo, quod manebat apud Aquilam, & Priscillam, propterea quod eiusdem artis essent, erant enim scenofactoriæ artis. Non igitur à proauis nobilis erat, quia fuit tam vilis artis; non à patria, non à gente, quia erat opifex vilis, ac publicus, stans in loco artis suæ, & scasellum in manu gerens, & tamen ita clarus discipulus Christi factus est. Hæc verba Chrysostomi considerent illi, qui dicunt Paulum fuisse virum nobilem ac Romanum, Patritium, seu ciuem, cum oppositum sustineat in hac Homelia 4. de Paulo ipse Chrysostomus.

Paupertas spiritus, propriè respondet timori: vnde ex hoc, quòd aliquis perfectè timet Deum, non quærit magnificare seipsum in honoribus, & diuitijs; & propterea paupertas spiritus intelligi potest, vel exinanitio inflati, & superbi spiritus, vel abiectio temporaliū rerum, quæ fit spiritu.i.propria voluntate, per instinctum Spiritus sancti. S.Tho.2.2.q.19. art.12. Paupertas etiam, seu pauperies potest esse duplex; simulata pauperum, & hæc rationabiliter non debet recipere eleemosynas, quia faciunt pauperes ad congregationem pecuniæ, & ad lautiorem refectionem ventris; paupertas verò non simulata, sed vera, potest esse multiplex; scilicet voluntaria, & hæc habet gloriam apud Deum; vel illata & necessaria, & illi qui habent istam possunt suscipere eleemosynas iusta de causa: sed paupertas spiritus pertinet ad beatitudines, iuxta illud, Beati pauperes spiritu, &c.

Paupertas duplex, simulata, & non simulata.

Pax includit concordiam, & aliquid addit: vnde vbicunque est pax, ibi est concordia, non tamen vbicunq; est concordia, ibi est pax, si nomen pacis propriè sumatur: concordia enim propriè sumpta est ad alterum, inquantùm.s.diuersorum cordium voluntates simul in vnum consensum conueniunt; pax autē vera consistit in perfecta fruitione summi boni. Alia est pax imperfecta, quæ habetur in hoc mundo, & est tranquillitas ordinis. S.Th.2.2. q.29.art.1.& 2. Vbi attende, quòd datur etiam pax malorum, quæ opponitur paci bonorum. Datur & pax temporis, quia non est durabilis, sed propter aliquod commodum. Datur & pax interna, & externa, pax terrena, pax superna, pax cœlestis, & multis alijs modis, vt notat B. Aug.19.de ciuit.Dei.

Peccatum, est dictum vel factum, aut concupitum, contra legem æternam; Vel est auersio ab incommutabili bono ad commutabile bonum. S. Tho.1.2.q.71.per totam, & præsertim art.6. Dicitur etiam peccatum, actus deuians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ; & ex parte actus est natura, substantia, & res, sed ratione inordinationis, est nihil causaliter, priuando hominem gratia & gloria, quia deficit à bono, quoniam vtitur fruendis, & fruitur vtendis, negligendo res æternas, & sectando temporales. Et intantùm dicitur peccatum, inquantùm est voluntarium, cordis, oris, & operis, & est contra Deum, contra seipsum, & contra proximum, quia peccare nihil aliud est, quàm voluntariè aliquid agere, vel omittere contra rectam rationem: & propterea solet distingui de peccato omissionis, & commissionis, & de peccato originali, quod est priuatio iustitiæ originalis, & de peccato mortali, quod est mors animæ, & de peccato quod committitur contra Patrem, quod spectat ad fragilitatem, & contra Filium, quod spectat ad ignorantiam, & contra Spiritum sanctum, quod habet multas species: & de peccato veniali, quod dicitur ab adueniendo, quia venit ex surreptione, & prouitate naturæ corruptæ, sicut verbū otiosum, & mendacium iocosum, & risus superfluus. Et multa alia dicenda essent de peccatis, de quibus omnibus vide S.Th.à 71.q.vsq; ad 90. exclusiuè, vbi latius & diligantissimè tractat de essentia peccatorum, & eorum differentijs, & proprietatibus.

Peccare est aliquid voluntariè agere.

Pecunia

Pecunia est omne illud, cuius pretium potest pecunia mensurari: & ideo si aliquis pro pecunia mutuata, vel quacunque alia re, quæ ex ipso vsu consumitur, pecuniam accipit, ex pacto tacito vel expresso, peccat contra iustitiam. S.Thom. 2.2.q.78.art.2. Et est de mente August. in lib. de doctrina Christiana, quod omnia nomine pecuniæ intelliguntur, quicquid homines habent in terra, & omnia quorũ domini sunt, pecunia vocatur, seruus, vas, ager, arbor, pecus, & quicquid horum est, pecunia dicitur, & omnia hæc in pecuniam resoluuntur, & pecunia comparantur: propterea pecuniæ omnia obediunt. f. tẽporalia, &c.

Pœnitentia est duplex, interior, & exterior; Interior est virtus, exterior verò est Sacramentum: & vt ait Hieronymus, est secunda tabula post naufragium, quia si quis vestem innocentiæ in Baptismo perceptam peccando corruperit, Pœnitentiæ remedio reparare potest: Prima tabula est Baptismus, vbi deponitur vetus homo, & induitur nouus: Secunda tabula est Pœnitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reuersa repellitur, & nouitas perdita resumitur. Beatus Gregorius dicit, quòd pœnitere, est ante acta peccata deflere, & flenda non committere, nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere, aut ignorare, aut dissimulare intendit; quid enim prodest si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritiæ æstibus anhelat? Et Ambrosius dicit, quòd pœnitentia est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Et idem ait, quòd vera pœnitentia est cessare à peccato. Et B. August. dicit, quòd inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. De his definitionibus S.Th disputat 4 sent. dist. 14. q.1. art.1. vbi notat, ꝙ pœnitentia potest accipi aliquando pro actu & habitu pœnitentis, aliquando pro actu Sacerdotis absoluentis pœnitentem à culpa. Et potest esse multiplex, vt pœnitentia publica, vel secreta. De qua S.Th. latius disputat 3 p. circa finem, &c. *Baptismus est prima post naufragiũ tabula, secunda verò est pœnitentia.*

Per, dictio hæc, vt notat S.Thom. p.p.q. 36. art 3. designat aliquando causam finalem, vt quando dicimus, quòd artifex operatur propter cupiditatem lucri; aliquando formalem, vt quando dicimus, quòd operatur per artem suam, aliquãdo efficientem instrumentalem, vt quando dicitur, quòd artifex operatur per martellum; aliquando causam principalem, vt quando dicitur, quòd balliuus operatur per Regem; & aliquando causam materialem, vt homo est corruptibilis per materiam. Potest etiam hæc propositio per, denotare medium distantiæ, vel transitus, vt per viam itur ad curiam; vel modum temporis, vt per viginti dies; vel affirmationem alicuius effectus, vt per Deum dabo tibi equum. Hæc etiam propositio pro, potest dicere causam finalem, vt hoc faciam pro Deo; vel vicissitudinem, vt Salamon regnauit pro patre suo, &c.

Perfectio est triplex; Prima quidem secundùm quod res constituitur in suo esse; Secunda verò prout rei aliqua accidentia necessaria superadduntur, ad suam perfectam operationem, Tertia perfectio rei, est per hoc, quod attingit suum finem: vt pote prima perfectio ignis consistit in esse quod habet per suam formam substantialem, secunda verò consistit in leuitate, caliditate, & siccitate, tertia consistit in hoc, quod quiescit in loco suo: & hæc triplex perfectio nulli creaturæ conuenit per essentiã, sed tantùm Deo. S.Th p.p.q. 6. art. 3. Et quia ex perfectione venit perfectum, quod multis modis dicitur, vt habetur 5 Metaphi. quia vel est perfectum secundùm esse simpliciter, vel in genere, vel secundùm virtutem, vel secundùm finem; & hoc vel propriè, vel metaphoricè. Et quia perfectio est illud, cui nihil deficit, hinc etiam perficere multipliciter esse potest; vel causaliter, & sic Deus omnia perficit; vel formaliter, & sic anima perficit corpus, &c. *Perfectũ multis modis dicitur.*

Periculum quandoque nascitur ex ipso facto, quia factum illud non est expediens, puta quòd aliquis per pontem ruinosum transeat fluuium; sed si periculum immineat ex hoc quod homo deficit ab illo facto, non definit propter hoc esse expediens, sicut expediens est ascendere equum, quamuis periculum immineat cadendi de equo: alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quæ etiam per accidẽs ex aliquo euentu possunt esse periculosa, S.Th.2.2.q 88. art.4. ad secundum. Et quia periculum venit à pereo peris, hinc periculor, à quo periclitor, quod est periculum subeo, à quo periculosus, a, um, quod potest esse aut causa periculi, aut occasio: vnde iurare per Deum, dicitur periculosum, non causaliter, quia hoc potest esse bonum, sed occasionaliter, quia iurans non obseruat conditiones iuramenti, &c.

Periurium est mendacium iuramento firmatum: & ideo falsitas est de ratione periurij. Et est contrarium religioni, cuius est Deo reuerentiam exhibere, quia ad reuerentiam Dei pertinet, quod aliquis eum testem inuocet: quando autem inuocat ipsum in testem falsitatis, tunc dat intelligere, vel quod Deus non cognoscat veritatem, vel quod falsitatem

velit testificari, & sic est peccatum, Et potest capi multis modis; Primo pro iuramento quo quis scienter iurat falsum; Secundo pro scienter, vel ignoranter, vel dolosè; Tertio pro quolibet iuramento in quo deficit veritas, vel iustitia, vel iudicium. S.Tho.2.2.q.98. per totam. Et quia periurium venit à peiero, quod est iuramentum infringo, hinc peierator,& peieratrix,& peieratio deducuntur. Et habet multas species, vt est videre apud S.Th. vbi supra. Et est grauius peccatum, quàm homicidium, cùm sit immediatè contra Deum, licèt aliqui teneant oppositum, &c.

Deus permittit aliqua mala fieri, vt ex eis bona eliciat.

Permittit diuina sapientia aliqua mala fieri per malos Angelos, vel homines, propter bona quæ ex eis elicit: Ita & boni Angeli non totaliter cohibent malos à nocendo. S.Tho. p.p.q.109. art.4. ad 2. Et quia ex hoc nascitur, quòd permissio dicitur esse signum diuinæ voluntatis, distinctum contra præceptum: dicitur enim Deus permittere illud, quod non præcipit, nec prohibet, nec consulit fieri. Dicitur etiam permissio, quod non punit temporaliter, sed non ex hoc sequitur Deum aliquando illud non punire, & sic Deus permittit mala culpæ,&c.

Permutatio præbendarum, vel Ecclesiasticorum beneficiorum, fieri non potest authoritate partium, absque periculo simoniæ, sicut nec transactio, vt iura determinant: potest tamen Prælatus ex officio suo, permutationes huiusmodi facere, pro causa vtili, vel necessaria, S.Thom.2.2.q.100.art.1.ad 5.

Perplexus ille est, qui habet intentionem malam, & facit contra eam, sed quia potest malam intentionem dimittere, vt notat S.Tho.1.2.q.19.art.6. ad 3. Et cùm perplexus sit homo titubans, vel hæsitans, vel dubius, quasi scrupulosus in eligendo, quę via sit rectior vel melior, vel timens quamcunque viam amplectetur, ipse arbitratur se peccare; qui ergo agit contra conscientiam erroneam, peccat, sed amouendo conscientiam erroneam, qua putauit se fuisse irregularem, vel homicidam, cùm non fuerit, quamuis stante erronea conscientia tenetur se tenere talem, sed amota, non oportet dispensationem quærere, quia nunquam fuit irregularis, vel homicida, &c.

Contra conscientiam erroneam agēs, peccat.

Perseuerantia tripliciter dicitur: quandoque enim significat habitum mentis, per quem homo firmiter stat, ne remoueatur ab eo, quod est secundùm virtutem, per tristitias irruentes,& sic se habeat perseuerantia ad tristitias, sicut continentia ad concupiscentias, & delectationes: Alio modo potest dici perseuerantia, habitus quidam, secundùm quem homo habet propositum perseuerandi in bono vsque in finem: & vtroque istorum modorum perseuerantia simul cum gratia infunditur, sicut continentia, & cæteræ virtutes. Alio modo perseuerantia dicitur, continuatio quædam boni vsque ad finem vitæ; & ad talem perseuerantiam habendam homo in gratia constitutus, non indiget aliqua alia habituali gratia, sed diuino auxilio ipsum dirigente,& protegente, contra impulsus tentationum. S.Th. 1.2.q.109.art.10.

Persona non conuenit Deo quantùm ad id à quo impositum est nomen, tamen quantùm ad id ad quod significandum imponitur, maximè Deo conuenit. Et quia in comędijs, & tragœdijs, repræsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen persona, ad significandum aliquos habentes dignitatem: vnde consueuerunt dici personę in Ecclesijs, quæ habent aliquam dignitatem. Et sic persona definitur, quod est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinentem. Vel, persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. S.Th.p.p.q.29.per totam. Et cùm persona ipsa dicatur à personando, quia concauitate ipsa maior necesse est vt voluatur solus: hinc Græci personas vocant πρόσωπα, ab eo quod ponantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum; & sic persona dicitur histrio & repræsentator Comędiarum. Potest etiam persona accipi pro accidente Grammatico, sicut dicitur, Ego, est primæ personæ, tu secundæ,& ille tertiæ. Tertio capitur metaphoricè, pro homine habente gradum eminentem in Ecclesia, vt Episcopus, aut Curatus. Et quarto accipitur persona, pro supposito naturæ intellectualis; & sic dicitur persona quasi per se vna. Et est nomen commune ad personas creatas & increatas; sed prout dicitur de increatis, est relatio subsistens in diuina natura, &c.

Pertinacia se habet ad perseuerantiam, sicut superstitio ad religionem: & quia superstitio opponitur religioni, sic etiam & pertinacia opponitur perseuerantiæ: hinc pertinax dicitur aliquis, qui est imprudenter tenax, quasi omnia tenens, & hoc idem dicitur pertinax, eo quod in proposito suo ad victoriam perseuerat: antiqui enim dicebāt vitium, quam nos victoriam,& Philosophus fortem sententiam, seu propriam sententiam, quia pertinax perseuerat in propria sententia plus quàm oportet, mollis autem minus quàm oportet,

Pertinax est ille, qui est imprudenter tenax.

perseuerans

perseuerans autem secundùm quod oportet: & sic perseuerantia laudatur sicut in medio existens, pertinax autem vituperatur secundùm excessum medij, mollis verò secundùm defectum. S. Th. 2.2.q 138.art.2.

Philosophus, vt notat S.Th. de veritate, q.9.art.1.ad 3. habet vniuersaliorem considerationem, quàm Medicus, ipse enim Philosophus naturalis immediatè accipit principia sua à primo Philosopho, qui habet cognitionem rerum in principijs vniuersalibus; Medicus autem accipit principia sua à naturali, quia eius consideratio est maximè in particulari; & quia ipse Philosophus venit à Philosophia, quæ est amor scientiæ, vel ars vitæ, & perturbationum medicina, vel humanarum, diuinarumq; rerum cognitio, diuisa in naturalem, rationalem, & moralem, sic & Philosophus dicitur aliquis naturalis, qui tractat de rebus mobilibus; aliquis rationalis, qui tractat de ente rationis, vt Grammaticus, Logicus, Rhetoricus, & Poeta; Moralis verò tractat de moribus, vt patet in libris Ethicorum, & Oeconomicorum, & Politicorum. Datur & Philosophus Christianus, qui disputat de rebus Fidei, vt est Theologus, qui versatur circa Deum reuelatum, ad differentiam primi Philosophi, seu Metaphysici, qui versatur circa Deum cognitum lumine naturæ.

Theologus est Philosophus Christianus.

Pietas est, per quam sanguine iunctis, patriæq; beneuolis, officium, & diligens tribuitur cultus, vt notat S. Th. 2.2.q 101. art.1.& 2. Pietas enim est circa Deum, quia pertinet ad religionem, vnde videtur, quod sit quidam cultus interior. Spectat etiam ad actus misericordiæ, & propterea Deus dicitur pius, & misericors; pietas etiam est quidam amor proueniens ex benignitate mentis, & est affectio auxiliatrix omnibus: vnde datur & pietas Fidei, quæ spectat ad exercitationem deuotionis circa Deum, cùm sit quædam protestatio charitatis, quæ nedum ad Deum se extendit, sed etiam ad parentes, & ad patriam, secundùm quod patria ipsa est quoddam principium essendi, &c.

Piscis, vt notat S.Th. de mente Basilij p.p.q.72.art.1.ad 1. caret memoria, sed secundùm D. August. non caret memoria, licet sit animal imperfectius animali terrestri. Et in veteri lege non offerebatur in templo, quia est magis alienus à conuersatione hominum, quàm cetera animalia. Et cito moritur, & factus est ex aqua quoad grossius eius, ideo immergitur; aues autem factæ sunt quoad subtilius, ideo eleuantur in aëre. Datur etiam quidam paruus piscis, qui retinet nauim in mari, vt docet S.Th. 3. contra gent. cap.99.

Piscis inuenitur in mari, qui nauim retinet.

Pythagoras noluit se sapientem profiteri, sed sapientiæ amatorem, vt notat S.Thomas 2.2.q.186.art.2.ad 1. Et fuit nobilis & diues: reliquit patrimonium suis: & dedit se speculationi naturalium, dicens, cœlum esse patriam suam. Fuit post septem sapientes: & a re Aristotelem posuit duas coordinationes. s. primam decem bonorum, idest quia posuit ibi finitum, impar, vnum, dextrum, masculum, quiescens, rectum, lumen, bonum, triangulum æquilaterum: Et secundam decem malorum, quia posuit ibi infinitum, par, multitudinem, sinistrum, fœminam, motum, obliquum, tenebras, malum, & altera parte longius. Habuit autem filiam tantæ pudicitiæ, vt virginitatem seruans choro simul virginum ipsi præesset, & instruxit eas doctrina castitatis. Tradidit in sua Politia ea quæ spectant ad regimen animæ potius, quàm corporis. & mortuus est Methaponti, cuius domus facta est templum, & pro Deo colitur.

Plato vidit libru n Genesis, & exposuit aliquid eius, vt notat S. Th. p.p.q 74.art.3. ad 4. & præsertim verba illa, Spiritus Domini ferebatur super aquas, per spiritum enim intelligit aërem vel ventum. Et fuit sapientissimus omnium, ferrilissimèq; assecutus est doctrinam Socratis. Et solus ob amorem veritatis contemplandæ, abstinuit se ab omni delectatione venerea, pro quo sacrificauit, non quasi reputans hoc peccatum, sed cedens errori ciuium, venit Tarentum in Italiam, audire Architam discipulum Pythagoræ. Et dixit ideas non esse à Deo, posuitque ideam separatam entis, & vnius, & boni summum Deum, S.Th.p.p.q.6. art.4.

Pluuia generatur ex maiori parte ex sublimatione vaporum resolutorum ex aquis, vt notat S.Th.3.p.q 66.art.4 ad 5. vbi docet, quomodo in aqua rosacea, & in aquis alchimisticis, & in vino non potest fieri Baptismus, sed bene in aquis fluuialibus, quia in eis est minimum de liquoribus corporibus mixtorum, & ideo aqua pluuialis nullam proprietatem retinet alicuius corporis mixti, quod de aquis rosaceis & alchimisticis dici non potest, nam in illa aqua fit Baptismus cuius species est ipsius aquæ, &c.

Pluuia vnde n.scatur.

Pollutio est immunditia seu corruptio corporalis, in viro vel muliere, ex decisione, & motu seminis proueniens: cuius triplex causa esse potest; Vna extrinseca spiritualis; alia intrinseca spiritualis, quando phantasmata præcedentium cogitationum dormientibus apparent;

apparent; Tertia est corporalis intrinseca, sicut quando flegma dulce ad linguam decurrit, somniat homo se comedere dulcia: & quia non de facili potest percipi, ex qua causa contingat, ideo tutius est semper, vt quando homo patitur pollutionem, abstineat à perceptione Sacramenti Eucharistiæ, nisi necessitas incumbat; & debet abstinere vsque ad 24 horas, quia in tali spatio, natura deordinata per corporalem immunditiam, & mentis hebetationem, reordinatur. S.Th.4.sent.dist.9.q.1.art.4.

Posse, & esse, quomodo differunt in perpetuis.

Posse, & esse, non differunt in perpetuis, intelligitur de potentia passiua, quia talis potentia non est in Deo; tamen quia verum est, quòd potentia actiua est idem in Deo, quod eius essentia, ideo est idem secundùm rem, tamen potentia differt secũdùm rationem, cùm addat modum significandi, vt scribit S.Tho.de potentia Dei, q.1.art.1.ad 6. Potest etiam exponi hæc auctoritas, quod in perpetuis non differt esse, & posse, duratione; vel intelligitur in his quæ dicuntur de Deo ab intrinseco: vnde valet, Potest intelligere, ergo intelligit; non autem in his quæ dicuntur de Deo ab extrinseco, vnde non tenet, Potest creare, ergo creat, &c.

Possessio rerum exteriorum quoad vsum, est homini naturalis, non autem quoad naturam earum: quia res exterior potest dupliciter considerari; Vno modo quantùm ad eius naturam, quæ non subiacet humanæ potestati, sed solum diuinæ, cui omnia ad nutum obediunt; Alio modo quoad vsum ipsius rei, & sic homo habet naturale dominium exteriorum rerum, quia per rationem & voluntatem potest vti rebus exterioribus ad suam vtilitatem, quasi pro se factis, quia semper imperfectiora sunt propter perfectiora; & sic possessio rerum est homini naturalis. S.Th.2.2.q.66 art.1.

Possibile dicitur dupliciter; Vno modo per respectum ad aliquam potentiam, secundùm quod subditur humanæ potentiæ; Secundo dicitur aliquid possibile absolutè, ex habitudine terminorum, quia prædicatum non repugnat subiecto, vt Sortem sedere; & per oppositum dicitur impossibile, quando prædicatum repugnat subiecto, vt impossibile est hominem esse asinum: & ex hoc possibili secundo, Deus dicitur omnipotens, vt notat S.Tho.p.p. q.25.art.3. Dicitur etiam possibile, & impossibile, secundùm potentiam actiuam, vel secundùm potentiam passiuam, vel secundùm mathematicã, vel secundùm repugnantiam & cõuenientiam terminorum. Et dicitur possibile logicum, quod est modus compositionis formatæ ab intellectu, non claudens contradictionem, vt Deum esse. Et est possibile reale, vt naturam producere motum: & est possibile secundùm causas inferiores, vt generatio, & corruptio; & secundùm causas superiores, vt miraculorum operatio, &c.

Potentia est duplex; Vna actiua, cui respondet actus qui est operatio, & huic primo nomen potentiæ videtur fuisse attributum; Alia est potentia passiua, cui respondet actus primus, qui est forma, ad quam similiter videtur secundariò nomen potentiæ deuolutum, vt notat S.Th.de potentia Dei, q.1.art.1. Et quia potentia significat id quod est principium

Potentia multimodè accepta.

actionis, propterea aliquando accipitur pro qualibet proprietate rei consequente naturam. Et potest esse duplex, Rationalis, & irrationalis: rationalis est ad opposita, sed non æqualiter, quia ad vnum naturaliter, ad alterum verò secundùm quod à perfectione propriæ naturæ deficit; irrationalis verò, sicuti & naturalis, est ad vnum tantùm. Datur & potentia imperans, & potentia exequens, & potentia obedientialis. Et aliqui ponunt potentiam neutram.s.indifferentem ad hoc, & ad illud. Et quia potentia dicitur à posse, quod quidem est triplex.s.posse esse, posse agere, posse pati, propterea etiam potentia ita distingui debet, &c.

Potestas propriè nominat potentiam actiuam, cum aliqua præeminentia; vt notat S.Th. 4.sent.dist.24.q.1.art.1. Et hinc est, quòd potestas excellentiæ humanitatis Christi in Sacramentis, consistit in quatuor principaliter.s. in hoc, quod meritum & virtus passionis eius operatur in Sacramentis, & in eius nomine Sacramenta sanctificantur, & ex eius institutione Sacramenta virtutem obtinent, & ipse effectum Sacramentorum sine exteriori Sacramento conferre potuit, & quia habuit duplicem potestatem, vnam auctoritatis, quæ competit ei secundùm quod Deus, & talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec diuina essentia; aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundùm quod homo, & talem potestatem potuit ministris communicare. S.Thom.3.p.q.64.art.4. Datur etiam & potestas iurisdictionis, ordinata, vel delegata. Datur & potestas Ecclesiastica; potestas secularis. Datur & potestas ordinis, respectu corporis Christi veri, & corporis Christi mystici; potestas præsidendi, potestas dominandi, potestas boni Angeli, & mali Angeli. De quibus omnibus in diuersis locis disputat S.Th.

Practica

Practica scientiæ est de rebus operabilibus ab homine, vt moralis de actibus hominum, & ædificatiua de ædificijs. S. Th. p. p. q. 1. art. 4. Et differt scientia practica, & speculatiua in hoc, quia finis scientiæ practicæ est operatio, finis scientiæ speculatiuæ est cognitio veritatis. Ex hoc etiam venit nomen praxis, quæ dicitur terminatio, vel operatio, vel latio, ad quam cognitio practica extenditur. Et solet definiri sic, Praxis est actus alterius potentiæ, quàm intellectus naturaliter posterior intellectione, natus est elicere conformiter rationi rectæ, ad hoc vt fit rectus. Quæ definitio non potest stare, quia sequeretur, q operatio circa finem esset praxis, quod non est verum, quia tunc circa finem esset electio, contra Aristotelem, quia electio est tantùm eorum, quæ sunt ad finem: sequeretur etiam, quòd dilectio Dei meritoria, esset praxis, quod est etiam falsum, quia praxis est operatio, quę est in potestate nostra, sed dilectio Dei, vt meritoria, non est in potestate nostra, quia prouenit à Charitate, quę datur à Deo. Sed de hac re vide dilucidationes nostras in 1. Metaph. vbi latius disputauimus. *Scientia practica, & speculatiua in quo differunt.*

Præceptum est quadruplex; Vnum quod est primæ necessitatis, quod obligat omnes in speciali, & in generali, vt diligere Deum; Aliud secundæ necessitatis, quod obligat in generali, sed non in speciali, vt satisfacere pro peccatis; Tertium, quod est tertiæ necessitatis, quod obligat homines, ex actu humano, vt votum, quod obligat quosdam, aut obligans omnes in casu, vt cum filia, &c. Quartum præceptum, quod est quartę necessitatis, est quod instituit Papa, vel Archiepiscopus in sua prouincia. S. Th. opusc. 61. cap. 1.

Pręcipere est actus consistens in applicatione conciniatorum, & iudicatorum ad operandum; & est tertius actus prudentię, nam primus est consiliari; secundus est iudicare de inuentis; tertius est pręcipere, qui importat motionem cum quadam ordinatione, & est actus rationis, S. Th. 2. 2. q. 47. art. 8.

Pręcipitatio opponitur consilio, per quod homo ad actionem non procedit ante deliberationem rationis, sicuti hebetudo opponitur acuitati, quia hebetudo est per quam mens ad intima penetrare non sufficit: stultitia opponitur sapientię, & ignorantia scientię. S. Th. 2. 2. q. 8. art. 6. Et est speciale peccatum ipsa pręcipitatio, cùm sit operatio per impetum voluntatis.

Prædestinatio, est transmissio creaturæ rationalis in finem supranaturalem, quæ est vita æterna: prædestinatio quoque est propositum miserendi, vel pręparatio gratię in præsenti, & gloriæ in futuro; vel ordinatio alicuius ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam, S. Th. p. p. q. 23. per totam. Et respicit exitum, & euentum ordinis. *Prædestinatio respicit exitum, & euentum ordinis.*

Prædicamentum est ordinatio quædam diuersarum rerum, secundum sub, & supra; & distinguitur in decem capita, secundùm quod decem sunt modi prædicandi, scilicet substantiæ, quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, passionis, vbi, quando, situs, & habitus, S. Th. 3. Phys. lect. 4. tex. 22.

Prædicare Euangelium, & recitare ipsum in Ecclesia per modum cathechizantis, pertinet ad Diaconum; sed docere & exponere ipsum, pertinet propriè ad Episcopum, cuius actus est perficere. S. Th. 3. p. q. 67. art. 1.

Prædicatio est duplex: per se, & per accidens: Per accidens est triplex, vt quando accidens prædicatur de accidenti, ve iustus est musicus; vel accidens de subiecto, vt homo est musicus; vel subiectum de accidente, vt musicus est homo. Additur etiam, quando inferius prædicatur de superiori, vt animal est homo. Prædicatio per se, potest esse, vel directa, & formaliter, vt homo est animal, & rationalis, & risibilis; vel causalis, vt fantasia est motus; vel denominatiua substantialiter, vt arca est lignea; vel accidentaliter, vt homo est albus; vel identica, vt Sortes est Sortes; vel identicè identica, vt diuina essentia est bonitas. Plurimæ harum prædicationum habentur ex D. Th. 5. Met. in expositione tex. 13. lect. 7.

Prædicator debet esse mente purgatus, & virtute perfectus, & operari quod docet, vt scribit S. Thomas 3. parte, q. 41. art. 3. ad primum. Vbi dicit, quòd nullus debet assumere officium prædicationis, nisi prius fuerit purgatus, & virtute perfectus, vt dicitur de Christo, qui cœpit facere, & docere. *Prædicare nemo debet, nisi purgatus, et uirtute perfectus.*

Prælatus habet tria; principium, modum, & vsum; aliquando principium est malum, & vsus bonus; aliquando est econuerso; aliquando vtrunque est malum. Modus autem seu forma prælationis in omnibus bonus est, consistit enim in quodam ordine alterius tanquam regentis, & alterius tanquam subiacentis: vnde simpliciter dicendum est, omnem prælationem à Deo esse, sed secundùm quid aliquas prælationes non esse à Deo, quia scilicet abusus earum non est à Deo, vel quia etiam iniusta actio per quam ad prælationem

peruenitur,

pernenitur, à Deo non est. Sanctus Thomas 2. senrent. dist. 44. quæst. 1. artic. 2.

Præsumptio, est assumere ad agendum ea quæ præferuntur suæ virtuti: vnde præsumptuosus quantùm ad id in quod tendit, non excedit magnanimum, sed multum quandoq; ab eo deficit, sed excedit secundùm proportionem suæ facultatis; & ideo cùm opponatur magnanimitati per excessum, est peccatum, licet non illud quod ponitur in Spiritum sanctum, quia illa præsumptio est, qua quis diuinam iustitiam contemnit, ex inordinata confidentia diuinæ misericordię; & talis præsumptio opponitur charitati, S. Thom. 2. 2. q. 130. per totam.

Præteritum in necessitatem quandam transit, quia impossibile est non esse, quod factum est: & similiter etiam pręsentia inquantùm huiusmodi necessitatem quandam habet, necesse est enim Sortem sedere, dum sedet. S. Thom. 2. 2. q. 49 art 6. Et propterea dicitur præteritum non fuisse, est impossibile per accidens, respectu rei secundùm se: vt præteritum, est impossibile per se, hoc enim solo priuatur Deus, genita ingenita facere.

Primogenitus vocatur non solùm is quem fratres sequuntur, sed ille etiam qui primus natus est, alioquin non est primo genitus, nisi quem sequuntur fratres. Tandiu secundùm legem primogenita non debentur, quandiu alia fuerint procreata, est falsum: propterea errant dicentes, Beatam Virginem habuisse alios filios præter Christum, ex hoc quod Christus dicitur primogenitus, cùm possit dici primogenitus, absque hoc quod Mater eius alios habuerit filios. S. Th. 3. p. q. 28. art. 3.

Falsa aliquorum opinio de B. Virgine.

Primum dicitur dupliciter, simpliciter, ante quod nihil est, & sic Deus est primum ens, à quo omnia entia deriuantur: & aliud est primum non simpliciter, sed in genere, sicut in genere alterabilium primum alterans est corpus cœleste, quod tamen non est primum simpliciter, sed mouetur motu locali à superiori mouente. S. Th. 1. 2. q. 6. art. 1. ad primum.

Princeps habebit grande præmium in cœlesti beatitudine, si bene se habuerit in regendo se, & subditos suos, ne conuertatur in tyrannidem. S. Th. opusc. 20. lib. 1. cap. 10. vbi multa dicit de hac materia, quomodo debet regere ciues cum misericordia, & hostes cum seuera iustitia. Et quando bene regit, prosperè, & diu regnat, & multa alia, &c.

Principatus est duplex, Regalis, propter bonum populi, seu politicus. i. liberorum, & despoticus. i. seruorum. S. Th. opusc. 20. lib. 2. cap. 8. & 9. vbi nota, quòd in omni multitudine principatus est necessarius. Et omnis principatus, & omne dominium est à Deo: vnde etiam in Angelis reperitur principatus, & ideo Archangeli dicuntur, qui principantur Angelis.

Principium quantùm ad id à quo imponitur nomen ad significandum, est sumptum à prioritate, non tamen significat prioritatem, sed originem, quia non est idem quod significat nomen, & à quo nomen imponitur: & propterea dicimus, quòd hoc nomen principium, nihil aliud significat, quàm id à quo aliquid procedit. S. Th. p. p. q. 33. art. 1.

Priuatio non ponit aliud, sed determinat sibi subiectū, est enim negatio in subiecto apto nato, cœcum enim non dicitur, quod est natum videre: contrarium verò, & aliquid ponit, & subiectum determinat, nigrum enim, est species coloris: negatio nec aliquid ponit, neq; determinat sibi aliquod subiectum, & propter hoc potest dici de ente, & de non ente, sicut non videns, & non sedens: falsum autem aliquid ponit, quia est ex eo quod videtur esse aliquid, quod tamen non est, vel non esse, quod est. S. Thom. p. p. q. 17. art. 4.

Processio duplex, ad intra, & ad extra.

Processio est secundùm aliquam actionem, quæ si est tendens ad extra, dicitur processio ad extra, vel secundùm motum localem, vel secundùm causam efficientem, vt calor procedit à calefaciente, in calefacto; si verò est secundùm actionem immanentem, dicitur processio ad intra. S. Thom. p. p. q. 27. art. 1. & per totam quæst. vbi ponit processionem Filij esse per modum naturæ, & intellectus, & similitudinis, processionem verò Spiritus sancti esse per modum voluntatis, & à duobus, &c.

Prodigalitas opponitur auaritiæ, nam in affectione diuitiarum auarus superabundat plus debito eas diligens; prodigus autem deficit, minus debito earum sollicitudinem gerens: circa exteriora verò ad prodigalitatem pertinet excedere quidem in damno, deficere autem in retinendo, & acquirendo. Et est minus peccatum, quàm auaritia. S. Thom. 2. 2. q. 119. per totam.

Promissio est actus orationis, quia est enunciatio, & ordinatio alicuius, & illa quam homo facit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quæcunque exteriora signa, Deo autem potest fieri promissio per solam interiorem cogitationem. Sanctus Thomas 2. 2. q. 88. artic. 1. &c.

Prophetia

Prophetia propriè loquendo non est habitus, vt notat S.Th.2.2.q.171.per totam: & primo & principaliter consistit in cognitione, quia cognoscit ea quæ sunt procul, & remota à cognitione hominum: Vnde dicitur Propheta à pro, quod est procul, & phanos, quod est apparitio, quia ei aliqua quæ sunt procul apparent; & propterea antiquitus in lege veteri Prophetæ vocabantur videntes, quia videbant ea quæ cæteri non vident; & apud Gentiles dicebantur Vates, à vi mentis, &c.

Proportio dicitur dupliciter; Vno modo certa habitudo vnius quantitatis ad alteram, secundùm quod duplum, triplum, & æquale sunt species proportionis; Alio modo quælibet habitudo vnius ad alterum proportio dicitur, & sic potest esse proportio creaturæ ad Deum, inquantùm se habet ad ipsum vt effectus ad causam, & potentia ad actum, & secundùm hoc intellectus creatus proportionatus esse potest ad cognoscendum Deum. S. Th. p.p.q.12.art.1.ad 4.

Proprium est de genere accidentis, vt notat S.Th.1.2.q.83 art.2.ad 3.dicens, quòd essentia animæ comparatur ad potentias, sicut substantia ad accidentia propria, quę sunt posteriora substantia, & ordine generationis, & etiam perfectionis: hinc etiam dicere solemus, quòd proprium fluit à subiecto sine mutatione, per naturæ resultantiam, & subiectum potest intelligi sine proprio accidenti, per primam operationem intellectus, non autem per secundam, sed per vtramque potest intelligi sine communi accidente, etiam inseparabili, 1.sent.dist.27. in expositione literę.

Prouidentia est ratio ordinis rei in finem, vt notat S.Th.p.p.q.22. per totam. vbi nota, quòd diuina prouidentia imponit necessitatem quibusdam rebus, non autem omnibus. Et dicitur prouidentia, à prouidere, idest à longe videre, quia Deus ab æterno videt: vnde diuina prouidentia est in summo omnium Principe constituta, qua cuncta disponit: vel est diuina voluntas, secundùm quam omnia in finem conuenientem deducuntur, quia & voluntatem, & intellectum claudit, propterea aliquando dicitur, quod est ratio statuendarum rerum in vltimum finem naturalem. Et differt à scientia, præscientia, dispositione, & prædestinatione, &c. *Prouidere est à lõge videre.*

Prudentia est cognitio rerum appetendarum, & fugiẽdarum, vnde prudens dicitur quasi prouidens: & quia prudentis est bene posse consiliari, consilium autem est de his, quæ sunt per nos agenda in ordine ad finem aliquem, ratio autem eorum quæ sunt agenda propter finem, est ratio practica, ideo prudentia non est nisi in ratione practica. Et est triplex; quædam falsa, & per similitudinem dicta, vt prudentia latronis ad latrocinandum; quædam est vera, sed imperfecta, quæ est communis bonis & malis; quædam autem perfecta, quæ est tantùm in bonis. S.Th.2.2.q 47.per totam.

Psalmus est canticum quod cantabat Dauid, vel cantari faciebat ad psalterium, S.Th. in expositione 2.Psal. Et nota, quòd Dauid fecit omnes psalmos, sed quos ipse cantauit coram archa, intitulantur ei, alij verò cantantibus. Et in eis comprehenditur per modum laudis, quicquid in sacra Scriptura continetur, vt notat S.Th.3.p.q.83.art.4.

Psalmistatus non est ordo, sed officium ordini lectorum annexum, & cantoria, vt notat S.Th.4.sent.dist.24.q.2.art.1.in corp.vbi reprobat opinionem illorum, qui volebant sufficientiam ordinum esse sumendam, per quandam adaptationem ad gratias gratis datas, & secundùm assimilationem ad cœlestem hierarchiam; & ibi dicit, quòd nec Episcopatus, nec Psalmistatus est ordo, &c.

Puer quidam propter peccatum blasphemiæ à Diabolo extinctus est, licet quidam dicant, quòd puer ille non fuerit damnatus, nec peccauit mortaliter, sed fuit quædam visio ostensa ad patrem contristandum, quia in illo peccato peccauerat non corrigens. Sed hanc opinionem reprobat S.Thomas 4.sent.dist.27.q.2.art.2.ad 2. dicens hoc esse contra intentionem Gregorij 4 dialog.dicentis, quòd pater pueri animam paruuli filij negligens, non paruum peccatorem gehennæ ignibus nutriuit, &c.

Pulchritudo requirit tria, scilicet integritatem seu perfectionem, quæ enim diminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; debitam proportionem siue consonantiam; tertio claritatem, vnde quæ habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur. S.Th. p.p. q. 39. art. 8. in corp. Et nota, quòd pulchritudo est duplex; Altera corporalis, quæ est quædam apparata figura membrorum, cum coloris quadam suauitate: dicitur etiam speciositas & formositas, cum decore, modo, decentia, gestu, & ornatu, cum quadam iucunditate & lætitia, vel alacritate totius vultus. Pulchritudo spiritualis, est nitor animæ sanctum reconcilians amorem, &c. *Pulchritudo duplex, corporalis, & spiritualis.*

Pulchrum & bonum subiecto quidem sunt idem, quia super eandem rem fundantur,

R scilicet

ſcilicet ſuper formam, & propter hoc bonum laudatur vt pulchrum, ſed ratione differunt, nam bonum propriè reſpicit appetitum, eſt enim bonum quod omnia appetunt, & ideo habet rationem finis: nam appetitus eſt quaſi quidam motus ad rem; pulchrum autem reſpicit vim cognoſcitiuam: pulchra enim dicuntur quæ viſui placent, vnde pulchrum in debita proportione conſiſtit, quia ſenſus delectatur in rebus debitè proportionatis, ſicut in ſibi ſimilibus, nam ſenſus ratio quædam eſt, & omnis virtus cognoſcitiua; propterea pulchrum ſpectat ad rationem cauſæ formalis. S. Th. p. p. q. 5. art. 4.

Punctum non ponitur in definitione lineæ, communiter ſumptæ, quia in linea infinita & circulari non eſt punctum, niſi in potentia, ſed ponitur in definitione lineæ rectæ, ſicut terminus in definitione terminati. S. Th. p. p. q. 85. art. 8. ad 2. Et nota, quòd punctus eſt cuius pars non eſt, additus autem lineæ, non facit maius, & eſt de definitione lineæ, non autem de eſſentia eius: propterea dicitur, quòd non eſt grauis, nec leuis, nec mollis, nec durus, nec rarus, nec denſus. Et fluens cauſat lineam, & linea ſuperficiem, & ipſa corpus, &c.

Punitio peccatorum ſecundùm quod pertinet ad publicam iuſtitiam, eſt actus commutatiuæ iuſtitiæ; ſecundùm autem quod pertinet ad immunitatem alicuius perſonæ ſingularis, à qua iniuria propulſatur, pertinet ad virtutem vindicationis. S. Th. 2. 2. q. 108. art. 2. ad primum. Vbi notat Caietanus, quòd licitum eſt perſonæ priuatæ adire iudicem tanquam perſonam publicam, vt puniat malefactores, quia reddere malum pro malo punitiuè ſeu emendatiuè, eſt actus virtutis moralis, & iuſtitiæ commutatiuæ emanantis ex voluntate iudicis, & ex debito legali, &c.

Quando licitum eſt perſonæ priuatæ adire iudicē.

Purgatio eſt duplex. ſ. per gratiam à culpa, & per lumen doctrinæ à neſcientia, vt notat S. Th. 3. p. q. 27. art. 3. ad 3. vbi dicit, quòd Spiritus ſanctus duplicem purgationem fecit in Beata Virgine; vnam quidem præparatoriam ad Chriſti conceptionem, quæ non fuit ab aliqua impuritate culpæ, vel fomitis, ſed mentem eius magis in vnum colligens, & à multitudine ſubtollens, quia Angeli purgari dicuntur, in quibus nulla impuritas inuenitur; Aliam verò purgationem operatus eſt Spiritus ſanctus in ea, mediante conceptione Chriſti, qua totaliter eam purgauit à fomite, &c.

Purgatorium negare eſt erroneum, & à Fide alienum. Et eſt duplex; Alterum inferius, coniunctum inferno, quia idem ignis eſt in vtroque; Alterum verò ſecundùm diſpenſationem, & ſic poterit eſſe in diuerſis locis, vel vbi homo peccauit, vel ſupra nos. S. Th. 4. ſent. diſt. 21. q. 1. art. 1. Et eſt in eo ſimul pœna ſenſus & damni, vtraque tamen temporalis eſt. Eſt etiam grauior quacunque pœna exiſtenti in hoc mundo.

Puſillanimitas tripliciter conſideratur; Primo ſecundùm ſe, & ſic opponitur magnanimitati; Secundo ex parte cauſæ, & ſic poterit eſſe ignorantia vel timor; Tertio quoad effectum: vnde ſicut præſumptio eſt peccatum, ita & puſillanimitas, quia deficit à proportione ſuæ potentiæ: & inde eſt, quòd ſeruus qui acceptam pecuniam domini ſui fodit in terram, nec eſt operatus ex ea, propter quendam puſillanimitatis timorem, punitur à Domino. S. Thomas 2. 2. q. 133. art. 1. & 2. Vbi nota, quòd puſillanimis dicitur, qui eſt puſilli ſeu nullius animi: vnde dicitur puſillus & pauidus, veluti animalia illa parua quæ habitant in cauernis, &c.

Puſillanimis dicitur, quaſi puſilli animi.

DE LITERA Q.

HAc litera carent tam Hebrei, quàm Græci, & loco eius vtuntur c, vel u, quod etiam Latini faciebant antiquitus, vnde videtur eſſe ſuperuacua, ſicut & k, tamen connumeratur inter mutas, & loco eius ſæpeſæpius ponitur c, vt loquor, & locutus ſum, requirit poſt ſe ſemper vocalem, &c.

Quadrageſima eſt tempus ieiunij, ante Paſchalem ſolennitatem, quod Eccleſia determinauit exemplo Chriſti, vt notat S. Thom. 3. p. q. 40. art. 2. & 2. 2. q. 147. art. 5. quia virtus decalogi per libros quatuor ſancti Euangelij impletur; denarius enim quater ductus in quadragenarium ſurgit; vel quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis ſubſiſtimus, per cuius voluntatem præceptis Dominicis contrahimus, quæ per decalogum ſunt accepta; vel quia omnis ſapientiæ diſciplina eſt, Creatorem, creaturamq; cognoſcere, Creator eſt Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus; creatura verò partim eſt inuiſibilis ſicut anima, cui ternarius numerus attribuitur, diligere enim Deū tripliciter iubemur, ex toto corde, ex tota anima,

& ex

& ex tota mente; partim visibilis, sicut corpus, cui quaternarius debetur, propter calidum, humidum, frigidum: denarius ergo numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus. i. numerus qui corpori tribuitur, multiplicatus, quadragenarium conficit numerum: & ideo tempus quo ingemiscimus & dolemus, quadragenario numero celebratur, &c.

Qualitas hominis est duplex; Vna naturalis, & alia superueniens: naturalis autem qualitas accipi potest, vel circa partem intellectiuam, vel circa corpus, & virtutes corpori annexas: ex eo igitur, quòd homo est aliqualis qualitate naturali, quæ attenditur secundùm intellectiuam partem, naturaliter homo appetit vltimum finem. s. beatitudinem, qui quidem appetitus naturalis est, & non subiacet libero arbitrio: ex parte verò corporis, & virtutum corpori annexarum, potest esse homo aliqualis naturali qualitate, secundùm quod est talis complexionis, vel talis dispositionis, ex quacunq; impressione corporearum causarum, quæ non possunt intellectiuam partem imprimere, eò quod non est alicuius corporis actus. S. Thom. p. p. q. 83. art. 1. ad 5. Et 1. 2. q. 49. ar. 2. ait, quòd qualitas importat quendam modum substantiæ, modus autem est quem mensura præfigit, vnde importat quandam determinationem secundùm aliquam mensuram. Et quatuor sunt species qualitatis, quarum sufficientiam assignat ibi de mente Simplicij.

Quatuor qualitatis species.

Quando, est proportio relicta ex tempore, vt ait S. Thomas 4. sent. dist. 16. q. 3. art. 1. q. 1. in corp. vbi disputat, an circunstantiæ sint proprietates actus moralis? dicens, quod in qualibet proportione oportet esse ad minus duos terminos, nihil enim sibiipsi proportionatur, sed alteri: ideo circunstantia moralis actus dupliciter accipi consueuit, quia potest dici circunstantia, vel illud quod est ad actum concurrens, ad quem proportionatur, sicut locus, vel tempus; aut ipsa conceptio quæ ex illis relinquitur, vt quando, vel vbi. Et Gilibertus etiã Porrectanus definiens quando, dixit, quod ex adiacẽtia temporis relinquitur, &c.

Quantitas est duplex; Vna. s. quæ dicitur quantitas molis, vel quantitas dimensiua, quæ in solis rebus corporalibus est, vnde in diuinis personis locum non habet; sed alia est quantitas virtutis, quæ attenditur secundùm perfectionem alicuius naturæ vel formæ, quę quidem quantitas designatur, secundùm quod dicitur aliquid magis, vel minus calidum, inquantùm est perfectius vel minus perfectum in tali caliditate: huiusmodi autem quantitas virtualis attenditur primò quidem in radice. i. in ipsa perfectione formæ, vel naturę, & sic dicitur magnitudo spiritualis, sicut dicitur magnus calor, propter suam intensionem & perfectionem, vt notat S. Th. p. p. q. 42. art. 1. Et animaduerte etiam, quòd quantitas cùm sit mensura substantiæ, potest esse duplex; Continua, vt linea, superficies, corpus; Et discreta, vt numerus, & oratio. Potest esse etiam quantitas discreta prædicamentalis, & transcendens, vt numerus Angelorum. Datur & quantitas extensionis, & durationis, & multis alijs modis, &c.

Quantitas multiplex, molis, virtutis, continua, discreta, extensionis, et durationis.

Qui est, est maxime proprium nomen Dei, Primo propter sui significationem, non enim significat formam aliquam, sed ipsum esse: vnde cùm esse Dei sit ipsa eius essentia, & hoc nulli alij conuenit, propterea inter alia nomina hoc maxime propriè nominat Deum, quia vnumquodq; nominatur à sua forma; Secundo propter eius vniuersalitatem, omnia enim alia nomina, vel sunt minus communia, vel si conuertantur cum ipso, tamen addunt aliqua supra ipsum secundùm rationem, vnde quodammodo informant & determinant ipsum, intellectus autem noster non potest ipsam Dei essentiam cognoscere in statu viæ, secundùm quod in se est, sed si quemcunq; modum determinet circa id quod de Deo intelligit, deficit à modo quo Deus in se est, & ideo quanto aliqua nomina sunt minus determinata, & magis communia & absoluta, tanto magis propriè dicuntur de Deo à nobis: vnde & Damascenus dicit, quod principalius omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus est, qui est, totum enim in seipso comprehendens, velut quoddam pelagus substantię infinitum, & indeterminatum, &c. Tertio ex eius significatione, significat enim esse in præsenti, & hoc maximè propriè de Deo dicitur, cuius esse non nouit neque præteritum, neque futurum: & ob hoc Exodi 3. Moysi quęrenti, Si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? & respondit Dominus, sic dices eis, qui est, misit me ad vos. S. Thom. p. p. q. 13. art. 11.

Dei est nomen principalius, qui est.

Quęstio est quadruplex, scilicet, An est, Quid est, Quia est, & Propter quid: duę istarum, scilicet quid, & propter quid, in idem coincidunt. Sicut autem quęstio quid est, se habet ad quęstionem an est, ita quęstio propter quid, ad quęstionem quia: cùm igitur quęritur propter quid, oportet illa duo esse manifesta, secundùm enim quod propter quid est idem ei quod est quid, oportet esse manifestum an est, secundùm autem quod propter quid distinguitur à quid est, oportet esse manifestum quia. S. Thom. 7. Metaph. lect. 15.

Quid duplex; Quid nominis, vt quando demonstratur causa per effectum, tunc necesse est vti effectu loco definitionis causæ, ad probandum causam esse, & hoc maximè contingit in Deo, quia ad probandum aliquid esse, necesse est accipere pro medio quid significet nomen; Aliud est quid rei, quod assumitur ad demonstrandum aliquid de subiecto, vt risibile de homine, per hoc quod est animal rationale, mortale, S. Th. p. p. q. 2. art. 2.

Quid, quandoque quærit de natura quam significat definitio, vt cùm quæritur, quid est homo? & respondetur, animal rationale, mortale; quandoque verò quærit suppositum, vt cùm quæritur, quid natat in mari? & respondetur, piscis; & sic quærentibus, quid tres? responsum est tres personæ. S. Th. p. p. q. 29. art. 4. ad 2.

Quidditas de ratione sua neq; est simplex, neq; composita, vt ait S. Th. 2. sent. dist. 3. q. 1. art. 1. dicens de ratione quidditatis, inquantùm est quidditas, non est quod sit composita, quia nunquam inueniretur simplex natura, quod ad minus in Deo falsum est: nec est de ratione eius quod sit simplex, cùm quædam inueniatur composita, vt humanitas. Esse autem secundùm quod dicitur res esse in actu, inuenitur ad diuersas naturas, vel quidditates, diuersimodè se habere; quædam enim natura est de cuius intellectu non est suum esse, quia intelligi potest cum hoc quod ignoratur an sit, sicut Phœnicem, vel Ecclypsim, vel aliquid huiusmodi; Alia autem natura inuenitur, de cuius ratione est ipsum suum esse, immo ipsum esse est sua natura, vt est Deus: alia autem entia præter Deum, habent esse acquisitum ab alio, propterea in eis esse, est præter quidditatem, &c.

Quies quadruplex. Quies, propriè loquendo motui opponitur; & quia motus causat laborem in operationibus nostris, ideo quies consequenter opponitur labori: propterea quies potest esse quadruplex; Prima, quæ opponitur motui; Secunda, quæ opponit labori; Tertia cessatio à quacunq; operatione; Quarta dicitur quies voluntatis, in vltimo fine, vt scribit S. Th. 2. sent. dist. 15. q. 3. art. 2. Nota etiam, quòd quies voluntatis potest esse desiderij, & motus, & conscientię, & æternæ gloriæ: & potest esse prior motu, intentionis via, nõ autem via exequutionis, &c.

Quiescere in toto tempore aliquo, est esse in eo in quolibet instanti illius temporis, etiã in vltimo, vt notat S. Th. p. p. q. 53. ar. 3. vbi impugnat opinionem dicentium Angelos moueri in instanti, quia cùm Angelus aliquis mouetur, in toto tempore præcedenti est in termino à quo, in vltimo autem instanti est in termino ad quem, & propterea mouetur instantaneè: & hanc opinionem sequitur Scotus; quæ opinio est falsa, quia de ratione quietis est, ꝙ quiescens non aliter se habeat nunc & prius, ideo in quolibet nunc temporis mensurantis quietem, quiescens est in eodem, & in primo, & in medio, & in vltimo; sed de ratione motus est, quod id quod mouetur, aliter se habeat nunc & prius, ideo in quolibet nunc temporis mensurantis motum, mobile se habet in alia, & alia dispositione, &c.

Questuarij à questu dicti, communiter sunt omnes actu mendicantes, propriè autem & iuridicè loquendo, sunt qui pro eleemosynis discurrunt. f. non habendo certam diocœsim, vt Sancti Antonij, vel Bernardi: & hi prohibentur acceptari, nisi literas veras Apostolicas, aut Diocesani ostendant, vt scribitur de pœn. & rem. cap. Cum excomm. vbi etiam ponitur forma literarum, & etiam si habeant literas Apostolicas, non debent admitti, nisi prius per Episcopum fuerint examinati: quod etiam fieri debet de Iudæis baptizatis, & de Christianis expulsis à Turcis, & huiusmodi, quia plerumque sunt infideles, & viri nequissimi, & sunt occasio, quòd Fideles non ita misereantur veraciter indigentibus.

Questuarij nõ habentes literas superioris, à questura prohibere debent.

Quod est per essentiam, est causa illius quod est per participationem, vt ignis est causa omnium ignitorum, vt notat S. Th. p. p. q. 61. ar. 1. vbi probat Angelos & omnia alia à Deo, esse producta ab ipso Deo, quia solus Deus est suum esse & ens per essentiam: in omnibus autem alijs à Deo differt essentia rei, & esse eius, propterea dicuntur esse entia per participationem, ideo causata sunt à Deo, vt etiam Arist. dixit 2. Metaph. tex. 4. id quod est maximè ens, & maximè verum, est causa omnis entis, & omnis veri, nedum in genere causæ finalis, vt aliqui volunt, sed efficientis, & exemplaris: quod habetur etiam ab Apostolo ad Rom. cap. 11. Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia, vt S. Th. scribit p. p. q. 44. art. 1.

Quærere, est informationem facere, & legibus vindicare; quæstionem constituere, est decernere, vt scelus vindicetur; quæstionem ferre, est vindicandum facinus iudicibus præbere, & mandare, vel potius ad Senatum referre; quæstionem intelligere, est tormenta & corporis dolorem reis inferre, ad eruendam veritatem; quæstionem postulare, eius est qui iniuriam sibi factam quærit apud iudicem vt institiam exerceat; quæstionis iudex prætor dicitur, qui quæstionibus præest, & publicis iudicijs; quæsitor, is est, qui quæstionem habet, & inquirit de crimine, vt dicunt Iurisconsulti, &c.

Quo,

Quo, est duplex, Formaliter, & effectiuè: illud autem quo aliquid operatur sicut actiuo principio, potest secundùm esse separari ab eo quod operatur, vt si dicamus, q baliuus operatur per Regem, quia Rex mouet eum ad operandum: sed impossibile est illud quo aliquid operatur formaliter, separari ab eo secundùm esse; quod ideo est, quia nihil agit nisi secundùm quod est in actu, sic igitur formaliter aliquid operatur per aliquid, sicut eo fit actu, non autem fit aliquid aliquo ens actu, si sit separatum ab eo secundùm esse, & quia intellectus possibilis est quo hic homo formaliter intelligit, vt ait Arist. tex. 5. 3. de anima: dico autem intellectum, quo opinatur, & intelligit anima; propterea decepti sunt illi, qui ponunt intellectum possibilem à corpore separatum, sicut vna de substantijs separatis, vt dixit Auerr. Hæc S. Thom. 3. de anima, lect. 7.

Quo duplex, formale, & effectiuum.

Quomodo, est aduerbium, & potest capi aliquando admiratiuè per stuporem, vt est illud Luc. 1. cap. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Potest etiam capi interrogatiuè, vt est illud Treno. cap. 4. Quomodo obscuratū est aurum? Tertio capitur comparatiuè seu narratiuè, vt est illud Deuter. c. 32. Quomodo vnus persequebatur mille. & illud Luc. cap. 12. Considerate lilia agri quomodo crescunt. Quarto potest capi dolorosè, sicuti est illud, Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Quinto potest capi reprehensiuè, vt est illud Esa. cap. 14. Quomodo cecidisti de cœlo ò Lucifer? &c.

Quod est, differt à materia, quia quod est, dicit ipsum suppositum habens esse, materia autem non habet esse, sed compositum ex materia & forma: vnde materia non est quod est, sed compositum: vnde in omnibus illis in quibus est compositio ex materia & forma, est etiam compositio ex quo est, & quod est. In compositis autem ex materia & forma, quo est potest dici tripliciter; Primo ipsa forma partis, quæ dat esse materiæ; Secundo ipse actus essendi, scilicet esse, sicut quo curritur, est actus currendi; Tertio natura quæ relinquitur ex coniunctione formæ cum materia, vt humanitas: quidditas verò Angelorum, quæ non est composita ex materia, & forma, nec est suum esse, vocatur hoc quod est, ipsum autem esse suum erit quo est; & ideo in Angelis est compositio ex quod est, & quo est, hoc est ex quidditate & esse, seu ex potentia & actu, secundùm quod ipsa quidditas est possibilis, & esse suum est actus eius, vt notat S. Th. 1. sent. dist. 8. q. 5. art. 2. vbi disputat num anima sit simplex? quidditas autem Dei cùm sit simplicissima, est suum esse, vnde dicitur, quòd in Deo idem est quod est & quo est, & quod agit & quo agit, quia vnumquodque agit inquantùm est ens. S. Th. 3. p. q. 3. art. 2.

In compositis ex materia, et forma, quo est dicitur tripliciter.

Quia, est coniunctio causalis, veluti illud quod habetur in Psal. Cantate Domino canticum nouum, quia mirabilia fecit: aliquando dicit affirmationem, vt est illud Esa. 44. Intelligatis quia ego ipse sum, ante me non est formatus Deus, & post me non erit: aliquando significat certè, vt ait Greg. in homilia de Magdalena, Quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, rectè septenario numero vniuersa designantur, &c. Hæc S. Tho. 2. 2. q. 153. art. 5. ad 4. Quia enim ex abundantia cordis os loquitur, &c.

Quot, significat numerum certum & determinatum, præsertim hæc dictio quotquot: & aliquando significat numerum pœnitentium, quos Deus non refutat, sed quotquot veniunt assumit & adoptat: vnde Marc. 6. Quotquot tangebant eum, scilicet Christum, salui fiebant: ille enim spiritualiter Deum tangit, qui ad ipsum per pœnitentiam se conuertit: aliquando significat numerum illorum, qui sunt excellentes in virtutibus, de quibus dicitur Ioannis cap. 1. Quotquot receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: viri enim perfecti, filij Dei dicūtur, pro eo quod ad hæreditatem cœlestis gloriæ adoptantur, & prædestinatiuè ad eam ordinantur: aliquando significat numerum illorum, qui sunt onusti peccatis, vt est illud Ioannis cap. 10. Quotquot autem ante me fuerunt, fures sunt & latrones, &c.

Quotus, quo numero, quo ordine, secundùm canonicam computationem, quoto gradu distat quis ab aliquo superiori toto, distat à quolibet descendentium ab ipso, & nunquam minus, quia propter quod vnumquodque & illud magis: vnde si alij descendentes à communi principio conueniunt cum aliquo ratione principij communis, non possunt propinquiores esse descendenti ex alia parte, quàm sit primum principium ei propinquum: aliquando tamen plus distat aliquis ab aliquo descendente à communi principio, quàm distet ipse à principio, quia ille forte plus distat à principio communi, quàm ipse: & secundùm remotiorem distantiam oportet consanguinitatem computari. S. Thomas 4. sent. quæst. 1. art. 2.

DE

DE LITERA R.

LITERA ista R, est semiuocalis, & liquida, apud Priscianum,& post mutam in eadem syllaba posita, precedentem syllabam si natura breuis est, modo longam,modo breuem facit:& in principio dictionum Grecarum recipit aspirationem, vt Rhadamanthus, Rhea, & huiusmodi, &c.

Racha est interiectio irascentis, & habetur Matth. 5. vbi Saluator noster posuit tres gradus irę,dicens,Qui irascitur fratri suo,& *qui dixerit* fratri suo racha,& qui dixerit fratri suo fatue:& isti gradus accipiuntur secundùm processum humani actus, in quo primo aliquid in corde concipitur;& quantùm ad hoc dicit, qui irascitur fratri suo; Secundum autem est cùm per aliqua signa exteriora manifestatur exterius, etiam antequam prorumpat in effectum, & quantùm ad hoc dicit,qui dixerit fratri suo Racha,quod est interiectio irascentis; Tertius est,quando peccatum interius conceptum,ad effectum perducitur. S.Thom. 2.2.q.158.art.5.ad 3.

Radius Solis fuisset ab æterno, si Sol esset ab æterno sicut Deus,secũdùm Commentatorem,cùm sit causa, nedum motus cœli,sed etiam substantię eius,quia corpus cœleste est finitę virtutis, & indiget aliquo agente infinitæ virtutis,à quo & perpetuitatem motus habeat, & perpetuitatem essendi, sicut motum,& esse, non tamen sequitur,quòd Deus præcedat duratione cœlum, quia non est dans esse per motum, sed per influentiam æternam, secundùm quod scientia eius est causa rerum,& ex hoc quod scit ab æterno,& vult, sequi res ab æterno esse. S.Th.2.sent.dist.1.q.1.art.4. ad 1.arg.in contrarium.

Radix est quæ alimentum præstat toti arbori: vnde Apost.1.ad Timot.cap.vltimo dixit, Radix omnium malorum est cupiditas,secundùm quod est appetitus inordinatus diuitiarum,& sic est speciale peccatum,ad similitudinem radicis arboris,quæ alimentum præstat toti arbori; videmus enim, quòd per diuitias homo acquirit facultatem perpetrãdi quodcunq; peccatum, & adhibendi desiderium cuiuscunque peccati, eo quod ad habenda quęcunque temporalia bona potest homo per pecuniam iuuari, vt dicitur Ecclesiast.10.Pecuniæ obediunt omnia:& secundùm hoc cupiditas diuitiarum est radix omnium peccatorũ. S.Tho.1.2.q 84.art.1. Et in art.2. ait, quòd superbia est initium omnis peccati,secundùm ordinem intentionis, quam habet homo in acquirendis bonis temporalibus, in quibus appetit singularem excellentiam,sed ex parte executionis, est cupiditas,seu auaritia,&c.

Rancor, vt ait S.Th.2.2.q.35.art.4.ad 2.capitur dupliciter; Vno modo communiter,pro odio; Alio modo propriè,pro quadam indignatione & displicentia,quã quis concipit contra aliquem hominem,per quam desiderat vel quærit,vt ille patiatur aliquod malum:& est filia Accidiæ,aliquando verò est filia iræ. Sed an quis teneatur dimittere rancorem contra suum inimicum? Animaduerte,quòd aliud est dimittere rancorem, & aliud signa rancoris: ad dimittendum rancorem omnes tenentur, siue maneat inimicus, siue non, at dimittere signa rancoris, vt nolle loqui, & similia facere cum inimico,non tenentur de necessitate,& ex præcepto,nisi quando inimicus humiliter,facto,vel signo postulauerit, tunc enim tenentur ei loqui,& respondere aliter,non quia est de consilio,& perfectorum, &c.

Rancori quilibet dimittere semper tenetur, at rancoris signa non item.

Rapina est acceptio inuoluntaria ex parte eius cui aliquid subtrahitur, vt docet S. Th. 2.2.q.66.art.4 & 8. Sed attende,quòd potest accipi Vno modo pro omni indebita vsurpatione rei, siue spiritualis, siue temporalis, & sic accipit Apost. ad Philipp.2. Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; Alio modo potest accipi pro vsurpatione vel retentione,iniusta rei alienæ temporalis quacunque, siue manifesta,siue occulta, & sic comprehendit sub se furtum, & rapinam, & vsuram, &c. Tertio capitur pro illicita vsurpatione rei alienæ per violentiam ad lucrum facta. Ponitur rei alienæ,quia si quis per violentiam accipiat rem suam ab illo qui iniustè tenebat, non dicitur rapina: Secundo dicitur per violentiam, ad differentiam furti, quo accipitur res aliena per fraudulentiam: dicitur ad lucrum,quia si quis violenter eriperet gladium de manu furiosi,non esset rapina: dicitur illicita,propter ablata violenter in bello iusto ab hostibus: propter has conditiones rapina est maius peccatum, quàm furtum, &c.

Raptus est species luxuriæ,& quandoq; concurrit in idem cum stupro, quandoq; autem inuenitur raptus sine stupro,quandoq; verò stuprum sine raptu:concurrunt quidem in idẽ, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicitè deflorandam, quæ quidem violentia quandoq; infertur,tam ipsi virgini,quàm patri;quandoq; autem infertur patri,sed non

virgini,

virgini, puta cùm ipsa consentit, vt per violentiam de domo patris abstrahatur. Differt etiam violentia & raptus alio modo, quia quandoque puella violenter abducitur à domo parentum, & violenter corrumpitur: quandoq; autem etsi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur, sed de voluntate virginis, siue corrumpatur fornicario concubitu, siue matrimoniali, qualitercunque enim violentia adsit, saluatur ratio raptus. Inuenitur autem raptus sine stupro, puta si aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam. 2.2.q.154. artic. 7.

Raptus violentiam quandam importat: & potest esse quantùm ad finem inclinationis, vel quantùm ad modum tendendi: vnde quando quis abstrahitur à sensibilium apprehensione, dicitur rapi, quia tunc eleuatur mens eius ad supernaturalia ab ipso Deo, cùm abstractione à sensibilibus: & hic raptus est ex diuina virtute, quo rapti fuerunt Prophetæ Dei: Potest secundo contingere ex causa corporali, sicut accidit in his, qui propter aliquam infirmitatem alienationem patiuntur: Tertio modo ex virtute Dæmonum, sicut patet in arreptitijs: aliquis etiam rapitur; quando patitur euagationem mentis præter propositum, 2.2.q.175.art.1.

Ratio, huius nomen sumptum est ab inquisitione, & discursu, vnde ratiocinari est procedere de vno intellecto ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam: & comparatur ad intelligere, sicut moueri ad quiescere, vel acquirere ad habere, quia per eandem potentiam intelligimus & ratiocinamur: & ideo ratio & intellectus sunt eadem potentia, vt notat S. Th.p.p.q.79.art.8. Et dicitur ratio superior, quando intendit æternis; dicitur inferior, quando intendit temporalibus. Et propriè ratio conuenit tantùm hominibus, communiter verò conuenit Angelis, & Deo. Capitur etiam ratio pro eo, quod est in ratiocinante. s. ipse actus rationis, vel potentia quæ est ratio: quandoq; ratio est nomen intentionis, siue secundùm quod significat diffinitionem rei, prout ratio est diffinitio, siue prout ratio dicitur argumentatio. 1.sent.dist.33.q.1.art.1. *Ratio superior, & inferior quæ.*

Ratio rei dicitur tripliciter: Prima quæ non habet fundamentum in re, neq; proximum, neq; remotum, vt ratio chimeræ, puta montis aurei, qui non reperitur coniunctim, sed separatim: Secundo aliqua est ratio ratiocinantis, per quam apprehendit intellectus id quod est in re, vt quando apprehendit formam lapidis: Tertio dicitur ratio, per quam intellectus apprehendit aliquid cui subest in re natura quædam, non tamen secundùm rationem qua apprehenditur, vt quando intellectus apprehendit intentionem generis substantię, quę, in re est natura quædam, non determinata secundùm se, ad hanc vel ad illam speciem, & huic naturæ apprehensæ tribuitur ratio generis, quæ non est in re, &c. S. Th. 1. sent. dist. 30. q.1.art.2.

Ratio seminalis, dicitur virtus actiua, vel passiua, quæ sunt principia generationum, & motuum naturalium, quæ quidem vt sunt principaliter & originaliter in Verbo Dei, dicuntur rationes ideales; vt verò sunt in corporibus cœlestibus, & in elementis mundi, vbi simul à principio productæ sunt, vt in vniuersalibus causis, dicuntur rationes vniuersales; vt verò tertio sunt in his quæ ex vniuersalibus causis secundùm successiones temporum producuntur, sicut in hac planta, & in hoc animali, tanquam particularibus causis, vocantur rationes particulares; vt quarto modo sunt in seminibus, quæ ex animalibus & plantis producuntur, dicuntur seminales; in ordine ad Deum, dicuntur obedientiales, vt notat S. Thom. p.p.q.115.art.2.

Rationale dicitur dupliciter; Vno modo communiter, vt dicit intelligibilem naturam, & sic conuenit Deo, & Angelis; Alio modo, vt importat discursum, & sic est proprium hominibus, vt ait S. Thomas p.p.q.29.art.3.ad 4. loquens de diffinitione personæ. Rationale quoq; dici potest illud, quod habet potentiam discernendi bonum à malo, verum à falso, & sic etiam conuenit Deo, & Angelis; Alio modo quod habet potentiam discernendi per inquisitionem, & discursum, atq; collationem, & hoc est proprium animæ coniunctæ carni. Dicitur etiam aliquod rationale per essentiam, vt intellectus; & aliquod per participationem, vt appetitus sensitiuus, qui diuiditur per irascibilem & concupiscibilem, hic participat rationem, quia ei obedit, &c.

Reatus sumitur aliquando pro culpa, aliquando pro pœna; quia est medium quodammodo inter vtrunque, sed propriè dicitur obligatio ad pœnam propter peccatum, in quo duo possunt considerari. s. actus culpæ, & macula sequens: planum est autem, quod cessante actu peccati, remanet reatus in omnibus peccatis actualibus, actus enim peccati facit hominem reum pœnæ, inquantùm transgreditur ordinem diuinæ iustitiæ, ad quem non redit, *Reatus aliquãdo pro pœna, aliquando pro culpa accipitur.*

nisi

nisi per quandam recompensationem pœnæ, quæ ad æqualitatem iustitiæ reducit, vt. f. qui plus voluntati suę indulsit, quàm debuit, contra mandatum Dei agens, secundùm ordinem diuinæ iustitiæ aliquid contra illud quod vellet spontaneus, vel inuitus patiatur. S. Tho. 1.2.q.82 art.3.& 6.

Rebellio virium inferiorum ad rationem, consequuta est ex peccato, vt docet S. Thom. opusc.3.cap.193. Et 3.sent.dist.17.q.1.art.2.ad 2.q.ait, quòd rebellio seu pugna, siue contrarietas sensualitatis ad rationem causatur in nobis ex tribus; Primo ex diuersitate volitorum; Secundo, quia sensualitas in suum volitum effrenatè & sine regimine rationis fertur; Tertio ex hoc, quòd sensualitas effrenatè tendens in suum volitum, retardat motum rationis, & impedit, vel in toto, vel in parte: & hæc duo vltima in Christo non fuerunt, quia nunquam motus sensualitatis in aliquid ferebatur, nisi preordinaretur à ratione, propterea non fuit rebellio sensualitatis ad rationem, præsertim cùm rebellare componatur ex re & bello, & propter significat repugnare; & in Christo non erat repugnantia, quia motus sensualitatis non impediebat motum rationis, quia non erat violenta refusio de potentia in potentiam, &c.

Receptaculum, vt scribit S. Thom. 4. sent. dist. 45.q.1.art.1. est quidam locus corporalis. Et art.3. ait, quòd receptacula animarum distinguuntur secundùm diuersos status earum, anima autem coniuncta mortali corpori habet statum merendi, sed exuta à corpore est in statu recipiendi pro meritis bonum vel malum, ergo post mortem vel est in statu recipientis finale præmium, vel est in statu quo impeditur ab illo: si autem est in statu recipientis finalem retributionem, hoc est dupliciter, vel quantùm ad bonum, & sic est Paradisus, vel quantùm ad malum, & sic ratione actualis culpæ est infernus, ratione autem originalis, est Limbus puerorum: si autem est in statu quo impeditur à finali retributione consequenda, vel hoc est propter defectum personæ, & sic est Purgatorium, in quo detinentur animæ ne statim præmium consequantur, propter peccata quæ commiserunt; vel propter defectum naturæ, & sic est Limbus Patrum, in quo detinebantur Patres à consequutione gloriæ, propter reatum humanæ naturæ, qui nondum poterat expiari. Patet ergo quinque esse receptacula animarum. s. Paradisum, Infernum, Limbum puerorum, Purgatorium, & Limbum Patrum.

Quinque sunt receptacula animarum.

Recidiuans non tenetur directè confiteri peccata dimissa, bene autem indirectè, vt sciatur quæ satisfactio sit ei iniungenda, vt ait S. Th. 4. sent. dist. 22.q.1.art.4. Et nota, quòd recidiuare est iterum cadere, vnde recidiuatio est iteratio priorum peccatorum remissorum per pœnitentiam, vnde per peccatum sequens pœnitentiam, redit quodammodo reatus peccatorum prius dimissorum, non inquantùm causatur ex peccato vltimo perpetrato, quod aggrauatur ex peccatis prioribus, & hoc non est peccata dimissa simpliciter, sed redire secundùm quid, inquantùm scilicet virtualiter in peccato sequenti continentur, vt scribit idem S. Th. 3. p. q 88. art. 1.

Reconciliatio, vt ait S. Tho. 4. sent. dist. 15.q.1.art.5. ad 3. quæst. est reparatio amicitiæ, quia per satisfactionem oportet quòd homo sicut Deo, ita proximo reconcilietur, quia reconciliatio nihil aliud est, quàm amicitię reparatio: manente autem causa dissolutionis amicitiæ, amicitia reparari non potest, quæ quidem causa fuit inæqualitas ex iniusta acceptione, vel detentione causata: & ideo ille satisfacere non potest, nec Deo reconciliari, qui rem male ablatam, vel detentam male, non restituit; & cùm amicitia non semper requirit æquale, sed quod possibile, ideo si aliqua sunt ablata, quæ omnino restitui non possunt, sufficit voluntas restituendi, cum tanta restitutione, quanta possibilis est, secundùm conditionem vniusque, ad arbitrium bonorum, &c.

Rectitudo est duplex; Altera quæ consistit circa res exteriores, quæ veniunt in vsum hominis, quæ sunt propria materia iustitiæ; Altera est rectitudo, quæ importat ordinem ad finem debitum, & ad legem diuinam, quæ est regula voluntatis humanæ, vt ait S. Tho. 1.2. q.55. artic.4. ad 4. & ista vltima rectitudo est communis omnium virtutũ. Vbi nota, quòd à rectitudine venit rectum, quod dicitur iustum, vnde recti homines dicuntur iusti. Datur quædam rectitudo naturalis voluntatis, qua secundùm propriam naturam à Deo acceptam potest se conformari rectæ rationi. Datur & rectitudo appetitus, quæ est duplex, scilicet intrinseca, & altera extrinseca respectu artificiatorum: primam facit prudentia, secundam verò ars, ideo ars non est virtus moralis, sicut est prudentia, &c. Rectitudo actus nil aliud est, quàm ipse actus, qui debitè elicitur secundùm rectam rationem.

A rectitudine venit rectum, quod est iustũ.

Redemptio nostra est passio Christi, vt ait S. Th. 3. p. q. 48. quia per peccatum dupliciter homo

homo erat obligatus primo seruitute peccati, quia qui facit peccatum, seruus est peccati; Secundo quantum ad reatum pœnæ, quo homo erat obligatus secundùm Dei iustitiam, & hęc etiam est seruitus quædam: ad seruitutem enim pertinet, quòd aliquis patiatur quod non vult, cùm liberi hominis sit vti seipso vt vult; quia igitur passio Christi fuit sufficiens, & superabundans satisfactio pro peccato, & reatu pœnæ generis humani, eius passio fuit quasi quoddam pretium, per quod liberati sumus ab vtraque obligatione; nam ipsa satisfactio qua quis satisfacit, siue pro se, siue pro alio, pretium quoddam dicitur, quo seipsum vel alium redemit à peccato, & à pœna, Christus autem redemit nos, & satisfecit, non quidem pecuniam dando, aut aliquid huiusmodi, sed dando id quod fuit maximum, seipsum scilicet pro nobis; & ideo passio Christi dicitur esse nostra redemptio, subleuatiua. s. à peccato; & ab eius reatu: vnde vana est illa redemptio præseruatiua à peccato, quam quidam imaginantur.

Redemptor noster, solus Christus dici debet, vt ait S.Th. 3.p.q.48.art.5. quia vt ait Apostolus ad Gal. 3. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum; sed solus Christus factus est pro nobis maledictum, ergo &c. Namque duo requiruntur ad hoc, quòd aliquis redimat. s. actus solutionis, & pretium solutum, si enim aliquis soluat pro redemptione alicuius rei, pretium quod non est suum, sed alterius, ipse non dicitur redimere principaliter, sed magis ille cuius est pretium: pretium autem redemptionis nostræ est sanguis Christi, vel vita eius corporalis, quæ est in sanguine quam ipse Christus exoluit; vnde vtrunque istorum ad Christum pertinet immediatè, inquantùm est homo, sed ad totam Trinitatem, sicut ad causam primam & remotam, cuius erat & ipsa vita Christi, sicut primi, & à quo inspiratum fuit ipsi homini Christo, vt pateretur pro nobis; & ideo esse immediatè Redemptorem proprium est Christi, inquantùm est homo, quamuis ipsa redemptio possit attribui toti Trinitati, sicut primæ causæ, & auctoritatiuè, exequutiuè autem tribuitur Christo.

Redemptio nostra ad Christum pertinet immediatè, sed ad totam Trinitatem, sicut ad causam primam, & remotam.

Reduplicatio potest denotare quodlibet genus causæ, puta hæc reduplicatio, secundùm quòd, seu in eo quod tale, dicit causam materialem, puta homo secundùm quod est compositus ex contrarijs, est corruptibilis: formale, homo secundùm quod habet animam rationalem, est ad imaginem Dei: efficientem, dicendo, Petrus secundùm quod natus est ex tali patre, est hæres eius; finalem, homo secundùm quod est ad beatitudinem ordinatus, oportet vt sit immortalis quantùm ad animam. Si autem attribuatur alicui homini aliquid ratione accidentium, sic dicitur, quòd homo secundùm quod est coloratus, est visibilis: si autem attribuatur sibi aliquid ratione suppositi, sic dicimus, quòd Sortes secundùm quod Sortes, est indiuiduum; si autem ratione naturæ, sic dicimus, quòd homo secundùm quod homo, est animal. S.Th. 3.sent.dist.10.q.1.art.1.

Regere & gubernare, propriè rationis est; & ideo vnusquisque inquantùm participat de regimine & gubernatione, intantùm conuenit sibi habere rationem & prudentiam; manifestum est autem quòd subditi inquantùm est subditus, & serui inquantùm est seruus, non est regere & gubernare, sed magis regi & gubernari: & ideo prudentia non est virtus serui, inquantùm seruus, nec subditi inquantùm subditus, sed quia quilibet homo inquantùm est rationalis participat aliquid de regimine, in arbitrium rationis, inquantùm conuenit ei prudentiam habere: vnde manifestum est, quòd prudentia quidem in Principe est ad modum artis Architectonicæ, in subditis autem ad modum artis manu operantis. S.Thomas 2.2.q.47.art.12.

Regnum, à regendo sumptum est nomen eius, regere autem prouidentiæ actus est: vnde secùndùm hoc aliquis regnum habere dicitur, quod alios sub sua prouidentia habet, & ideo secundùm hoc homines in regno Dei esse dicuntur, quod eius prouidentiæ perfectè subduntur: vnde regnum Dei quasi antonomasticè dupliciter dicitur; quandoq; congregatio eorum, qui per Fidem ambulant, & sic Ecclesia militans regnum Dei dicitur; quandoque autem illorum collegium qui iam in fine stabiliti sunt, & sic ipsa Ecclesia triumphans regnum Dei dicitur; & hoc modo esse in regno Dei idem est quod esse in beatitudine, nec differt secundùm hoc regnum Dei à beatitudine, nisi sicut differt bonum commune totius multitudinis, à bono singulari vniuscuiusque. S.Th. 4.sent.dist.49.q.1.art.2. ad 5.quæst.

Regnum Dei antonomasticè dupliciter dicitur.

Regula actuum humanorum est duplex. s. humana ratio, & lex æterna, scilicet Deus, vt ait S. Thomas 1.2.q.19.art.4. dicens, quod in omnibus causis ordinatis, effectus plus dependet à causa prima, quàm à causa secunda, quia causa secunda non agit nisi in virtute primæ causæ; quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua eius bonitas men-

furetur, habet ex lege æterna, quæ est ratio diuina: vnde in Psal. dicitur, Multi dicunt quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine: quasi diceret, lumen rationis quod in nobis est, intantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, inquantum est lumen vultus tui, i. à vultu tuo deriuatum: vnde manifestum est, quòd multo magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quàm à ratione humana, & vbi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere. S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 4.

Regulares Canonici, & Monachi, ad paria tenentur, intelligendum est in illis, quæ sunt communia omni religioni, sicut viuere sine proprio, abstinere à negociationibus, & ab officio aduocandi in causis, & huiusmodi: aliàs posset simul concludi, quòd Canonici regulares tenerentur abstinere à lineis indumentis, quia Monachi ad hoc tenentur, multo etiam fortius licet illis religiosis docere, quorum religio est ad hoc statuta, etiam si Monachis non liceret: sicut templarijs licet armis vti, quod non licet monachis. S. Thomas opusc. 19. cap. 2. Et regularis dicitur à regula, i. norma qua lineæ diriguntur: & per translationem dicitur breuis rerum præceptio, &c.

Relatio est duplex; Realis, & rationis, vt scribit S. Th. p. p. q. 28. art. 1. dicens, quòd solùm in his, quæ dicuntur ad aliquid, inueniuntur aliqua secundùm rationem tantùm, & non secundùm rem, quod non est in alijs generibus, quia alia genera, vt quantitas, & qualitas, secundùm propriam rationem significant aliquid alicui inhærens: ea verò quæ dicuntur ad aliquid, significant secundùm propriam significationem & rationem, solùm respectum ad aliud, qui quidem respectus aliquando est in ipsa natura rerum, vtpote quando aliquæ res secundùm suam naturam ad inuicem ordinatæ sunt, & in inuicē ordinationem habent, & huiusmodi relationes oportet esse reales, sicut in corpore graui est inclinatio & ordo ad locum medium, vnde respectus quidam est in ipso graui respectu loci medij: aliquando verò respectus significatus per ea quæ dicuntur ad aliquid, est tantùm in ipsa apprehensione rationis, conferentis vnum alteri, & tunc est relatio rationis tantùm, sicut cùm comparat ratio hominem animali, vt speciem ad genus, &c.

Relatio in diuinis, non est sicut accidens inhærens subiecto, sed est ipsa diuina essentia: vnde est subsistens, sicut essentia diuina subsistit: sicut ergo Deitas est Deus, ita paternitas diuina, est Deus Pater, qui est persona diuina, vt ait S. Thom. p. p. q. 29. art. 4. Et nota quòd, relatio in diuinis potest tripliciter considerari. s. vt relatio absolutè; vt diuina, constituens personas; tertiò vt operatio: primo modo sequitur operationem, & processionem, secundùm nostrum modum intelligendi; secundo è conuerso; tertio sunt simul, vnde relatio & essentia sunt idem realiter, distinguuntur autem ratione, propterea non facit compositionem cum essentia: hinc dicitur ratio tantùm, vt verò cōparatur ad terminum, dicitur res, & est idem quod proprietas, & notio, differunt autē solummodo ratione, quandoquidem vt refertur, vocatur relatio; vt conuenit vni personæ, dicitur proprietas; vt est principium formale notificandi personam, dicitur notio. Ob hoc relatio, notio, proprietas, tripliciter differunt. s. significatione, ordine intelligendi, & numero; & licet relationes sint diuersæ specie in diuinis, non tamen faciunt differre specie personas, vt docet idem S. Th. de potentia Dei, q. 9. art. 4. &c.

Relatio in diuinis tripliciter considerari potest.

Relatiua sunt in duplici differentia: quædam secundùm esse, quædam secundùm dici: quia quædam relatiua sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relatiuas, vt dominus, seruus, pater, & filius, & huiusmodi, & hæc dicuntur relatiua secundùm esse; quædam verò sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens & motum, caput & capitatum, & alia huiusmodi, quæ dicuntur relatiua secundùm dici. S. Thom. p. p. q. 13. art. 7. ad primum. Et in corp. ait, quòd cùm relatio requirat duo extrema, tripliciter potest se habere ad hoc quod sit res naturæ vel rationis; quandoque enim ex vtraq; parte est rationis tantùm, quando s. ordo vel habitudo non potest esse inter aliqua, nisi secundùm apprehensionem rationis tantùm, vtpote cùm dicimus idem eidem idem, nam secundùm quod ratio apprehendit bis aliquod vnum, statuit illud vt duo, & sic apprehendit aliquam habitudinem ipsius ad seipsum; quædā verò relatiua sunt quantùm ad vtrunq; extremum res naturæ, quando s. est habitudo inter aliqua duo, secundùm aliquid realiter conueniens vtrique, vt patet de omnibus relationibus, quæ consequuntur quantitatem, vt magnum & paruum, duplum & dimidium, &c. nam quantitas est in vtroque extremorum, & simile est de relationibus, quę consequuntur actionem & passionem, vt motiuum & mobile, pater & filius, &c. quandoque verò relatio in vno extremorum est res

Relatio ad hoc vt sit res naturæ, vel rationis, dupliciter se habere potest ratione extremorum.

naturæ,

naturæ, in alt ero est rationis tantùm, & hoc contingit quandocunq; duo extrema non sunt vnius ordinis, sicut sensus & sensibile, scientia & scibile, & ideo in sensu est relatio realis in ordine ad sensibile, & non econtra: sic in scientia in ordine ad scibile. Et ex his habentur relatiua primi ordinis, secundi ordinis, & tertij ordinis, &c.

Relatiua per accidens tripliciter dicuntur; nam aliqua dicuntur ad aliquid, propter hoc, quod sua genera sunt ad aliquid, sicut medicina dicitur ad aliquid, quia scientia est ad aliquid; Secundo aliqua relatiua dicuntur ad aliquid, quando aliqua abstracta sunt ad aliquid, quia concreta habentia illa abstracta ad aliud dicuntur, sicut æqualitas, & similitudo dicuntur ad aliquid, quia simile & æquale ad aliquid sunt, æqualitas & similitudo secundùm nomen non ostenditur ad aliquid; Tertio aliqua dicuntur ad aliquid, quando subiectum dicitur ad aliquid ratione accidentis, sicut homo vel album dicitur ad aliquid, quia vtrique accidit duplum esse, & hoc modo caput dicitur ad aliquid, quod est pars, vt habet S.Th. 5. Metaph. lect. 15. in fine tex. 20.

Religio dicitur à reeligendo ea quæ sunt diuini cultus, quia huiusmodi sunt frequenter in corde reuoluenda, secundùm illud Prouerb. 3. In omnibus vijs tuis cogita illum; quamuis etiam possit intelligi religio ex hoc dicta, quod Deum reeligere debemus, quem amiseramus negligentes; vel potest intelligi religio à religando dicta, quia nos vni omnipotenti Deo religet. Siue autem religio dicatur à frequenti electione, siue ex iterata electione eius, quod negligenter amissum est, siue dicatur à religatione, religio propriè importat ordinem ad Deum, ipse enim est cui principaliter alligari debemus, tanquam in deficienti principio, ad quem etiam nostra electio assiduè dirigi debet, sicut in vltimum finem, quem etiam negligenter peccando amittimus, & credendo, & Fidem protestando, recuperare debemus, vt scribit S.Th. 2.2.q.81. art. 1. *Religio propriè importat ordinem ad Deum.*

Religiosus à religione appellatus est, & licet communiter dici possit omnis homo qui Deum colit, specialiter tamen religiosus dicitur, qui totam vitam suam diuino cultui dedicat, à mundanis negocijs se abstinens, seu abstrahens, sicut etiam contemplatiuus dicitur, non qui contemplatur, sed qui contemplationi totam vitam suam deputat: hic autem non se subijcit homini, propter hominem, sed propter Deum, iuxta illud Apost. ad Gal. 4. Sicut Angelum Dei excepistis me, &c. S.Th. 2.2.q.81.art.1.ad 5. Et nota, quod si contingeret ipsum ad dignitatem aliquam assumi, puta si fuerit Episcopus, non propterea absoluitur à tribus votis religionis, quia nihil debet habere proprium, sed est dispensator omnium bonorum Ecclesiæ, sed per accidens non tenetur obedire, si superiorem non habet, sicut nec Abbas: nullo etiam modo religiosus reuelare debet secretum sibi commissum, etiam præcipienti sibi Prælato, nisi vergat in infamiam, vel in periculum aliorum, vt habet S.Thom. quolib. 1. art. 16. præsertim quando proceditur per viam denunciationis simplicis, secus autem si per viam inquisitionis, aut accusationis, &c. *Religiosus assumptus in dignitatē Ecclesiasticam non propterea à tribus votis absoluitur.*

Reliquiæ Sanctorum, vel diuina verba licitè portantur suspensa ad collum, si portentur ex fiducia Dei, & Sanctorum, quorum sunt reliquiæ, hoc enim modo non est illicitum: si autem circa hoc attenderetur aliquid aliud vanum, puta quod vas esset triangulare, aut aliquid aliud huiusmodi, quod non pertinet ad reuerentiam Dei & Sanctorum, esset superstitiosum & illicitum: hinc Chrisost. super Matth. dicit, Quidam aliquam partem Euangelij scriptam circa collum portant, sed nonne quotidie Euangelium in Ecclesia legitur, vt audiatur ab omnibus? cui ergo in auribus posita Euangelia nihil prosunt, quomodo poterunt eum circa collum suspensa saluare? vbi enim est virtus Euangelij, in figuris literarum, an in intellectu sensuum? si in figuris, bene circa collum suspendis, si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quàm circa collum suspensa. Hoc etiam quod Chrysost. dicit, intelligendum est, quando respectus habetur magis ad figuras scriptas, quàm ad verborum intellectum, vt exponit S.Th. 2.2.q. 96. art. 4.

Remedium mali est duplex; Vnum per quod impeditur futurum malum ne adueniat, & tali remedio sublato, aufertur spes, & per consequens timor; Aliud remedium mali est, quo malum iam præsens remouetur, vt notat S.Th. 1.2.q.42.art.6. in quo disputat, verum ea contra quæ non est remedium, magis timeantur? vbi nota, quòd datur aliquod remedium quod liberat à malo, vt Baptismus liberans ab originali, & Pœnitentia à peccato actuali: Aliquod remedium, quod impedit ne malum fiat, vt matrimonium contra luxuriam: quoddam est remedium ad salutem consequendam, Deus enim nullo tempore dimisit suos cultores sine remedio necessario ad salutem.

Reminiscentia, est inquisitio eius quod excidit à memoria, & prior, & repetitur tantum

in parte ſenſitiua hominis, vt docet S.Thom. p.p.q.78.art.4.in corpore, quòd quantùm ad formas ſenſibiles non eſt differentia inter hominem, & alia animalia, ſimiliter enim immutantur à ſenſibilibus exterioribus, ſed quantùm ad intentiones prædictas differentia eſt, nam alia animalia percipiunt huiuſmodi intentiones, ſolùm naturali inſtinctu, homo autē per quandam collationem, & ideo quæ in alijs animalibus dicitur æſtimatiua naturalis, in homine dicitur cogitatiua, quę per collationem quandam, huiuſmodi intentiones adinuenit: vnde etiam dicitur ratio particularis, cui Medici aſſignant determinatum organum, ſcilicet mediam partem capitis, eſt enim collatiua intentionum indiuidualium, ſicut ratio intellectiua intentionum vniuerſalium: ex parte autem memoratiuæ, non ſolùm habet memoriam ſicut cętera animalia, in ſubita recordatione præteritorum, ſed etiam reminiſcentiam, quaſi ſyllogiſticè inquirendo præteritorum memoriam, ſecundùm indiuiduales intentiones, & ſic non eſt neceſſe ponere niſi quatuor vires ſenſitiuæ partis, ſcilicet ſenſum communem, imaginationem, æſtimatiuam, & memoratiuam, &c.

Remiſſio in puniendo non eſt vitium, niſi inquantùm prætermittitur ordo iuſtitiæ, quo aliquis deberet puniri, propter culpam, quam excedit crudelitas: ſæuitia autem penitus hunc ordinem non attendit, vnde remiſſio punitionis, directè opponitur crudelitati, non autem ſæuitiæ, vt ſcribit S.Th.2.2.q.159.art.2.ad 3. Nota, quòd datur etiam remiſſio peccatorum, quod fieri poteſt effectiuè, & auctoritatiuè, quo pacto in Baptiſmo, & in Pœnitentia fit à ſanctiſſima Trinitate. Poteſt fieri meritoriè, & ſic fit à Chriſto homine, qui per ſuam paſſionem meruit vt in his Sacramentis ritè acceptis remittantur peccata. Tertio remiſſio peccatorum poteſt fieri miniſterialiter, & ſic efficitur à miniſtris Eccleſiæ, iuxta illud Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. An autem Deus poſſit remittere peccata ſine Sacramentis, patet, quòd ſic, quando dixit, Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Sed hoc intelligendum venit de potentia Dei abſoluta, quæ non eſt alligata Sacramentis, non autem de potentia Dei ordinaria. Eſt etiam dubium, An poſſit fieri remiſſio peccati venialis abſque remiſſione peccati mortalis? Dicas tu, quòd non, quia inimico inquantùm inimicus, non remittitur offenſa nec parua, nec magna, ſed habens mortale, eſt inimicus, ergo &c. Licet aliqui teneant oppoſitum, quia poteſt ſolui pœna debita veniali ab exiſtenti in peccato mortali, hic in via, & in inferno, qua ſoluta, ſolutum ac dimiſſum eſt veniale. Sed quantùm valeat hæc ratio 4.ſent. latius oſtendimus, &c.

Remiſſio peccatorū tripliciter fit, effectiuè, meritoriè, & miniſterialiter.

Remuneratio eſt duplex; quædam cum gratia facta, & huic datur vita æterna; quædam ſine gratia, & eſt quando Deus in hoc mundo remunerat eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, vt ſic nullum bonum irremuneratum inueniatur, vt ait S.Th. 2.ſent.diſt.27. art.4.in corp. Vbi attende, quòd remuneratio fit remunerabili, quod quidem remunerabile poteſt eſſe triplex; Primo illud, quod eſt aptum natum mereri, & hoc dicitur eſſe ipſum liberum arbitrium; Secundo remunerabile illud dicitur, quod eſt coniunctum ipſi merenti, vt corpus humanum; Tertio, quod eſt ad ipſum ordinatum, ſicut ad obſequium, ſecundùm hoc præmiatur homo aliquando in ſeipſo, aliquando in corpore, aliquādo ex eis quæ ſunt ſibi vtilia, ſic etiam præmiatur in ſeipſo, in corpore ſuo, & etiam in ipſo mundo, qui eſt eius habitaculum, vnde corpora cœleſtia præmiari, non eſt aliud, quàm hominem præmiari in illis, quia Deus totum mundum propter amorem hominis facit pulchriorem, & ideo quia propter hominem præmiantur corpora ſupercœleſtia, ſecundùm illam proprietatem ſecundùm quam conſona ſunt corporibus glorioſis, &c.

Reparatio, qua humana natura fuit à Deo reparata, fuit congruentiſſima quantùm ad ipſum Deum, quia in hoc manifeſtatur miſericordia Dei, potentia, & ſapientia; miſericordia quidem, ſiue bonitas, quia proprij plaſmatis non deſpexit infirmitatem; potentia verò, quia ipſe omnium noſtrorum defectum ſua virtute vicit; ſapientia autem, inquantùm nihil fruſtra feciſſe inuenitur; conueniens etiam fuit quantùm ad humanam naturam, quæ generaliter lapſa erat; ſimiliter etiam ex perfectione vniuerſi, quod totum quodammodo ad ſalutem hominis ordinatur, vt ſcribit S.Th. 3.ſent.diſt.20 q.1.art.1.in corp. 1.quæſt.

Repræſentatio, eſt continentia alicuius ſimilitudinis, vt ſcribit S.Th. de ver.q.7.art.5. reſpondendo ad 2.arg. quod erat tale, Liber vitæ eſt repræſentatio vitæ, ſed non vitæ creatæ, primum enim non repræſentat ſecundum, ſed econuerſo, ergo liber vitæ repræſentat ſeu eſt repræſentatiuus vitæ increatæ. Et reſpondet, quòd repræſentare aliquid eſt ſimilitudinem eius continere; duplex autem eſt ſimilitudo rei, Vna quæ eſt factiua rei, ſicut quæ eſt in intellectu practico, & per modum huius ſimilitudinis primum poteſt repræſentare

Similitudo alicuius rei eſt duplex.

ſecundum;

secundum; Alia autem est similitudo accepta à re cuius est, & per hunc modum posterius repræsentat primum, & non econuerso; liber autem vitæ non hoc modo, sed primo vitam repræsentat, &c.

Reprobatio est pars prouidentiæ respectu eorum qui ab hoc fine decidunt, sicut prædestinatio est pars prouidentiæ, respectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternā salutem: vnde reprobatio non nominat præscientiam tantùm, sed aliquid addit secundùm rationem, sicut & prouidentia: sicut enim prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam, & gloriam, ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa, vt scribit S. Thomas p.p.q.23.art.3. Potest etiam dici, quòd reprobatio est præscientia culpæ, & præparatio pœnæ; vel ordinatio alicuius creaturæ ad pœnam æternam; vel est æterna præcognitio mali vsus liberi arbitrij, ratione cuius, Deus decreuit hominem aliquem priuare gratia in præsenti, & in futuro punire pœna æterna; seu est præscientia iniquitatis, cum voluntate permittendi casum in culpam, & inferendi damnationem pro culpa; & multas alias definitiones tradunt Doctores de hac re, &c. *Reprobationis definitiones multæ.*

Reptile est animal, quod vel non habet pedes quibus eleuatur à terra, vt serpens, vel habet breues, quibus parum eleuatur, vt lacerta, & formica. Et reptile, quoddam aquaticum, quoddam terrestre, vt ait S. Th.p.p.q.72.art.1. ad 2. Vbi nota, quòd quatuor modis dici potest; Primo, quod se trahit vi oris, sicut vermis; Secundo, quod se trahit vi costarum, vt serpens; Tertio, quod se trahit vi penularum, vt piscis; Quarto, quod se trahit mouendo magnam partem corporis, applicando eam terræ, licet habeat pedes, vt stellio, &c. *Reptile quatuor modis fit motor.*

Repudium vxoris est contra legem naturæ, vnde non licet infideli vxorem repudiare, & ideo si conuertatur postquam vna repudiata alteram duxit, idem est iudicium de hoc, & de illo, qui plures vxores habebat, quia tenetur primam quam repudiauerat accipere, si voluerit, & aliam abijcere, vt ait S.Th.4 sent.dist.39.q.1.art.3.ad 5. Et nota, quòd repudium propriè dicitur recusatio, quod fit ob rem pudendam. Et differt repudium, & diuortium, quia repudium fiebat ex indebita causa, sed diuortium ex debita, & illud erat permissum, hoc autem erat concessum. Differunt etiam, quia post repudium non prohibebatur nubere, post diuortium autem prohibebatur. Differunt adhuc, quia vir repudiabat vxorem, & non econuerso, vnde non iudicabantur ad paria, in diuortio verò iudicabantur ad paria: & multa alia dicuntur de diuortio, vt apparet vbi supra. *Repudium, et diuortium differunt.*

Requisitio alicuius ad aliquid, vt ait S. Th.1.2.q.4.art.1. fit quatuor modis, dicens quadrupliciter aliquid requiritur ad aliquid; Vno modo, sicut præambulum, vel præparatorium ad ipsum, sicut disciplina requiritur ad scientiam; Alio modo, sicut perficiens aliquid, sicut anima requiritur ad vitā; Tertio modo, sicut coadiuuans extrinsecus, sicut anima requiritur ad aliquid agendum; Quarto modo, sicut aliquid concomitans, vt si dicamus, quod calor requiritur ad ignem, & hoc modo delectatio requiritur ad beatitudinem, &c.

Res dicitur a reor, reris, & sic nomen rei spectat ad id quod est in anima; dicitur etiam à ratus, rata, ratum, & sic spectat ad id quod est extra animā, quasi habens aliquid ratum, & firmum in natura: vnde hoc nomen ens, & res, differunt secundùm quod est duo considerare in re. s. quidditatem, & rationem eius, & esse ipsius. Et à quidditate sumitur hoc nomen res, & quia quidditas potest habere esse & in singulari quod est extra animam, & in anima secundùm quod est apprehensa ab intellectu, &c. vt notat S.Th. 1.sent. dist.25.q.1. art.4. Vbi nota, quòd prout res dicitur à reor, reris, comprehendit omne illud, quod cadit in cognitione, siue sit res exterius, siue in sola opinione; quando verò res dicitur à ratus, rata, ratum, prout ratus dicitur esse illud, quod non tantùm est in cognitione, sed in rerum natura, siue sit ens in se, siue in alio, tunc conuertitur cum ente: si autem hoc nomen res, capis, prout dicitur de creaturis, & substantijs per se entibus, sic peccatum non potest dici res, nec ratione deformitatis, nec ratione substrati; quo pacto dicebat August. in Enchirid. quòd opera diaboli vitia sunt, nō res: si autem res capiatur primo modo, vt dicitur à reor, reris, sic peccatum potest dici res, etiam ratione deformitatis, vt ait quædam Glosa 1. Rom. Deus illius rei est victor, cuius non est auctor. & Aug. vbi supra, Aliquæ res sunt quibus homines mali fiunt, vt vitia, & peccata. *Peccatum quādo res est, et quando nō.*

Reseruatio superioris, vt docet S.Th.4 sent.dist.19.q.1.art.3.q.2. potest conuenire alicui, & non alteri, dicens, quòd potestas ordinis quantùm est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda, sed quia ad vsum huius potestatis requiritur iurisdictio, quæ à maioribus in inferiores descendit, ideo potest superior aliqua sibi reseruare, in quibus iudicium

inferiori

inferiori non committat, aliàs de quolibet peccato potest simplex Sacerdos iurisdictionem habens absoluere. Sunt autem quinque casus in quibus oportet, quòd simplex Sacerdos ad superiorem pœnitentem remittat: Primus est, quando est solemnis imponenda pœnitentia, quia eius minister proprius Episcopus est: Secundus est, de excommunicatis, quando inferior Sacerdos non potest absoluere: Tertius, quando inuenit irregularitatem contractam, pro cuius dispensatione debet ad superiorem remittere: Quartus, de incendiarijs: Quintus, quando est consuetudo in aliquo Episcopatu, quòd enormia crimina ad terrorem, Episcopo reseruantur, quia consuetudo dat vel aufert potestatem in talibus, &c.

Resistentia, vt notat S. Thom. 2. sent. dist. 28. q. 1. art. 2. arg. 6. est alia à victoria, ita enim arguit: Quicunque tentationi resistit, tentantem vincit, sed vincenti præmium æternum promittitur Apoc. 2. & 3. cùm ergo ad præmium æternum nullus sine gratia venire possit, videtur, quòd sine ea aliquis non possit tentationi resistere peccatum vitando: Et respondendo, ait, quòd aliud est resistere peccato, & aliud victoriam de peccato habere, quicunque enim vitat peccatum, peccato resistit, vnde hoc potest fieri etiam sine gratia, nec oportet quòd tunc homo resistendo peccato, mereatur præmium æternum, sed ille propriè vincit peccatum, qui potest pertingere ad hoc, contra quod est pugna peccati; hoc autem non potest esse nisi in eo qui opus meritorium operatur, vnde talis victoria vitam æternam meretur, & sine gratia non fit, &c.

Respublica, vt docet S. Th. 2. 2. q. 40. ar. 4. dicens, quòd pro tuitione Reipublicæ Fidelium licitum est iusta bella exercere in diebus festis, si hoc tamen necessitas exposcat, hoc enim esset tentare, si quis imminente tali necessitate vellet à bello abstinere. Et nota, quòd Respublica, dicitur ciuitas libera, quæ iure regitur, vel est paucorum potestas, in qua cum institutione magistratus, honoresque publicos quemadmodum debeant impartiri, & in qua potestas, auctoritasq; summa debeat consistere: vel dicitur quoddam corpus compaginatum ex membris, quod diuini muneris beneficio animatur, & summæ æquitatis agitur nutu, & regitur quoddam lumine rationis, &c.

Respiratio est necessaria animali respiranti, quia sine respiratione viuere non potest, ipsa enim respiratio, & si non sit causa vitæ, est tamen concausa, inquantùm cooperatur ad temperamentum caloris, sine quo non est vita. S. Th. 5. Metaph. lect. 5. in expositione tex. 6. vbi Arist. ostendit quot modis dicitur necessarium.

Restituere, est iterato aliquẽ statuere, in dominiũ rei suæ.

Restitutio ablationi opponitur, sed ablatio rei alienæ, est actus iniustitiæ, circa cõmutationes, ergo restitutio eius est actus iustitiæ, quæ est in commutationibus directiua: restituere enim nihil aliud esse videtur, quàm iterato aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ, & ita in restitutione attenditur æqualitas iustitiæ secundùm recompensationem rei ad rem, quod pertinet ad iustitiam cõmutatiuam: & ideo restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, quando scilicet res vnius ab alio habetur, vel per voluntatẽ eius, sicut in mutuo vel deposito, vel contra voluntatem eius, sicut in rapina, vel furto, &c. S. Th. 2. 2 q. 72. ar. 1. Vbi nota, ꝙ restitutio male ablati, est de necessitate salutis, quantum possibile est, & debet statim fieri, vel dilatio peti ab eo qui potest concedere vsum rei, quia implicat præceptum negatiuum, vbi supra art. 8. Et est ita necessaria, quòd Principes tenentur ad restitutionem, si latrones increscant, quia redditus quos habent, sunt quasi stipendia vt conseruent iustitiam: & quando res non est restituibilis, sicut membrum mutilatum, debet fieri recompensatio quantum possibile est, &c. Et si is cui restitui debet aliquid, mortuus est, debet dari hæredibus eius: si verò ignotus sit, debet dari pauperibus, præmissa diligenti inquisitione: si autem sit multum distans, debet ei mitti, præcipuè si sit res magni valoris, vel debet deponi. Et si quis iniustè detinuerit rem fructiferam, omnem fructum quem consequitur ex re ipsa, vel consequi potuisset, si diligenter coluisset, eo modo quo dominus rei solebat colere (deductis tamen expensis in rei conseruationem, culturã, & fructus collectione) damna etiam quæ passus est dominus ex carentia suæ rei, tenetur detentor iniustus recompensare, &c.

Resurrectio est, in qua aliquid fit ministerio Angelorum, & aliquid virtute diuina immediatè: illud ergo quod Angelorum ministerio fiet, non erit in instanti, si instans dicat indiuisibile temporis, erit tamen in instanti, si instans accipiatur pro tempore imperceptibili: illud autem quod fiet virtute diuina immediatè, fiet subito, scilicet in termino temporis, quo Angelorum opus complebitur, quia virtus superior inferiorem ad perfectionem adducit: Sanctus Thomas 4. sententiarum, dist. 43. quæst. 1. art. 3. ad quæstionem 3.

Et nota,

Et nota, quòd resurrectio est duplex; Altera increata, quæ est ipsemet Deus, faciens resurrectionem creatam, iuxta dictum Saluatoris ad Martham, Ego sum resurrectio, & vita, & ista no est futura, sed est ab æterno; Altera verò est resurrectio creata; & ista est triplex, scilicet spiritualis, temporalis, & corporalis; Resurrectio corporalis est illa, qua animæ intellectiuæ reunientur corporibus suis, vnde dicitur suscitatio corporum; & quoad esse est naturalis, quoad fieri spectat ad Fidem, & est futura de necessitate. Et fuit quadruplex error negantium ipsam, vt ait S. Th. vbi supra ar. 1. Resurrectio spiritualis est illa, qua quis resurget à peccato, & de peccato ad gratiam, & ista solum fit à Deo. Resurrectio temporalis est illa, qua quis quandoque cadit de prosperitate huius seculi, & tandem resurgit ad talem prosperitatem, vt patet de Iob. Datur & resurrectio Christi, quæ est causa exemplaris reparationis vitæ nostræ, & propriè se extendit tantum ad bonos, licet efficientia eius se extendat ad resurrectionem, tam bonorum, quàm malorum, vt notat S. Thom. 3. p. q. 56. art. 1. ad 3.

Resurrectio duplex, creata, & increata; & hæc iterum triplex, spiritualis, temporalis, et corporalis.

Rethorica, est quidam modus procedendi ex quibusdam coniecturis ad suspicionem inducendam, vel ad aliqualiter persuadendum. Et est pars prudentiæ, quæ ratiocinatur interdum ex necessarijs, interdum ex probabilibus, interdum ex quibusdam coniecturis; quia tres sunt modi procedendi in scientijs; quorum Vnus est per demonstrationem ad scientiam causandam, quod pertinet ad Physicam, & sub Physica intelliguntur omnes scientiæ demonstratiuæ; Alius est modus ex probabilibus ad opinionem faciendam, quod pertinet ad Dialecticam, Tertius modus spectat ad Rhetoricam S. Th. 2. 2. q. 48. ar. 1.

Reuelatio diuina, ordine ad inferiores peruenit per superiores, sicut ad homines per Angelos, & ad inferiores Angelos per superiores, vt scribit S. Th. 2. 2. q. 2. ar. 6. Vbi nota, quòd reuelatio dicitur, quasi remotio velaminis, dum aliquid ignotum aperitur alicui, & addit supra visionem, intelligentiam visorum; vnde reuelare, aliquando idem importat quod causare, aliquod signum extrinsecum, causatiuum assensus in intellectu creato, & sic Deus dicitur reuelasse legem Christi omnibus, tam fidelibus, quàm infidelibus, quamuis non omnes assentiant, & hæc potest vocari reuelatio exterior: aliquando reuelare, importat idem quod causare assensum in intellectu creato, de aliquo complexo: & potest esse de complexo vero, & complexo falso, vel assensu sine formidine, vel assensu cum formidine. Reuelare quoque aliquando importat idem quod causare assensum firmum, in intellectu creato de aliquo complexo vero, & hæc potest reuelatio interior vocari; vnde nullus vnquam purus homo habuit reuelationem à Deo, nisi mediantibus Angelis. Et Fides nostra innititur reuelationi Apostolis, & Prophetis factæ, non autem alteri reuelationi (licet multis Gentilibus reuelationes factæ sunt de Christo, vt patet de Sybillis.) Reuelat etiam Deus aliquibus ex speciali priuilegio, vt sciant se esse in gratia, ad hoc vt securitatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & confidentius, & fortius magnifica opera prosequantur, & mala præsentis vitæ sustineant, sicut de Paulo dicitur, Sufficit tibi gratia mea. S. Th. 1. 2. q. 112. ar. 5.

Reuelatio, est quasi remotio velaminis.

Reuerentia, directè respicit personam excellentem, & ideo secundùm diuersam rationem excellentiæ, diuersas species habet, vt notat S. Th. 2. 2. q. 104. art. 2. ad 4. Vbi nota, quòd reuerentia est honor exhibitus in testimonium virtutis; Vel est timor initialis, & castus. Et potest capi in bonum, & in malum, sicut etiam confusio, i. erubescentia; vnde reuereri, propriè est actus timoris; vt debetur Deo, est actus latriæ. Reuereri quoque, est honorare, à quo reuerentia, honor, quem tam in verbis quàm in factis aliquando habemus: & quando rem aliquam turpem nominamus, solemus dicere, salua reuerentia, saluo honore, à quo reuerendus, dignus reuerentia, & reuerenter, cum reuerentia. Et componitur reuereri ex re, & vereor: est autē vereri, timere cum pudore quodam, erga eum quem metuimus. Potest etiam dici, quòd vereri sit hominis liberi, timere serui, quod ille pudoris, hic pœnæ metu teneatur. Ob hoc verba ista se habent per ordinem, s. reuereri, honorare, laudare, glorificare, & adorare; Reuereri, est reputare aliquod bonum maius in altero, quàm in seipso: honorare, est exhibere reuerentiam in testimonium virtutis, quàm in altero reputamus: laudare, est honoratum alijs commendare: glorificare, est laudes honorati largè, lateque preconizare: adorare verò, est reuerendum, honorandum, laudandum, glorificandum colere, propter eminentiam omnipotentiæ, sanctitatis, & omni spe & fiducia postposita se totum illi subiacere, &c.

Reuereri componitur ex re, & uereor.

Reus ille est, vt ait S. Tho. 1. 2. q. 87. art. 1. ad 2. quem peccatum facit subditum pœnæ, quod est malum: hinc puniri non est malum, sed fieri pœna dignum, vnde reatus pœnæ

directè

directè ponitur effectus peccati: pœna quidem, iuxta esse, potest & à Deo, & ab homine inflicta, vnde ipsa non est effectus peccati directè, sed solùm dispositiuè. Et nota, quòd reus, rea, reum, dicitur à re, quæ petitur, qui quamuis sceleris conscius non sit, reus tamen dicitur, quandiu ius in iudicio pro re aliqua ab eo petitur: siue reus dicitur qui accusatur, seu impetitur super aliqua, iustè vel iniustè: aut reus dicitur, qui in rem, hoc est causam ac iudicium vocatur. Reus quoque dicitur, quicunque in litem adducitur, etiam si nihil admiserit: hinc reus voti, reus mortis, reus pœnæ dicitur, &c.

Rex, & Tyrannus in quo differant.

Rex principaliter debet intendere, vt suum regimen quietius gubernetur, vt notat S. Th. opusc. 20. lib. 2. cap. 5. Vbi nota, quòd differt Rex, & Tyrannus, quia Rex intendit commodum subditorum, & est pro bono publico, Rex enim à regendo dicitur, qui Regnum possidet, Regnum verò dicitur integra regio, quæ ab vno Rege possidetur, vt Polonia, & Hispania Regna dicuntur; Tyrannus autem dicitur, qui tantummodo quærit commodum proprium, & non dicitur verè gubernator, sed dissipator: hinc dicitur Tyrannus à tiro, quod est angustia, quia angustiat & cruciat populos, crudelitatem exercendo in eis, &c.

Risibile non est idem per essentiam cum homine, vt docet S. Th. de ver. q. 1. art. 5. ad 20. arg. Vbi nota, quòd ex hac sententia S. Th. sumitur illa doctrina, quòd subiectum intelligitur, puta homo, absq; suo proprio, quod est risibile. Sed cùm hoc possit dupliciter intelligi, Vno modo per primam operationem intellectus; alio modo per secundam; primo modo nihil aliud est, quàm ipsum subiectum intelligi, prædicato non intellecto, sicut color pomi videtur, non viso eius odore, sic etiam quando diffinitur homo, sufficit tunc intelligere genus & differentiam eius absq; proprio, quod est risibile; secundo verò modo erit formare propositionem negatiuam illius prædicati, de illo subiecto, puta quod homo non sit risibilis; & hoc esse non potest, quia sequitur necessariò principia essentialia hominis, &c.

Rixa in inuadente semper est peccatum mortale, in defendente autem, quandoque mortale, quandoq; veniale.

Rixa importat quandam contradictionem in factis, sicut contentio importat quandam contradictionem verborum: vnde super illud ad Galat. 5. cap. dicit Glosa, quòd rixæ sunt, quando ex ira inuicem se percutiunt, & ideo rixa videtur esse priuatum bellum, quod inter priuatas personas agitur, non ex aliqua publica auctoritate, sed magis ex inordinata voluntate, & ideo rixa semper importat peccatum; & in eo quidem quod alterum inuadit iniustè, est peccatum mortale (inferre enim nocumentum proximo, etiam opere manuali, non est absq; mortali peccato) in eo autem qui se defendit, potest esse sine peccato, & quandoque cum peccato veniali, & quandoque cum peccato mortali, secundùm diuersum motum animi eius, & diuersum modum defendendi, puta solo animo repellendi iniuriam, vel cum animo vindictæ & odij, vel cum excessu debitæ moderationis, &c. S. Th. 2. 2. q. 41. ar. 1.

Ros, & pruina, & pluuia, sola quantitate differunt, vt ait S. Thomas in expos. Iob. cap. 38. Vbi nota, quòd ros dicitur à rarus, rara, rarum, quia ros rarus est, & non spissus, vt pluuia; vel dicitur à ruo, ruis, quia ab aëre in terram ruit, & generatur ex vapore, qui multum habet humidi aërei subtilis, & aliquid terrestri sicci: & non eleuatur ille, nisi tempore caumatis, qui cùm eleuatur digeritur caliditate aëris humidum aereum digestione bona, & permiscetur ei fortiter terrestre siccum, & postea frigore temperato pinguescit humidum aereum, & cadit ros fluens, & viscosus, ad modum mellis, super herbas, & folia arborum: Sole autem agente in ipsum, euaporat humidum, & comburit in ipso terrestre siccum, & efficitur ac si farina subtilis sit sparsa super herbas, & arborum folia, & sua siccitate exiccat ea, & comburit, & inducit sterilitatem in eis: herbam autem super quam cadit ros ille, appetitu vehementi comedunt animalia, & præcipuè oues; & quia mel non decoctum soluit ventrem, ideo oues multum de ipso comedentes, fluxu ventris moriuntur; & cùm sit calidum & siccum, nutrit choleram in eis, & ideo inueniuntur illæ oues morbidæ frequenter, & croceæ interius, quando aperiuntur per incisuras, &c.

Rugire est proprie leonum.

Rugitus, vt scribit S. Th. in expositione Psal. 37. est vox leonis, & vrsi, propter vehementiam doloris, vel famis: ideo significat vehementiam tristitiæ, & fletus. Et nota, quòd verbum hoc rugio, rugis, rugiui, est propriè leonum: vnde hic & hæc rugibilis, & hoc rugibile, & hic rugitus, tui, penultima producta, idest clamor leonis; & componitur rugio cum in, & rugio & dicitur irrugio, gis, gire. i. ad modũ leonis clamare, vt scribitur de Esau Genes. cap. 27. qui auditis sermonibus patris sui Isaac, quod benedixit Iacob, irrugijt clamore magno, & consternatus ait, Benedic etiam & mihi pater mi; qui ait, Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam, &c.

DE LITERA S.

HÆc litera s, est semiuocalis, vt quæ sonum suum à vocali incipit, & in seipsam terminet: & si antecedat m, vel p, vel r, in simplicibus dictionibus ad subsequentem pertinet syllabam, vt Cosmus, Prosper, testis: in compositis verò aliud est, nam in aruspex, vt dicit Quintilianus, pars eius posterior à spectando est, s tertiæ dabimus: transit quandoque s, in m, vt rursum pro rursus, &c.

Sabbatum, vt docet S. Th. 1.2.q.100.art.5.ad 2. prætermissis omnibus alijs solennitatibus, & sacrificijs, de solo Sabbato fit mentio inter præcepta decalogi, quia inter omnia beneficia Dei commemoranda, primum & præcipuum est beneficium creationis, quod cõmemoratur in sanctificatione Sabbati, vt Exodi 20. pro ratione huius præcepti ponitur, Sex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, &c. inter omnia autem futura beneficia, quæ erant præfiguranda, præcipuum, & finale erat, quies mentis in Deo, vel in præsenti per gratiam, vel in futuro per gloriam, quæ etiam figurabatur per obseruantiam Sabbati: hæc enim beneficia primo & principaliter sunt in mente hominum, maxime Fidelium: aliæ verò solemnitates celebrabantur propter aliqua particularia beneficia temporalia transeuntia, sicut celebratio Phase, propter beneficium præteritæ liberationis in Ægypto, &c. Vbi nota, quòd Sabbatum dicitur à Sabbe, quod est septem; vel à Sabba, quod secundùm Assyrios etiam septem dicitur, quasi septima die septimanæ: aliquando etiam capitur pro tota septimana, vt dicitur Lucæ 8. Ieiuno bis in sabbato. i. in septimana. s. quarta, & sexta feria; vel dicitur sabbatum quasi requies, vnde sabbatizo sabbatizas, quasi requiescere: inuenitur etiam sabbatum dictum pro quolibet die septimanæ, cum additione prima sabbati, secunda sabbati, &c.

Sacerdos, quasi sacra dans: & proprium officium eius est, esse mediatorem inter Deum, & populum, inquantùm. s. diuina populo tradit, iuxta illud Malachiæ c.2. Legẽ requirent ex ore eius. s. sacerdotis: & iterum inquantùm preces populi Deo offert, & pro eorum peccatis Deo aliqualiter satisfacit, vnde Apostolus dicit ad Hębreos c.5. Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis: hoc autem maxime conuenit Christo, nam per ipsum diuina dona sunt collata: ipse etiam humanum genus reconciliauit Deo, propterea Christo maxime conuenit esse Sacerdotem. S. Tho. 3. parte, q.22. art.1. Vbi nota, quòd sacerdos est duplex, Legalis, & Euãgelicus: Sacerdos legalis est sacerdos veteris Testamenti, offerendo oblationes, & sacramenta legalia: Sacerdos verò Euãgelicus est, qui ex traditione Episcopi accipit in sua ordinatione potestatem super corpus Christi verum, conficiendum in sacrificio altaris, & super corpus Christi mysticũ, ad membra eius purganda à peccatis, &c. *Sacerdos est duplex, Legalis, & Euangelij.*

Sacerdotium est duplex, alterum legale, alterum verò quod dicitur Sacerdotium Christi; primum fuit figura secundi, non quidem quasi adæquans veritatem, sed multum ab ea deficiens, tum quia sacerdotium legale non mundabat peccata, tum etiam quia non erat æternum, sicut sacerdotium Christi. Ipsa autem excellentia sacerdotij Christi, ac sacerdotium Leuiticũ, fuit figurata in sacerdotio Melchisedech, qui sumpsit decimas ab Abraam, in cuius lumbis decimatus est quodammodo ipse sacerdos legalis, & ideo sacerdotium Christi dicitur etiam secundùm ordinem Melchisedech, propter excellentiam veri sacerdotij, ad figurale sacerdotium legis, D. Thom. 3. p. q. 22. art. 6.

Saccus, vt scribit S. Th. in expositione Psal. 29. est vestis aspera, de pilis caprarum. i. cilitium: & significat carnem Christi, & pœnitentiam in nobis. Vbi nota, quòd saccus dicitur à sagum, quia eo cõsuto, efficitur quasi sagum: & accipitur quandoque pro quacunque humiliatione, quando peccator plangit, vel deplorat propria delicta, vel delicta populi, & ingreditur Ecclesiam prætermittendo præteritas delicias, per quas Deum offenderat, vitæ austeritate compensandæ, vt scribitur de Niniuitis in prædicatione Ionæ Prophetæ.

Sacramentum, De quo S. Th. 3. p. q. 60. art. 1. & per totum residuum illius libri multa dicit, & in vniuersali, & in particulari, & quod est in genere signi: & dicitur à sacrando actiuè, sicut medicamentum à medicando, vnde habet in se aliquam sanctitatem occultam, vel ordinem ad ipsam, secundùm rationem causæ, vel signi; propterea dicitur quod est signum rei sacræ, sanctificantis homines. Et potest esse signum rememoratiuum eius quod præcessit. s. passionis Christi; & demonstratiuum eius quod in nobis efficitur, per Christi

T passionem,

ne de sanguinibus: quandoque etiam pro progenie, vt solemus dicere, ille est de sanguine meo. i. parens meus, vel filius. Capitur etiam, vt dictum est, pro humore quodam calido, & humido, vt est sanguis humanus, quo fouetur corpus humanum.

Sapientia qua formaliter sapientes sumus, est quædam participatio diuinæ sapientiæ, qua Deus est, ita etiam Charitas, qua formaliter diligimus proximum, est quædam participatio diuinæ charitatis, sicut bonitas, qua formaliter boni sumus, est quædam participatio diuinæ bonitatis. S. Th. 2.2. q. 23. art. 2. ad 1. Vbi nota, quòd sapientia dicitur à sapio sapis, quasi sapida scientia. Et capitur vno modo pro Theologia quam acquirimus per studium sacræ scripturæ: Secundo accipitur pro charitate, iuxta illud, Beatus vir qui in sapientia morabitur. i. in charitate: Tertio pro quadam virtute intellectuali, & speculatiua, quæ est nobilissima inter omnes alias virtutes: Quarto pro aliqua notitia supranaturali, siue infusa immediatè à Deo ex inspiratione diuina, vel mediatè: Quinto pro collatione omnium virtutum, tam intellectualium, quàm moralium: vnde sapiens hoc modo nil aliud est, quàm perfectè virtuosus. Sapientia quoque dicit cognitionem veram, & nobilissimam per altissimas causas, vt est cognitio diuina, ad differentiam, quæ est cognitio rerum humanarum: nam sapientia est in contemplatione æternorum, scientia verò in occupatione temporalium. Et quia sapientia potest esse duplex, Increata, & creata; Increata est duplex, Altera essentialiter, quæ est idem quod diuina essentia; Altera verò personaliter, quæ dicitur Sapientia genita, & est idem quod diuinum Verbum; sapientia verò creata est duplex etiam, Angelica, & humana: Et quoad nomen, sapientia idem est, quod saporosa scientia, quia sapor respicit affectum, desiderium, appetitum, & voluntatem personę illius, cui inest, & ideo potest in aliquo magna scientia, vel cognitio esse, in quo erit modica, vel nulla sapientia, &c. *Sapientia dicitur quasi sapida scientia.*

Satisfactio, est peccatorum causas excidere, & eorum sugestionibus aditum non indulgere: & importat adæquationem, & æqualitatem, ex consequenti est actus iustitiæ: & quia actus iustitiæ vel est sui ad alterum, vt quando aliquis reddit alteri, quod ei debet; vel alterius ad alterum; siue quando iudex facit iustitiam inter duos, quando autem actus iustitiæ est sui ad alterum, æqualitas in ipso faciente constituitur, quando autem alterius ad alterum, æqualitas constituitur iniustum passo: & quia satisfactio æqualitatem exprimit in ipso faciente, dicit actum iustitiæ, qui est sui ad alterum propriè loquendo, sed sui ad alterum potest aliquis facere iustitiam, vel in actionibus, & passionibus, vel in rebus exterioribus, sicut etiam iniuria fit alteri, vel subtrahendo res, vel per aliquam actionem lædendo: Ex his ergo patet, quod satisfactio, quæ æqualitatem respectu offensę præcedentis facientem importat, est opus iustitiæ, quantùm ad illam partem, quæ pœnitentia dicitur. S. Th. 4. sent. dist. 15. q. 1. art. 2. ad 2. quæst. Vbi nota, quòd satisfactio capitur primo vt est redditio voluntaria æquiualentis, aliàs indebiti, & pertinet ad iustitiam commutatiuam. Potest etiam & satisfactio accipi vt est operatio exterior laboriosa, seu pœnalis, voluntariè assumpta, ad puniendum peccatum commissum à se, ad placandum diuinam offensam. Vel satisfactio est Deo debitum honorem pro commissa culpa impendere. Et est duplex, reconcilians, & placans Deum; & propterea non potest fieri de vno peccato, & non de alio, quia impium est à Deo dimidiam sperare veniam, &c. *Satisfactionis modus, & definitiones.*

Scandalum, est dictum, vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ: & græcè scandalon dicitur, latinè verò offensionem vel ruinam, & impactionem pedis dicere possumus: contingit enim quod quandoque aliquia obex ponitur alicui in via corporali, cui impingens, disponitur ad ruinam, & talia obex dicitur scandalum: & similiter in processu viæ spiritualis, contingit aliquem disponi ad ruinam spiritualem, per dictum, vel factum alterius, inquantùm s. aliquis sua admonitione, vel inductione, aut exemplo alterum trahit ad peccandum, & hoc propriè dicitur scandalum: nihil autem secundùm propriam rationem disponit ad spiritualem ruinam, nisi secundùm quod habet aliquem defectum rectitudinis, quia id quod est perfectè rectum, magis munit hominem contra casum, quam ad ruinam inducat: & idem conuenienter dicitur, quod dictum, vel factum, minus rectum præbens occasionem ruinæ, fit scandalum. Et est duplex; Actiuum, seu datum: & passiuum, seu acceptum, S. Thomas 2.2. q. 43. per totam. *Scãdalum est duplex, actiuum, & passiuum.*

Scenofegia, erat festum taberna culorum, per dies septem, propter beneficium deductionis, & protectionis in deserto, vbi in tabernaculis habitarunt: vnde in hoc festo debebant habere fructum arboris pulcherrimæ. i. citrum, & lignum densarum frondium. i. mirtum, quæ sunt odorifera, & spatulas palmarum, & salices de torrente, quæ diu retinent suum

virorem: & hæc inueniuntur in terra promissionis, ad significandum, quod per aridam terram deserti eos duxerat Deus ad terram deliciosam: & significat peregrinationem sanctorum in hoc mundo, cui nunc succedit festum Consecrationis Ecclesiæ. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. in resp. ad 10.

Scientia speculatiua vel practica; dicitur tripliciter.

Scientia dicitur speculatiua, vel practica tripliciter; Primo ratione rerum scitarum; Secundo ratione modi sciendi; Tertio quantùm ad finem, nam intellectus practicus differt fine ab intellectu speculatiuo, vt notat S. Thom. p. p. q. 14. art. 16. Vbi nota, quòd scientia speculatiua est triplex. s. naturalis, mathematica, & metaphysica, secundùm triplicem abstractionem à materia. s. secundùm esse tantùm, secundùm rationē tantùm, & secūdùm esse, & rationem simul. Et dicuntur scientiæ speculatiuæ bonæ, & honorabiles, practicæ verò laudabiles: & hinc est, quòd speculatiuæ procedunt modo resolutorio, practicæ verò modo compositiuo. Ex hoc etiam habes de scire, quod est duplex; Practicum, & speculatiuum: vtrumque quoque duplex esse potest; quia vel scire importat cognitionem habere de aliquo, quo pacto connotat actualem euidentiam cogniti; & sic non potest Deus aliquid incipere scire. i. incipere habere alicuius cognitionem; Alio modo scire significat nosse aliquid esse verum, vel in vniuersali, vel in particulari, abstrahendo ab existentia, & non existente, quo pacto Deus scit omnia complexa, & incomplexa, necessaria, & contingentia, vera, & falsa, possibilia, & impossibilia, quæ sunt, & quæ non sunt, iuxta dictum Apostoli. Vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt.

Scriptura tradit aliqua sub metaphoris, & aliqua in diuersis locis expressè ponit. Et vtitur metaphoris propter necessitatem, & vtilitatem, quia Deus omnibus prouidet secundùm quod competit eorum naturæ: est autem naturale homini vt per sensibilia ad intelligibilia veniat, quia omnis nostra cognitio à sensu initium habet. S. Thomas p. p. q. 1. art. 9.

Scriptura sacra, sacra dicitur tripliciter.

Vbi nota, quòd Scriptura sacra, dicitur sacra tripliciter. s. à Spiritu sancto, à materia, & ab effectu: qui effectus potest esse quintuplex. s. docere veritatem, arguere falsitatem, eripere à malo, inducere ad bonum, & perducere ad perfectum. Quadrupliciter autem exponitur, Literaliter, Allegoricè, Tropologicè, & Anagogicè; sicut hoc nomen Hierusalem, significat literaliter ciuitatem illam terrestrem; Allegoricè Ecclesiam militantem; Tropologicè animam fidelem; Anagogicè cœlestem Hierusalem: & propterea sententia illa, Lauda Hierusalem Dominum, potest omnibus his modis exponi, & interpretari, &c.

Scisma, hoc nomen à scissura animorum vocatum est: scissio autem vnitati opponitur, vnde peccatum scismatis dicitur, quod directè, & per se opponitur vnitati: sicut enim in rebus naturalibus, id quod est per accidens non constituit speciem, ita etiam nec in rebus moralibus, in quibus id quod est intentum est per se, quod autem sequitur præter intentionem, est quasi per accidens: & ideo peccatum scismatis propriè est speciale peccatum, ex eo quod intendit se ab vnitate separare, quam charitas facit, quæ non solùm alteram personam alteri vnit spirituali dilectionis vinculo, sed etiam totam Ecclesiam in vnitate spiritus: & ideo propriè scismatici dicuntur, qui propriè, sponte, & intentione se ab vnitate Ecclesiastica separant, quæ est vnitas principalis: nam vnitas particularis aliquorum ad inuicem, ordinatur ad vnitatem Ecclesiæ, sicut compositio singulorum membrorū in corpore naturali ordinatur ad vnitatem totius corporis. Ecclesiæ autem vnitas in duobus attenditur. s. in coniunctione membrorum Ecclesiæ ad inuicem, seu communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad vnum caput, quod quidem est Christus, cuius vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex: & ideo scismatici dicūtur, qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant: & propterea scisma est peccatum, licet minus, quàm infidelitas. S. Th. 2. 2. q. 39. art. 1. & 2.

Scrupulum à quo scrupulosus, seu sollicitus, & anxius dicitur; est enim timor conscientiæ, quando non sic finaliter, post discussionem, & deliberationem, ex diffinitiua sententia iudicatur & firmatur aliquid esse faciendum, aut prosequendum, vel non faciendum, vel vitandum, sed mens inter dubia vacillat, nec sciens quid sit melius, nec ad quid potius teneatur, non tantùm quoque modo vellet omittere quidquid sciret esse placitum diuinæ voluntati: & contra istum timorem seu scrupulum conscientiæ facere, non semper est peccatum, licet perniciosus valde sit, & quantū fieri potest abijciendus, & extinguendus, quia talis scrupulus, seu hæsitatio, est dubitatio quædam seu formido, consurgens ex aliquibus coniecturis debilibus, & incertis, & sic stat cum morali certitudine, quia pusillanimes nonnunquam intentionem intendentes redduntur à nimia scrupulositate conscientiæ, quæ quidem non est bona, vtpote cùm quis de venialibus, & leuibus peccatis, sine quibus vita

nostra

nostra vix, aut nullatenus transigi potest, & pœna, de omni actione sua continuam quam sibi format conscientiam, plus huiusmodi ponderans lance iustitiæ, quàm diuinæ misericordiæ: & hoc præsertim vltra debitum, ac si sua iustitia tantùm, quàm Dei misericordia potius saluandus sit; propterea tales deuoti debent deponere has scrupulositates, quia omne quod est contra conscientiam, peccatum est, vt docet S. Thom. de conscientia erronea, in disputatis, in quibus latius disputat de hoc negocio.

Homo non iustitia tantùm Dei, sed etiam misericordia saluandus est.

Scurrilitas procedit quidem ex actu gulæ, non autem ex actu luxuriæ, sed ex eius voluntate, & ideo ad vtrunq; vitium potest pertinere. S. Th. 2. 2. q. 148. art. 6. ad 3. Vbi nota, quòd scurrilitas pertinet ad verba, ratione inhonestatis; multiloquium verò, ratione superfluitatis. Et est quædam iocularitas ex defectu rationis, non valentis cohibere gestus exteriores. Et differt scurrilitas à stultiloquio, quia scurrilitas refertur ad lasciuiam affectionis, stultiloquium verò ad indiscretionem rationis. Et est peccatum mortale, vt docet Apostolus ad Ephesios 5. Non nominetur in vobis turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, quia nullius vtilitatis sunt, &c.

Seculum nil aliud est, quàm periodus cuiuslibet rei, vt notat S. Th. 1. par. q. 10. ar. 2. ad 2. Vbi nota, quòd seculum propriè, tempus, & ætatem longam significat: aliquando capitur pro hominibus in seculo existentibus, vnde prohibetur religiosis cum seculo conuersari, & negocia secularia pertractare, iuxta dictum Apostoli, Nemo militans Deo, se negocijs secularibus immiscere debet, quia vita religiosorum debet esse in claustris, & monasterijs exhibens continuè Deo cultum.

Secundùm quod ipsum, & prædicari per se, & vniuersaliter, se habent ex additione, vt docet S. Th. 1. Post. lect. 9. vbi notat, quòd hæc dictio secundùm, facit multiplicem intelligentiam: quia aliquando significat habitudinem causæ, vel materialis, vt homo secundùm quod est ex elementis, est corruptibilis; aliquando formalis, vt homo secundùm quod est rationalis, est risibilis; aliquando dicit indiuisionem concomitantiæ, exempli gratia, Christus secundùm quod homo operatus est salutem nostram, & dimittebat peccata, iuxta illud Matthæi 9. Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.

Secretum, vt docet S. Th. in Esaiæ c. 24. potest dici magnum, vel dignitate eorum, quorum est, & incertitudine aliorum. Vbi nota, quòd secretum dicitur quasi occultum, & separatum, vel quod paucis communicatur: vnde locus secretus est, quasi ab alijs separatus. Et secretum, quod non potest celari sine peccato, commissum fidei alicuius, non debet reuelari, etiam ad præceptum alicuius Prælati, quia celare secretum, & vitare fraudem, est de lege naturæ. Et nullus Prælatus, quantumcunque magnus, etiam Summus Pontifex potest aliquid præcipere contra legem naturæ, quia minor lex non potest in maiorem, sed lex naturæ maior est lege cuiuscunque personæ; propterea secretum commissum fidei alterius celare est de lege naturæ, contra quam nullus potest: & ideo secretè teneri debet, quod in secreto acceptum est: multo amplius sigillum confessionis secretum esse debet: vnde etiam pro morte perferenda, nec verbo, nec ioco, nec signo reuelari debet: & qui reuelat secretum sibi commissum, incurrit crimen proditionis, ex consequenti peccat mortaliter.

Securitas dicitur per remotionem huius curę, quam timor ingerit: & ideo securitas importat quandam perfectam quietem animi à timore. Et pertinet ad fortitudinem, inquantum vel cum audacia, ita & securitas pertinet ad magnanimitatem, inquantùm repellit desperationem. S. Th. 2. 2. q. 129. art. 7. Vbi nota, quòd securitas opponitur timori priuatiuè tantùm, audacia verò contrariè: & non est idem quod fortitudo, sed est conditio eius, & magnanimitatis. Et dicitur securus, quasi sine cura; seu seorsum à cura. Securè est aduerbium, securitas est nomen. Et dicitur tranquillitas, vel quies animi, vt dictum est.

Securus dicitur quasi sine cura.

Sedes significat quietem, iuxta illud, Sedete hic in Ciuitate. Significat etiam regiam, vel iudiciariam potestatem: & vtrunq; conuenit Christo prout sedet ad dexteram Patris, S. Th. 3. p. q. 88. art. 2. Vbi nota, quòd sedes accipitur aliquando pro Deo, siue Christo, qui requiescit in summa pace, quæ superat omnem sensum. Et est duplex sedes; Altera hic in Ecclesia militanti; Altera in Ecclesia triumphanti per gloriam. Sedere, est verbum, & aliquando significat situm in loco, aliquando possidere, aliquando verò quiescere à labore; & sic Christus sedet ad dexteram Patris, quia non amplius patitur.

Seditio est quoddam speciale peccatum, quod quantum ad aliquid conuenit cum bello, & rixa, quantum autem ad aliquid differt ab eis: conuenit quidem cum eis in hoc, quod importat quandam contradictionem; differt autem ab eis in duobus, Primo quidem, quia

bellum,

Seditio, & rixa inter se differunt. bellum, & rixam importaut mutuam impugnationem in actu, sed seditio potest dici, siue fiat huiusmodi impugnatio in actu, siue sit præparatio ad talem impugnationem: Secundo differunt, quia bellum propriè est contra extraneos, & hostes, quasi multitudinis ad multitudinem; rixa autem, est vnius ad vnum, vel paucorum ad paucos, seditio autem propriè est inter partes vnius multitudinis inter se dissentientes, puta cùm vna pars Ciuitatis excitatur in tumultum contra aliam, & ideo, quia seditio habet speciale bonum, cui opponitur, scilicet vnitatem, & pacem multitudinis, ideo est speciale peccatum: hinc seditiosus dicitur, qui seditionem excitat, & discordiam seminat. S.Th.2.2.q.42.art.1.

Semen est superfluum, quo homo indiget: dicitur enim superfluum ex eo, quod residuū est operationis virtutis nutritiuæ, tamen indigetur eo ad opus virtutis generatiuæ, & ideo aliæ superfluitates humani corporis sunt quibus non indigetur, propterea non refert qualitercunq; emittantur, salua decentia conuictus humani, sed non est simile in emissione seminis, quæ taliter debet fieri, vt conueniat fini, ad quæ eo indigetur. S.Th.2.2.q.153.art.3. ad 1.arg quod erat tale, Per actum venereum semen emittitur, quod est superfluum alimenti, sed in emissione aliarum superfluitatum non attenditur aliquod peccatum, ergo neque in emissione seminis. Sed non est eadem similitudo, quia semen est corpus quoddam, cuius forma intenditur à natura, propter alterum, vt ex illo generetur aliquid simile agenti. Et extenso nomine dicitur non solùm sperma, sed etiam menstruum. Et est album, quia est spumosum, vt possit continere spiritum vitalem, &c.

Senectus habet reuerentiam, non propter conditionem corporis, quod in defectum est, sed propter sapientiam animæ, quæ ibi esse præsumitur ex temporis antiquitate: vnde in electis manebit reuerentia senectutis, propter plenitudinem diuinæ sapientiæ, quæ in eis erit, sed non manebit senectutis defectus. S.Th. 4. sent. dist. 44. q. 1. art. 3 q. 2 ad 4. Vbi nota, quòd senectus est vltima ætas, durans aliquando quantum omnes aliæ ætates. & est occasus vitæ. & sexta hominum ætas dicta à senario numero, vel à sentiendo, quod in eo sensus deficiunt; vel à senesco, &c.

Senex quasi seminex. Senex est incredulus, quia sæpesæpius expertus est falsitatem: & est impatiens, vt scribit S.Th. in expositione Epistolæ ad Titum secundæ cap. 2. Et nota, quòd senex dicitur quasi seminex, quod acta maiore parte suæ ætatis, iam morti propinquior est. Officium senis esse debet, vt libenter maneat in Ecclesia; iuuenibus bonum exemplum præbeat; de maledicendo, siue malefaciendo ipsos reprehendat; turpia verba non habeat; nec laudes malitias coram iuuenibus; mulierculas à bono non retrahat; nec iuuenis laudet in superbijs suis, ne de ipso verificetur dictum Danielis, Puer centum annorum: & vt hoc officium possit ritè obseruari, senex in iuuentute debet amplecti virtutē, aliter si potest Æthyops pellem suam mutare, & Pardus varietates suas, ita & senex poterit benefacere, cùm didicerit malè, &c.

Sensibile est duplex; Commune, vt est figura, magnitudo, & motus; datur etiam & sensibile proprium, vt coloratum respectu visus, & sonus respectu auditus, & sic de alijs sensibilibus proprijs, quæ non contingunt sentiri altero sensu, & circa quæ non contingit errare. Datur etiam & sensibile per accidens, vt substantia hominis, inquantum substantia, est sensibile per accidens, vt notat S.Thom.p.p.q.17.art.2. vbi disputat, num in sensu sit falsitas. Et animaduerte, quòd sensibile dicitur aliquando illud, quod est aptum natū elicere sensationem, quo modo animal tantùm dicitur sensibile: dicitur & aliquando sensibile repræsentatiue, videlicet, quod est aptum natum natum repræsentare aliquod obiectum sensibile, & hoc pacto species obiectorum sensibilium, dicuntur sensibiles: Tertio sensibile dicitur obiectiuè, quod potest esse obiectum sensus, & sic distinguitur sensibile per sensibile proprium, vt color, & commune, vt magnitudo, & motus; & per accidens vt substantia, &c.

Sensus quintuplex, visus, auditus, gustus, tactus, & olfactus. Sensus est potentia corporalis, & organica, vt notat S.Tho. 1.par.q.12.art.3. vbi disputat num essentia Dei videri possit oculis corporalibus? Et nota, quod sensus dicitur tripliciter; aliquando pro potentia; aliquando pro ipsa anima sensitiua; & aliquando pro actu. Et est quintuplex sensus pro ipsa potentia sensitiua, quemadmodum quinque sunt modi immutationis ab obiectis, scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus. Et non potest sensus percipere, nec incorporalia, nec vniuersalia, nec plura corporalia simul, sed vt vnum tantùm: & est potentia passiua, vnde non datur sensus agens, nec interior, nec exterior: sensus enim interior est quadruplex, secundùm quatuor modos operationum, scilicet sensus communis, imaginatiua, æstimatiua in alijs animalibus, siue cogitatiua in homine, memoratiua, sensitiua, &c.

Sensualitas, & sensibilitas differunt; sensibilitas enim omnes vires sensitiuæ partis comprehendit, tam apprehensiuas deforis, quàm apprehensiuas de intus, quàm etiam appetitiuas: sensualitas autem magis propriè illam tantùm partem nominat, per quam mouetur animal in aliquod, ad petendum, vel fugiendum: sic autem est in intelligibilibus, quod illud quod est apprehensum, non mouet voluntatem nisi apprehendatur sub ratione boni, vel mali, &c. S. Th. 2. sent. dist. 24. q. 2. art. 1. Vbi nota, quòd sensualitas dupliciter potest considerari; Vno modo in se, & simpliciter, & sic reperitur in furiosis, & infantibus, sicut & in alijs hominibus, vnde in ea non potest esse peccatum; Secundo consideratur non simpliciter in se, sed quodammodo respectiuè, prout. s. est ordinabilis quodammodo ad rationē, & est ab ea persuasibilis; & sic in ea peccatum esse potest, vnde motus sensualitatis deordinatus quando non causatur à voluntate, nec antecedenter, nec consequenter, potest esse sine peccato, vt quando caro calesit ex aliqua indeliberata apprehensione surreptitia, vel sine apprehensione: Secundo aliquando est cum peccato veniali, & hoc tunc est, cùm talis inordinatio insurgit in sensualitate per negligentiam: Tertio poterit esse cum peccato mortali, quando. s. est contra actum prohibitum, & insurgens ex voluntatis consensu deliberato, vel quando acceptatur, & retinetur, sicut est in cogitatione morosa: morosa dico, nō tam mora temporis, sed mora consensus potius, quia amans periculum perit in illo, &c.

Sententia dicitur ab assentiendo: & est determinata acceptio alterius partis contradictionis. Oportet quod qui assentit, intellectum ad alteram partem contradictionis determinet; quod quidem contingit tripliciter, secundùm triplicem nostri intellectus considerationem: Primo enim intellectus noster consideratur secundùm se, vt apprehendit prima principia, & talis apprehensio vocatur visio: Secundo, vt resoluit conclusiones in principia per se nota, & sic vocatur assensus sententiæ: Tertio consideratur in ordine ad voluntatem, & sic assentire vocatur credere, S. Th. 3. sent. dist. 23. q. 2. art. 2. respondendo ad 1. q. Vbi animaduertit, quòd sententia deriuatur etiam à sentio, sentis, quia sententias ita sentit, ille qui profert eas: & ex hoc vocatur liber sententiarum. Dicitur etiam sententia decretum, vel dictamen, vel iudicium superioris, vel iudicialis definitio, quæ controuersijs finem imponit, pronunciatione competentis iudicis, commendationem, vel absolutionem continens: & est applicatio iuris ad particulare factum. Et potest esse iusta, vel iniusta, & hoc vel ex animo, vel ex causa, vel ex ordine, cùm prætermittitur ordo iuris: sentire verò propriè dicitur sensu percipere, quod ad corpus duntaxat pertinet: aliquando sentire ponitur pro intelligere: aliquando verò pro iudicare, secundùm quod diuersimodè à Doctoribus ordinatur ad diuersa, &c.

Sententia duplex, iusta, vel iniusta, & hæc vel ex animo, vel ex causa, vel ex ordine.

Sepultura in loco sacro impio defuncto non nocet, nisi quatenus hanc sepulturam sibi indignam, propter humanam gloriam procurauit. S. Th. 4. sent. dist. 45 q. 2 art. 3. q. 3. ad 5. Vbi animaduerte, quòd sepultura, est locus concauus in loco Ecclesiastico, vel cœmiterio facto, in quo corpus Catholici requiescit: seu dicitur locus concauus, in quo ossa defunctorum conduntur. Et debet fieri apud Ecclesiam consecratam: & inuenta est, ne horror, & fœtor sit viuis, & ad fidem resurrectionis futuræ, & vt oretur pro defunctis: hinc sepultus dicitur, non quasi sine pulsu (vt quidam volunt) sed à sepeliendo, sepelio verò à sepiendo, quia cadauer terra, vel lapide, vel alio genere materiæ circumsepitur. Et aliquando sepultura significat sepulchrum; aliquando actum sepeliendi; aliquando officium, quod impenditur sepeliendis à Clericis; aliquando terra deputata sepulturæ, &c.

Seraphin interpretantur ardentes, seu accendentes; Cherubin verò interpretatur plenitudo scientiæ, quod potest esse cum peccato mortali: Seraphin autem cùm denominetur ab ardore charitatis, quæ cum peccato mortali esse non potest. Primus Angelus peccans, non est denominatus Seraphin, sed Cherubin, vt docet S. Th. p. p. q. 63. art. 3. ad 1. Et nota, quòd aliquando est numeri pluralis, & neutri generis, & significat multitudinem Angelorum illius ordinis; aliquando verò quando est masculini generis, significat Angelum vnum illius ordinis. Et est supremus, non solùm in charitate, sed etiam in scientia, &c.

Primus Angelus, qui peccauit, non est denominatus Seraphin, sed Cherubin.

Seruitus quæ est de iure gentium, est naturalis, non quidem absolutè, sed ratione vtilitatis consequentis, scilicet quod quis regatur à sapiente, & iuuet eum, vt notat S. Th. 1. 2. q. 94. art. 5. & 3. Vbi nota, quòd seruitus naturaliter refugitur, quia est impeditiua boni vsus potestatis, & est contra naturam, quoad primam intentionem naturæ, non autem cōtra secundam, quia naturalis ratio ad hoc inclinat, & hoc appetit natura, vt quilibet sit bonus: sed ex quo aliquis peccat, natura ēt inclinat, vt ex peccato pœnā reportet; & sic seruitus in pœnā peccati est introducta. Et pōt esse triplex seruitus. s. peccati, hominis, & Dei.

Signum quantùm in se est, importat aliquid manifestum quo ad nos, quo manuducimur in cognitionem alicuius occulti: & quia frequentius effectus sunt nobis manifestiores causis, ideo signum quandoque contra causam diuiditur, sicut demonstratio quia est, quæ dicitur esse per signum à communi, demonstratio autem propter quid, est per causam: & hinc est, quòd signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se, faciens in cognitionem venire. Signorum verò, Alia sunt naturalia, vt fumus significans ignem; alia data: & eorum quæ data sunt, quædam sunt sacramenta, quædam non. S. Thom. 4. sent. dist. 1. q. 1. art. 1.

Signa dupli cia, naturalia, & data.

Sillogismus incontinentis habet quatuor propositiones, duas vniuersales; quarum vna est rationis, puta nullam fornicationem esse committendam; alia est passionis, puta delectationem esse sectandam: passio igitur ligat rationem, ne assumat & concludat sub prima, vnde ea durante assumit & concludit sub secunda. S. Thom. 1. 2. q. 77. ar. 2. ad 4. Vbi nota, quòd hoc non est contrarium ei quod dicitur, syllogismum constare ex tribus propositionibus, quoniam hoc intelligendum venit de syllogismo prioristico, posterioristico, topico, & sophystico, qui sunt syllogismi rationis, non autem de syllogismo incontinentis, &c.

Simbolum, vt ait S. Th. 3. sent. dist. 25. q. 1. art. 1. q. 3. importat similitudinem & collectionem: vnde à quatuor collectionibus nomen symboli imponitur. Primo à collectione multorum hominum in vnam Fidem; Secundo à collectione prædicantium Fidem, quia omnes Apostoli collecti, hanc regulam Fidei ediderunt, vnusquisque quod suum est apponens; Tertio, quia ex diuersis locis sacræ Scripturæ colliguntur ea, quæ credenda sunt, vt in promptu habeantur; Quarto omnia beneficia diuinitus collata ibi colliguntur. Et est Symbolum Apostolorum, Niceni, & Athanasij.

Symbolum triplex, Apostolorum, Niceni, & Athanasij.

Similitudo attenditur secundùm conuenientiam, vel communicationem in forma; & ideo est multiplex similitudo, secundùm multos modos communicandi in forma: quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundùm eandem rationem, & secundùm eundem modum, vt duo æqualiter alba; quædam secundùm eandem rationem, & non secundùm eundem modum, vt magis album, & minus album; tertio aliqua dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundùm eandem rationem, vt patet in agentibus non vniuocis, &c. S. Th. p. q. 4. art. 3.

Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi aliquid spirituale, vel spiritualitati annexum, & licet sit infidelitas in mente, tamen secundùm exteriorem protestationem potest esse hæresis. 2. 2. q. 100 art. 1.

Simplicitas dicitur per oppositum duplicitati, quia scilicet aliquis aliud habet in corde, & aliud ostendit exterius, & sic simplicitas pertinet ad virtutem veritatis, & facit intentionem rectam, non quidem directè, quia hoc pertinet ad omnem virtutem, sed excludendo duplicitatem, qua homo vnum prætendit, & aliud intendit. S. Th. 2. 2. q. 109. art. 2. ad 4. Et nota, quòd simplex etiam dicitur, quasi sine plica, eò quod caret partibus, vt Deus, Angeli, & anima nostra. Datur etiam simplex in respectu, vt elementum respectu mixti. Dicitur etiam simplex ille, qui caret literis, &c.

Simpliciter potest accipi dupliciter, Vno modo secundùm quod simpliciter idem est, & absolutè, sicut simpliciter dicitur, quod nullo addito dicitur, & hoc modo corpus Christi mortuū & viuum simpliciter fuit idem numero, quia non habuit aliam hypostasim viuum & mortuum; Alio modo simpliciter idem est, quòd omnino vel totaliter, & sic corpus Christi mortuum & viuum, non fuit simpliciter idem numero, quia non fuit totaliter idem, cùm vita sit aliquid de essentia corporis viuentis, est enim prædicatum essentiale, & non accidentale. S. Th. 3. p. q. 50 art. 5.

Simpliciter est duplex, idem quod absolutè, & idē quod totaliter.

Sinderesis absolutè, vel nominat habitum naturalem, similem habitui principiorum, vel nominat ipsam potentiam rationis, cum tali habitu; & quodcunq; hoc fuerit non multum differt, quia hoc non facit dubitationem, nisi circa nominis significationem. Quod autem ipsa potentia rationis, prout naturaliter cognoscit, synderesis dicatur, absq; omni habitu esse non potest, quia naturalis cognitio rationi conuenit, secundùm aliquem habitum naturalem, vt de intellectu principiorum patet. S. Th. de ver. q. 16. art. 1.

Synesis importat iudicium rectum, non quidem circa speculabilia, sed circa particularia operabilia, circa quæ etiam est prudentia: vnde secundùm synesim dicuntur aliqui in Græco synecti. i. sensati, sicut è contrario qui carent hac virtute, dicuntur asynecti. i. insensati: & ideo oportet præter eubuliam, quæ est virtus benè consiliatiua, elicitiuè esse aliam virtutem, quæ est bene iudicatiua, & hæc dicitur synesis. S. Th. 2. 2. q. 51. art. 3.

Singulare est duplex; Alterum simpliciter, vt indiuiduum, puta Socrates, & Callias, quæ cognoscuntur sensu, iuxta illud, Sensus est singularium; Alterum est singulare in respectu, quod est minus vniuersale, vt species, puta homo, & leo; & hoc singulare est notum secundùm intellectum, quia est minus vniuersale. S.Th. 1. Phys.tex.2. exponens illa verba, Vnde est vniuersalibus ad singularia oportet procedere, &c.

Sobrietas, vt scribit S.Th.2.2.q.149.art.1. nomen eius sumitur à mensura: dicitur enim aliquis sobrius, quasi briam .i. mensuram seruans, & ideo illam materiam specialiter sibi sobrietas adscribit, in qua maxime laudabile est mensuram seruare, huiusmodi autem est potus, inebriare valens, quia eius vsus mensuratus multum confert, & modicus excessus multum lædit, quia impedit vsum rationis, magis quàm excessus cibi. S.Th.2.2.q.149.ar.1.

Solertia ad hoc pertinet vt homo bene se habeat in acquirendo rectam æstimationem, per seipsum, ita tamen vt solertia accipiatur pro eustochia, cuius est pars: nam eustochia est bene coniecturatiua, de quibuscunque, solertia autem est facilis, & prompta coniecturatio; circa inuentionem medij: propterea dicitur habitus, qui prouenit ex repentino, inueniens quod congruit, nedũ in demonstratiuis, sed etiam in operatiuis, &c. 2.2.q.49.ar.4.

Sollicitudo importat studium quoddam adhibitum ad aliquid consequendum: manifestum est autem quòd maius studium adhibetur, vbi est timor deficiendi: & ideo vbi est securitas consequendi, minor interuenit sollicitudo. Sic ergo sollicitudo rerum temporalium tripliciter potest esse illicita; Primo ex parte rerum temporalium; Secundo ex parte superflui studij; Tertio ex parte superflui timoris, &c. S.Th.2.2.q.55.art.6.

Sollicitudo rerũ temporalium tripliciter est illicita.

Solus potest accipi dupliciter; Vno modo, vt dictio cathegorematica, quæ absolutè ponit rem significatam circa aliquod suppositum, vt albus circa hominem, cùm dicitur homo albus, & sic non adiungitur alicui termino in diuinis, quia poneret solitudinem circa terminum cui adiungitur, & sequeretur Deum esse solitarium; Alio modo accipitur, vt dictio sincathegorematica, quæ importat ordinem prædicati ad subiectum, sicut hæc dictio omnis, vel nullus, & similiter hæc dictio solus, quia excludit omne aliud suppositum à consortio prædicati, & sic potest addi termino essentiali, dicendo, Solus Deus est æternus, idest nihil præter Deum est æternum, &c. S.Th.p.p.q.31.art.3.

Somnus, vt ait S.Th. in exp. epist. ad Rom. cap. 13. lect. 3. supra illis verbis, Hora est de somno surgere, aliquando significat somnum naturæ, aliquando autem mortem, aliquando quietem animalium virtutum, aliquando quietem contemplationis, aliquando gratiam, aliquando æternam gloriam, aliquando negligentiam, Vsquequo piger dormis? aliquando culpam, Exurge qui dormis, & illuminabit te Christus, & sic intelliguntur illa verba, Hora est, &c. Et nota, quòd somnus est ligamentum omnium sensuum, secundùm Philosophos, & est impotentia sentiendi, propter excessum vigilandi, & est passio naturalis causata ex euaporatione vaporum à nutrimento, ingrossata à frigiditate cerebri propter salutem animalis ruendam, &c.

Sors propriè dicitur, cùm aliquid fit, vt eius euentu considerato aliquid occultum innotescat: & quidem si quæratur iudicio sortis quid cui sit adhibendum siue illud sit res possessa, siue sit honor, seu dignitas, seu pœna, aut actio aliqua, vocatur sors diuisoria: si autem requiratur quid agere oportet, dicitur sors consultoria: si verò quæratur quid sit futurum, dicitur sors diuinatoria. Et in vsu sortis quadrupliciter interuenit peccatum; Primo, si absq; necessitate; Secundo, si absq; reuerentia; Tertio, si diuina oracula ad terrena negocia conuertantur; Quarto, si in electionibus Ecclesiasticis. In diuisione verò temporalium rerum, si necessitas immineat, licitum est, cum debita reuerentia sortibus vti. S.Thomas 2.2.q.95.art.8.

In vsu sortis quadrupliciter potest esse peccatum.

Species potest dupliciter esse communis pluribus; Primo secundùm rem, & rationem, sicut natura humana communis est multis secundùm rem & rationem; Secundo potest esse communis multis secundùm rationem tantùm, non secundùm rem, vt natura solis, quæ intelligitur vt in pluribus suppositis existens, & hoc ideo, quia intellectus intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari: vnde esse in vno supposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei, vnde seruato intellectu naturæ speciei, potest intelligi vt in pluribus existens, vt docet S.Thomas p.p.q.13.ar.9. vbi disputat si hoc nomen Deus, sit communicabile, &c.

Spectaculum, vt scribit S.Th.2.2.q.167.ar.2. eius inspectio redditur vitiosa, inquantùm per hoc homo fit pronus ad vitia, vel lasciuiæ, vel crudelitatis, per ea quæ ibi repræsentantur: vnde Chrysostomus dicit, quòd adulteros inuerecundos cõstituunt tales inspectiones.

Vbi nota, quòd spectaculum aliquando dicitur ipsamet spectatio, vt dici solet, O spectaculum miserum, atq; acerbum; aliquando dicitur res quæ spectanda exhibetur; aliquando locus vnde spectatur, hinc spectatores, qui ad ludos spectandi causa conueniunt, spectator pugnæ dicitur, qui pugnæ non se admiscet, sed securus eius exitum expectat. Tractum autem à ludorum spectatoribus, qui histrionibus in scœna fabulam agentibus otiosi, desident, &c.

Aliud est videre Deum in speculo, & aliud per speculum.

Speculatio dicitur à speculo, non à specula: videre autem aliquid per speculum, est videre causam per effectum, in quo eius similitudo relucet: vnde speculatio ad meditationem reducitur, vt ait S. Th. 2. 2. q. 180. art. 3. ad 2. Vbi animaduerte, quòd aliud est videre Deum per speculum, & aliud est videre Deum in speculo: primo modo est videre Deum per Fidem, iuxta dictum Apost. Videmus nunc per speculum in ænigmate, &c. secundo verò modo est, in ipsa creatura claré intueri Deum, & spectat ad cognitionem vespertinam, &c.

Spes est certa expectatio futuræ beatitudinis: quod potest accipi ex hoc quod dicitur 2. ad Tim. cap. 1. Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare, vt notat S. Thom. 2. 2. q. 18. art. 4. Et animaduerte, quòd nedum in quæst. 18. disputat de spe per quatuor art. num spes sit in voluntate, an sit in ipsis Beatis, quia quod quis videt non sperat, sed Beati vident Deum, igitur non sperant, & an sit in damnatis, & an spes viatorum habeat certitudinem, sed etiam in quæst. 17. per octo alios articulos S. Th. disputat de spe, num sit virtus, & an beatitudo æterna sit proprium obiectum spei, & num aliquis possit sperare alteri beatitudinem, & an aliquis possit licitè sperare in homine, & vtrum sit virtus Theologica, & si est distincta ab alijs virtutibus, & si sit prior Fide, & Charitate, &c.

Spiratio non separatur à persona Patris, & Filij, sed conuenit vtrique, & sic licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas, quia non conuenit vni tantùm personæ, neque est relatio personalis, i. constituens personam: paternitas enim, & filiatio, & processio passiua, dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes, nam paternitas est persona Patris, filiatio persona Filij, processio persona Spiritus sancti procedentis, vt scribit S. Th. p. p. q. 30. art. 2. ad 1. arg.

Spiritus, vt habet S. Th. p. p. q. 36. art. 1. in rebus corporeis, impulsionem & motionem significare videtur: nam flatum & ventum spiritum nominamus; & subdit, quòd hoc nomen Spiritus sanctus prout sumitur in virtute duarum dictionum, est commune toti Trinitati, quia nomine spiritus significatur immaterialitas diuinæ substantiæ, spiritus enim corporeus inuisibilis est, & parum habet de materia, vnde omnibus substantijs immaterialibus, & inuisibilibus hoc nomen attribuimus, per hoc verò quod dicitur sanctus, significatur puritas diuinæ bonitatis: Si autem accipiatur hoc, quod dico Spiritus sanctus, in vi vnius dictionis, sic ex vsu Ecclesiæ est accommodatum, ad significandum vnam trium personarum, scilicet quæ procedit per modum amoris, &c.

Spirituale dupliciter dicitur esse aliquid; Vno modo per essentiam, sicut gratia, & virtutes, & ista non possunt aliquo modo vendi, nec super hoc voluntas deliberata emptionis cadere potest; Alio modo dicitur aliquid spirituale per causam, sicut Sacramenta, quę sunt causæ gratiæ, & ista inquantùm sunt corporalia quædam, habent speciem quod vendi possunt, quamuis non ex hoc quod sunt spiritualia, vt ait S. Th. 4. sent. dist. 25. q. 3. ar. ad 3.

Sponsus idem est quod promissus, et sponsa idem quod promissa.

Sponsus, dicitur à sponsione primi in futurum à sponsalibus contractis per verba de futuro, & à sponsione secundi dicitur aliquis sponsus, etiam quando contractum est matrimonium, per verba de præsenti, quia ex hoc ipso spondet matrimonij actum, tamen à prima sponsione dicuntur sponsalia propriè, quæ sunt quædam sacramentalia matrimonij, sicut exorcismus Baptismi; vnde sponsus idem est, quod promissus, & sponsa quasi promissa: sponsalia dicuntur à sponsando, id est promittendo, sunt enim sponsalia quasi promissio futurarum nuptiarum, &c. S. Th. 4. sent. dist. 27. q. 2. ar. 1. ad 6.

Status, propriè loquendo significat quandam differentiam positionis, secundùm quam aliquid disponitur, secundùm modum suæ naturæ, quasi in quadam immobilitate, est enim naturale homini, vt caput eius in superiora tendat, & pedes in terra firmentur, & cætera, q; membra media, conuenienti ordine disponantur: & inde est, quòd in his actionibus humanis dicitur negocium aliquem statum habere, secundùm ordinem propriæ dispositionis vel cum quadam immobilitate seu quiete: ad ergo respicit statum hominis, quod pertinet ad obligationem hominis, vnde status pertinet propriè ad libertatem, vel seruitutem, siue in spiritualibus, siue in ciuilibus, vt notat S. Th. 2. 2. q. 183. ar. 1. & 4.

Studium

Studinm præcipuè importat vehementem applicationem mentis ad aliquid, mens au-
tem non applicatur ad aliquid, nisi cognoscendo illnd: vnde per prius mens applicatur ad
cognitionem, secundariò autem applicatur ad ea, in quibus homo per cognitionem diri-
gitur; & ideo studium per prius respicit cognitionem, & per posterius quæcùnque alia ad
quæ operanda directione cognitionis indigemus: sic etiam studiositas propriè dicitur cir-
ca cognitionem. S.Th.2.2.q.166.ar.1.

Stultitia, vt ait S.Th.2.2.q.46.ar.1. eius nomen à stupore videtur esse sumptum, & ideo
stultus ille est, qui propter stuporem non monetur. Et differt stultitia à fatuitate, quia stul-
titia importat hebetudinem cordis & obtusionem sensuum, fatuitas autem importat to-
talem spiritualis sensus priuationem; & ideo conuenienter stultitia sapientiæ opponitur,
sapiens enim dictus est à sapore, quia sicut gustus est aptus ad discretionem saporis cibo-
rum, sic sapiens ad dignoscendam differentiam rerum, & causarum: vnde oportet, quòd stul-
titia opponatur sapientię, sicut contrarium, fatuitas autem sicut pura negatio: nam fatnus
caret sensu indicandi, stultus autem habet sensum, sed hebetatum, sapiens autem subtilem
& perspicacem. Amens est, qui non discernit quid sit iniuria. S.Th.2.2.q.46.ar.1.

Stultitia à fatuitate differt.

Substantia dicitur quatuor modis; Vno modo substantia idem est quod essentia, & sic
substantia inuenitur in omnibus generibus, sicut & essentia, & hoc significatur cùm quæri-
tur, quid est albedo? color: Alio modo significat indiuiduum in genere substantiæ, quod
dicitur substantia prima, vel hypostasis: Tertio modo dicitur substantia secunda, vt genus,
& species, puta animal & homo: Quarto modo dicitur substantia communiter, prout ab-
strahit à substantia prima, & secunda, & sic sumitur substantia quando diffinitur persona,
quæ est Rationalis naturæ indiuidua substantia: & per indiuiduum, quasi per differentiam,
trahitur ad standum pro substantia prima, sicut cùm dicitur animal rationale, mortale,
significat animal naturam animalis, prout abstrahitur ab omnibus speciebus, & per diffe-
rentiam additam trahitur ad determinatam speciem. S.Th.1.sent.dist.25.q.1.ar.1.ad 7.

Successio propria est motui; creatio autem neq; motus est, neq; terminus motus, sicut
generatio, igitur creatio est absq; omni successione. Item in omni motu successiuo est ali-
quod medium, inter eius extrema: & in factione in qua est successio, fieri est ante factum
esse: & omnem factionem successiuam in tempore oportet esse, prius enim & posterius in
motu numerantur tempore, similiter autem diuiditur motus, & tempus, & id super quod
transit motus: quod quidem in motu locali manifestum est, nam in medietate temporis
regulariter motum pertransit medium magnitudinis, diuisio autem informis respondens
diuisioni temporis, attenditur secundùm intensionem & remissionem: vnde successio re-
rum in factionibus, ex defectu materiæ prouenit, &c. S.Th.2.cont.gent.cap.19.

Superbia, vt docet S.Th.2.2.q.162.ar.1. nominatur ex hoc, quòd aliquis per voluntatem
tendit supra id quod est: vnde superbus dictus est, quia superuult videri, quàm est, qui enim
vult supergredi quod est, superbus est: habet autem hoc ratio recta, vt voluntas vniuscuius-
que feratur in id quod est proportionatum sibi, & ideo manifestum est, quòd superbia im-
portat aliquid quod aduersatur rationi rectæ, hoc autem facit rationem peccati, quia ma-
lum animæ est præter rationem esse. Et art.2. ait, quòd peccatum superbiæ potest duplici-
ter considerari; Vno modo secundùm propriam speciem quam habet ex ratione proprij
obiecti, & hoc modo superbia est speciale peccatum, quia habet speciale obiectū, est enim
inordinatus appetitus propriæ excellentiæ: Alio modo potest considerari secundùm re-
dundantiam quandam in alia peccata, & secundùm hoc habet generalitatem quandam,
prout ex ea omnia peccata oriuntur, vel directè, vel indirectè.

Peccatum superbiæ dupliciter potest considerari.

Suspicio importat opinionem mali, quando ex leuibus indicijs procedit: & contingit ex
tribus; Vno modo ex hoc, quòd aliquis ex seipso malus est, & ex hoc ipso quasi conscius suę
malitiæ, faciliter de alijs malum opinatur; Alio modo prouenit ex hoc, quòd aliquis male
afficitur ad alterum, quia quis contendit, vel odit, vel inuidet, vel irascitur alicui, ex leni-
bus signis opinatur mala de illo; Tertio prouenit ex longa experientia: & propterea est
triplex gradus suspicionis; Primus, quando ex leuibus indicijs incipit dubitare de boni-
tate alicuius, & tale est veniale, & leue peccatum; Secundus, cùm aliquis pro certo mali-
tiam alterius existimat pro leuibus signis, & hoc si fit de aliquo graui, est peccatum mor-
tale; Tertius, cùm aliquis iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, &
hoc directè ad iniustitiam pertinet, & est mortale. S.Th.2.2.q.60.ar.3.

DE LITERA T.

HÆc litera connumeratur inter mutas, & habet quandam cognationem cum D, vt scribit Quintilianus 1. lib. c. 4. vnde antiqui pronunciabant hæc nomina Alexander, & Cassandra cum hac litera t, moderni autem cum litera d, &c.

Tabula secunda post naufragium, metaphoricè dicitur Sacramentum Pœnitentiæ: nam primum remedium mare transeuntibus est, vt conseruentur in naui integra; secundum autem remedium est post nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat: ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quòd homo integritatem seruet, secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per pœnitentiam redeat, vt notat S. Th. 3. p. q. 84. art. 6. Vbi nota, quod tabula aliquando significat planitiem in qua pingimus aliquid, aliquando libellum aliquem, quem sibi quisq; nostrum priuatim facere consueuit, quasi memoriæ promptuarium, eorum quæ agimus, vnde dicuntur tabulæ accepti, & expensi; aliquando tabulæ dicuntur asseres, ex quibus nauis compingitur, &c.

Tabernaculum, quia est quoddam mutabile, significat statum præsentis vitæ mutabilis, statum etiam veteris legis, vt notat S. Thom. 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 2. Vbi animaduerte, quòd poterit significare etiam defensionem Dei, humanitatem Christi, & totam dispositionem

Tabernaculũ quintuplex.

Ecclesiæ; vnde erit quintuplex. s. tabernaculum carnalis concupiscentiæ, temporalis vitæ, contemplationis, Ecclesiæ militantis, & Ecclesiæ triumphantis. Et dicitur tabernaculum, à taberna, quæ est domus innaturalis, immo ad tempus durat. s. quousque res ibi venduntur: & inde tabernaculum dicitur. s. quædam mansio, quæ non propria & naturalis est, sicut tentoria, & castra militum in expeditione, quia ea relinquuntur finito bello; vel quia figuntur modo hic, modo illic, &c.

Tactus est fundamentum omnium aliorum sensuum: vnde ad organum eius requiritur quod sit medium inter contraria, quæ sunt calidum, & frigidum, humidum, & siccum, & similia, quorum tactus est apprehensiuus, sic enim est in potentia ad contraria, & potest ea sentire: vnde quanto organum tactus fuerit magis reductum ad æqualitatem complexionis, tanto perceptibilior erit tactus, vt docet S. Th. p. p. q. 76. art. 5. Vbi nota, quòd tactus est vnus genere, & est plures specie, secundùm plures contrarietates; vel omnes huiusmodi cõueniunt in vno genere proximo innominato, & ipse tactus dicitur sensus eorum ex quibus componitur animal, & per quæ corrumpitur: & maxime viget in pulpis digitorum, & vt est in alijs membris, quàm in lingua, distinguitur à gustu, & secundùm diuersam rationem im mutationis, &c.

Tantùm, est aduerbium exclusiuum: & potest poni ex parte subiecti, & ex parte prædicati: possumus enim dicere, tantùm Sortes currit, idest nullus alius, & Sortes currit tantùm, idest nihil aliud facit: vnde non propriè dici potest, Pater est solus Deus, vel Trinitas est solus Deus, nisi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus; & secundùm hoc etiam posset esse vera ista, Pater est Deus, qui est solus Deus, vt scribit S. Th. p. p. q. 31. ar. 3. ad 2.

Temeritas, sub præcipitatione continetur: vnde illa dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur, quod quidem potest contingere dupliciter; Vno modo ex impetu voluntatis, vel passionis; Alio modo ex contextu regulæ dirigentis, & hoc propriè importat temeritas: vnde videtur ex ea radice superbiæ prouenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ: præcipitatio autem se habet ad vtrumque; vnde temeritas sub præcipitatione continetur, quamuis præcipitatio magis respiciat primum, S. Th. 2. 2. q. 53. ar. 3. ad 2. hinc temerarius dicitur, non qui plus audet, quàm oportet, sed qui facilè nullo adhibito consilio credit: dicitur etiam temerarius, qui nihil omnino formidat, sed aduersus omnia vadit, &c.

Temperantia dupliciter accipi potest; Vno modo secundùm communitatem suæ significationis, & sic temperantia non est virtus specialis, sed generalis, quia nomen temperantiæ significat quandam temperiem, & moderationem, quam ratio ponit in humanis operationibus, & passionibus, quod est commune in omni virtute morali; si verò consideretur propriè tẽperantia, secundùm quod refrenat appetitum ab his, quæ maximè alliciunt hominem, sic est specialis virtus, vtpote habens specialem materiam, sicut & fortitudo: vnde dicitur, quod temperantia est, qua libido, concupiscentiaq; refrenatur, &c. S. Th. 2. 2. q. 141. ar. 3.

Templum

Templum institutum est propter homines, non propter Deum, quia cultus Dei duo respicit, s. Deum qui colitur, & homines colentes: ipse igitur Deus qui colitur, nullo corporali loco clauditur, vnde propter ipsum nô oportuit fieri speciale templum, aut tabernaculum, sed homines ipsum colentes corporales sunt, & propter eos oportuit speciale tabernaculum vel templum institui ad cultum Dei, propter duo: Primo quidem, vt ad huiusmodi locum conuenientes cum maiori reuerentia accederent; Secundo, vt per dispositionem talis templi vel tabernaculi significarentur aliqua pertinentia ad excellentiam diuinitatis, vel humanitatis Christi, &c. S. Th. 1. 2. q. 102. ar. 4. ad 1. Vbi nota, quòd templum dicitur à tuendo, seu à conspiciendo, quia omni ex parte, seu omnis eius pars aspici potest. Et est duplex: Corporale, vt Ecclesia; & Spirituale, vt iustus, iuxta dictum Apost. 1. Cor. 3. Templum Dei sanctum, quod estis vos; & Christus quoque dixit, soluite templum hoc, &c.

Deus nullo corporali loco terminatur.

Tentare est propriè experimentum sumere de aliquo, experimentum autem sumitur de aliquo, vt sciatur aliquid circa ipsum, & ideo proximus finis cuiuslibet tentantis est scientia; sed quandoque vlterius ex scientia quæritur aliquis alius finis, vel bonus, vel malus: bonus quidem, sicut cùm aliquis vult scire qualis aliquis sit, vel quantùm ad scientiam, vel quantùm ad virtutem, vt eum promoueat; malus autem, quando hoc scire vult, vt eum decipiat, vel subuertat, propterea Deus dicitur tentare, vt alios scire faciat. Diabolus semper tentat vt noceat, in peccatum præcipitando: homo quandoq; tentat vt iuuet, quandoq; vt noceat: caro, & mundus tentant instrumentaliter seu materialiter, inquantùm s. potest cognosci qualis sit homo, an contemnat prospera mundi, an sequatur, &c. S. Thomas p. p. q. 114. art. 2.

Terræmotus causatur principaliter à Deo, secundariò autem à vento impellente alium ventum intra terram: ideo non potest esse simul in tota terra, sed per ducenta miliaria ad plus, & per quadraginta dies, & quandoq; per annum, & euaporat Sole subtiliante. Et terræmotus fuit ille, qui diuisit Siciliam à Calabria, & Hispaniam ab Africa: vnde loca cauernosa circa mare, faciunt frequenter terræmotum: & quia vapor continuè egreditur de terra quantùm ad aliquid, propterea tempore terræmotuum, animalia quæ portant caput iuxta terram, sæpe ex hoc inficiuntur, per vaporem illum venenosum egredientem de terra: & licet in terræmotu videatur tremere totam terram, non tamen mouetur tota terra, nec de loco ad locum, sed in se. S. Th. in expos. Ps. 17. ibi commota est, & contremuit terra.

Testamentum est dispositio hæreditatis; hæreditatem autem cœlestem disposuit Deus hominibus, dandam per virtutem sanguinis Iesu Christi, quia vt dicitur Hebr. 9. Vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris: & quia sanguis Christi dupliciter fuit hominibus exhibitus, primo in figura & in promissione, quod pertinet ad vetus testamentum; secundo in rei veritate, quod pertinet ad nouum. S. Th. 3. p. q. 78. ar. 3. ad 3. Et Psal. 24. exponens illa verba, Requirentibus testamentum eius. & testimonia eius, ait, quòd testamentum generaliter est omne pactum Dei, testimonia verò sunt omnis Dei promissio: hinc nouum testamentum est, in quo omnes promissiones Dei adimpletæ sunt. Testamentum quoque dicitur testificatio, legis mentis, secundùm Iuristas: in sacra Scriptura potest dici pactum, vel placitum. Dicitur aliquando testamentum falsum, quod non est scriptum secundùm voluntatem testatoris: aliquando irritum, quod de iure inualidum est, quia multa sunt genera personarum, quæ non possunt testari, vt furiosus, reus criminis læsæ Maiestatis, Religiosi, serui, impubes, &c.

Testamenti diuersimodè acceptio.

Testimonium non habet infallibilem certitudinem, sed probabilem, & ideo quicquid est quod probabilitatem afferat in contrarium, reddit testimonium inefficax; redditur autem probabile, quòd aliquis in veritate testificanda non sit firmus; quandoq; quidem propter culpam, sicut infideles, & infames, item illi qui publico crimine rei sunt, qui nec accusare possunt; quandoq; autem absq; culpa, & hoc est vel ex defectu rationis, sicut patet in pueris, & amentibus, & mulieribus; quandoq; ex affectu, sicut patet de inimicis, & personis coniunctis, & domesticis; vel etiam ex exteriori conditione, sicut sunt pauperes, serui, & illi quibus imperari potest, de quibus probabile est, quod de facili possunt falsum testificari. S. Th. 2. 2. q. 70. ar. 3.

Theologia, quasi sermo de Deo, vt scribit S. Th. 1. p. q. 1. ar. 7. & per totam quæstionem docet, quomodo est necessaria ad humanam salutem consequendam; & est scientia subalternata Theologiæ Dei, & Beatorum: & est vna; propter vnam rationem formalem, quæ est reuelabilitas: & non est præcisè practica, neq; speculatiua, sed altior vtrisque, continês speculatiuam, & practicam; & est dignior omnibus alijs scientijs humanitus inuentis:

& est

& est maxime sapientia inter omnes sapiētias humanas & habet pro suo obiecto adæquato ipsum Deum, sub ratione Deitatis reuelatæ: est argumentatiua ex suis principijs, quæ etiam defendit contra negantes ipsa: vtitur & metaphoris, tradendo spiritualia sub similitudine corporalium: & sub vna litera plures sensus habere potest, quia eius auctor est Deus, qui plura vt plura intelligere potest, &c.

Diuina scientia vtitur metaphoris, & sub vna litera plures sensus comprehendit.

Timiditas est leuius peccatum, quàm sit intemperantia, quia vnum vitium potest comparari alteri dupliciter; Vno modo ex parte ipsius materiæ, seu obiecti; Alio modo ex parte ipsius hominis peccantis: & vtroque modo intemperantia est grauius vitium, quàm timiditas; Primo namq; ex parte materiæ, nam timiditas refugit pericula mortis, ad quæ vitanda inducit maxima necessitas conseruandæ vitæ; intemperantia autem est circa delectationes: ex parte etiam hominis peccantis, magis peccat intemperatus, qui est compos mentis, quàm ille qui patitur timores, & tristitias; quia stupefaciunt mentem hominis. S.Th.2.2.q.142 art.3.

Timor est triplex, quia obiectum timoris est malum: quod quidem duplex est, s. malum pœnæ, & malum culpæ; Si ergo aliquis conuertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor seruilis; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis, nam filiorum est timere offensam patris; si autem propter vtrunque, est timor initialis, qui est medius inter vtrunque timorem, vt ait S.Th.2.2.q.19.art.2. & per totam quæst. Vbi nota, quòd art.3. tractat etiam de timore mundano, qui procedit ab amore mundano, tanquam a mala radice; propterea timor mundanus semper est malus; quemadmodum amor mundanus est malus, quia est desiderium quo aliquis mundo innititur tanquam fini: & quia timor nascitur ex amore, illud enim timet homo amittere quod amat, propterea tam amor mundanus, quàm timor, est malus.

Tyrannus non potest esse diuturnus, quia est odiosus multitudini, vt scribit S.Th.opusc. 20. lib.1.cap.10. Vbi nota, q tyrannus est qui in communi Republica non verè principatur, & non ex iure conatur principari: nam sicut regnum dicitur rectus principatus, sic & tyrannia nuncupatur peruersum dominium, propterea tyrannus ille est, qui respicit ad proprium commodum, & crudeliter abutitur dominatu: unde 2.2.q.42.ar.2.ad 3. ait S.Th. quòd regimen tyranni, cùm non sit iustum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum priuatum regentis, ideo perturbatio huius regiminis non habet rationem seditionis, nisi forte quando sic inordinatè perturbatur tyrannicum regimen, q multitudo subiecta, maius detrimentum patitur ex perturbatione consequenti, quam ex tyranni regimine, &c.

Tyrannia est peruersum dominium.

Titulus tripliciter consueuit describi: aliquando in sepulchro alicuius, hoc est sepulchrum talis: aliquando pro triumpho, sicut Romæ fiebat, hic titulus Christi est qui triumphauit per Crucem, vnde Pilatus imposuit titulum super caput eius, Hic est Iesus Nazarenus Rex Iudæorum: aliquando titulus ponitur in domo, hæc est domus talis, vt docet S.Thom.in expositione Psal.15. Vbi nota, quòd titulus propriè est inscriptio cuiuscunque operis, quæ s. libro, operi, vel statuæ superscribitur, vt statim primo aspectu argumentum noscamus, aut artificem. Et dicitur a tuendo titulus, quòd tueatur factum auctoris: & si quis alterius opus esse contendat, veri opificis indicet nomen; Vel a τιταν, qui ponitur pro Sole, quia sicut τιταν, idest Sol, illuminat, & facit videre quæ sunt in mundo, ita & titulus declarat opus, &c.

Tonitruum est extinctio ignis in nube, secundum aliquos; Psalmista tamen dicit, quòd tonitruum fit per concussionem ventorum, sic etiam & nubes: quia aliquando nubes sunt grossæ, ex quibus grandines generantur, quandoq; cum sonitu: & aliquando ante grandinem est fragor nubium, aliquando non, sicut enim vapor calidus & siccus expulsus à frigido, scindens nubem, facit sonum, vt patet in fulgure; sic vapor humidus congelatus in grandinem, & expulsus a calido, scindit aliqualiter, & facit sonum: & quia aliquando vapor humidus ascendit ad locum superiorem: & cùm sit de natura aquæ, fiunt ex eo impressiones humidæ, quæ sunt nebula, ros, caligo, pluuia, grando, & nix, &c. vt docet S.Thomas in exp.Psal.17.super illa verba, Intonuit de cœlo Dominus, &c.

Torcular significat Ecclesiam, quia sicut in torculari separatur vinum a vinatijs, sic in Ecclesia separantur boni a malis, opere ministrorum, & si non loco semper, affectu tamen: & eadem ratione dicitur & area, quia separatio fit grani a paleis; item a verbis literaliter positis separatur sensus spiritualis. Torcular quoq; dicitur martyrium, in quo fit separatio animarum a corporibus, dum corpora eorum qui pro Christi nomine afflictione & perse-

Torcular aliquando Ecclesiam aliquando martyriũ significat.

cutione

cutione calcantur, quassatim remanent in terra, animæ verò ad requiem cœlestem emanant, vt ait S.Th. Psal.8. ad principium, &c.

Tonsura conuenit eis, qui ad diuina ministeria applicantur; & hæc tonsura, & rasura debet esse per modum coronæ, quia corona est signum Regni, & perfectionis, cùm sit circularis; illi autem qui diuinis ministerijs applicantur, adipiscuntur Regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent: competit etiam eis ratione subtractionis capillorum, & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorum retardetur; & ex parte inferiori per tonsuram, ne eorum sensus temporalibus obuoluantur. S.Th. 4. sent. dist. 24 q. 3. ar. 1. q. 1. Vbi nota, quòd tonsura non est ordo, sed dispositio ad ordinem: Ordo enim est Sacramentum, tonsura autem non est Sacramentum: vnde licet sit signum alicuius rei sacræ, non tamen est signum rei sacrantis, quam efficiat: & per tonsuram homo solummodo deputatur ad chorum, in quo non habet speciale officium, sed commune; immo est dispositio congruitatis, non necessitatis, &c.

Totum est quod diuiditur in partes, & secundùm triplicem diuisionem, est triplex totalitas; est enim quoddam totum, quod diuiditur in partes quantitatiuas, sicut tota linea, vel totum corpus; est etiam quoddam totum, quod diuiditur in partes rationis, & essentiæ, sicut diffinitum in partes diffinitionis, & compositum resoluitur in materiam & formã; tertium est totum potentiale, quod diuiditur in partes virtutis, vt anima. S.Th. p.p.q.76. ar.8. Vbi attende, quòd etiam perfectum dicitur totum, quia ei nihil deficit ad esse eius requisitum; hinc Deus dicitur totus, & perfectus; vnde est totus in cœlo, & in inferno, & in omnibus rebus. Dicitur etiam totum homogeneum, quod est eiusdem rationis in toto, & partibus suis, vt aqua: & totum hæterogeneum, quod non est eiusdem rationis, vt corpus animalis, &c.

Traductio duo importat. s. originem, & decisionem, non enim ignis generatus ab igne generante traduci propriè dicitur, similiter nec lignum diuisum in partes, dicitur, quod eius vna pars ab alia traducatur: vnde traductio propriè dicitur in generatione animatorum, quæ est per decisionem seminis; & ideo non potest dici traduci ab aliquo, illud quod ab eo originem non habet, nec diuisionem recipit; propterea anima rationalis non traducitur ex semine, sed ab extrinseco est. S.Thom. 2. sent. dist. 18. q. 2. ar. 1. Vbi nota, quòd traducere, duo dicit. s. extra, & duco; vnde capitur aliquando pro transferre & traducere librum ex vna lingua in aliam; aliquando est aliquem infamia afficere, vt habetur Matth. 1. Ioseph cùm esset vir iustus, & nollet eam traducere; aliquando significat, aliquem de loco in locum ducere, &c.

Non educitur anima rationalis ex semine.

Trahere illud dicitur, quòd mouet alterum ad seipsum: mouere autem aliquid secundùm locum ad seipsum, conuenit tripliciter; Vno modo sicut finis, vnde finis dicitur trahere, secundùm illud, Trahit sua quemque voluptas; & hoc modo potest dici, quòd locus trahit id, quod naturaliter mouetur ad locum; Alio modo potest dici aliquid trahere, quia mouet id ad seipsum, alterando aliqualiter, ex qua alteratione contingit, quod alteratum moueatur secundùm locum, & hoc modo Magnes dicitur trahere ferrum; Tertio modo dicitur aliquid trahere, quia hoc mouet ad seipsum motu locali tantùm, & sic tractio est motus, quo vnum corpus trahit alterum, &c. S.Th. in 7. Phys. lect. 3.

Traianus post trecentos annos, forte suscitatus est, sicuti & multi alij suscitati sunt post vnum diem: vnde idem est iudicium de omnibus, quod non erant finaliter damnati, præsciebat enim Deus eos Sanctorum precibus à pœnis liberandos, & vitæ restituendos, & sic ex liberalitate bonitatis suæ eis veniam contulit, quamuis æternam pœnam meruissent, non enim est simile de Deo in quem solum peccatur, & de alio iudice, vnde Deus liberè remittere potest, sine vllius offensa, non alius iudex, qui punire habet culpam in alium, vel in Rempublicam, vel in Deum commissam, vnde & pœnam licitè remittere non potest. Ob hoc non sequitur illud argumentum, Saluare illos qui sunt in inferno, non est iustitiæ, sed magis contra iustitiam, sed legitur, quòd Deus ad preces B. Gregorij Traianum Imperatorem idolatram, & ob hoc in inferno damnatum, ab inferis reuocauit, & vitæ restituit, & sic non videtur, quòd de necessitate iustitiæ, vt habet S.Th. 4. sent. dist. 43 q. 2. ar. 2. arg. 5.

Deus pœnam hominis semper licitè remittere potest non sic autem iudex temporalis.

Transcendentia sunt ens, vnum, verum, bonum, aliquid, & res, quæ sunt idem realiter, & differunt ratione, vt docet S.Th. 1. sent. dist. 8. q. 1. ar. 3. in quo disputat, Vtrum hoc nomen, qui est, sit primum inter nomina diuina: & Respondet, quod ista nomina ens, & bonum, vnum, & verum, simpliciter secundùm rationem intelligendi præcedũt alia diuina nomina, quod patet ex eorum communitate, si autem comparentur ad inuicem, hoc potest esse dupliciter,

vel secundùm suppositum, & sic conuertuntur ad inuicem, & sunt idem in supposito, nec vnquam derelinquunt se; vel secundùm intentionem eorum, & sic ens est prius alijs, &c.

Transfiguratio, dicitur assumptio claritatis, vt ait S.Thom.3.p.q.45.ar.1.in resp.ad 2. Et in corp.art. dicit, conueniens fuisse Christum Saluatorem nostrum, gloriam suæ claritatis ostendere suis discipulis, quod est ipsum transfigurari, cui suos configurabit, secundùm illud ad Philipp.3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: vnde non fuit mutata forma, neque natura Christi, in hac transfiguratione, sed claritas fuit ostensa, quæ quidem inter quatuor dotes, sola est qualitas ipsius personæ in seipsa; aliæ verò tres dotes non percipiuntur, nisi in aliquo actu, vel motu, seu passione. Et testes huius transfigurationis fuerunt Moyses, Elias, Petrus, Ioannes, Iacobus, & Deus Pater, quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, &c.

Transubstantiatio, non est cum motu aliquo, ait S.Th. 4.sent.dist.8.q.2.art.1.q.3.ad 1. propterea non denotat per illa verba agere, & pati, & aliqua alia verba significantia motum, quandoquidem in transubstantiatione non est motus aliquis, cùm non sit subiectum commune, nec mutatio, quia terminus transubstantiationis est præexistens actu: ideo per nullum verbum congruè potest tradi forma Sacramenti Eucharistiæ, nisi per verbum substantiuum. Et 3.par.q.75.art.4 in corp.ait, quòd omnis conuersio, quæ fit secundùm leges naturæ, est formalis; conuersio verò illa, qua tota substantia panis conuertitur in totam substantiam corporis Christi, & tota substantia vini, in totam substantiam sanguinis Christi, non est formalis, sed substantialis, nec continetur inter species motus naturalis, sed proprio nomine potest dici transubstantiatio, &c.

Transumptio metaphorica, conuenientissimè dicitur de Deo, propter quatuor rationes; Prima & principalis, propter altitudinem materiæ, quæ nostri intellectus capacitatem excedit; Secunda, quia in nobis est duplex pars cognoscitiua, scilicet intellectiua, & sensitiua, prouidit autem diuina sapientia, vt vtraq; pars secundùm quod possibile esset in diuina reduceretur; Tertia, quia de Deo verius cognoscimus quid non est, quàm quid est; hinc affirmationes de Ipso sunt, incompactæ negationes veræ; Quarta, propter occultationem diuinæ veritatis, quia profunda Fidei occultanda sunt infidelibus, ne irrideant, & simplicibus ne errandi occasionem sumant, vt habet S.Th.1.sent.dist.34.q.3.ar.1. in quo quærit, Si aliquid translatiuè dicatur de Deo.

Tremor causatur ex debilitate virtutis, continentis membra, quia in timore fit quædam contractio ab exterioribus ad interiora, & ideo exteriora frigida remanent, & propter hoc in eis accidit tremor; & ad huiusmodi tremorem & debilitatem maximè facit defectus caloris, qui est instrumentum, quo anima mouet. S.Th.1.2.q.44.ar.3. Et ar.2.ait, quòd timor prouenit ex phantasia alicuius mali imminentis, quod difficilè repelli potest: quod autem aliquid difficilè possit repelli, prouenit ex debilitate virtutis; virtus autem quanto est debilior, tanto ad pauciora se potest extendere, & ideo ex ipsa imaginatione quæ causat timorem, sequitur quædam contractio in appetitu; sicut etiam videmus in morientibus, quod natura retrahitur ad interiora, propter debilitatem virtutis; videmus etiam in ciuitatibus, quando ciues timent, retrahunt se ab exterioribus, & recurrunt quantum possunt ad interiora, &c.

Timor ex phantasia mali imminentis prouenit.

Trepidatio, vel dubitatio, est idem quod agonia, vt ait S.Th.3.sent.dist.36.q.1.art.3.in fine corp. vbi dicit, quòd ex parte timentis sumuntur accidentales differentiæ timoris; hoc modo, quia terribile vel excedit facultatem timentis in agendo, & sic est segnities, vel ignauia, quæ est timor futuræ operationis; vel in cognoscendo, & hoc tripliciter, vel propter cognoscibilis altitudinem, & sic est admiratio, quæ est timor ex magna imaginatione; vel propter eius inconsuetudinem, & sic est stupor, qui est timor, ex assueta imaginatione; vel propter incertitudinem, & sic est agonia, quæ est timor infortunij: & hoc idem dicitur trepidatio, vel dubitatio, &c.

Tribulatio, venit à tribulo, qui est herba pungitiua, Genesis 3. Spinas & tribulos germinabit tibi, vt notat S.Thomas in expositione 3.Psal.super illa verba, Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me. Vbi nota, quòd tribulatio est duplex; Altera proxima, vt illa quæ fit in corpore; Altera remota, vt illa quæ fit in bonis exterioribus: vnde tribulatio seu persecutio, & peruersitas, est vtilis Christiano patienti, quia sic viuaciter eradicat ipsum ab amore rerum mundanarum. Causat etiam mortificationem carnalitatis, & excitat desiderium ad cœlestem patriam, & meretur laudari, & exaltari voce Christi, Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, &c.

Tributum,

Tributum, vt habet S.Th. in expos. 13. cap. Epist. ad Rom. super illa verba, Cui tributum, tributum, & cui vectigal, vectigal, est signum subuentionis, & præmium laboris, quod datur Regibus, qui procurant vtilitatem populorum, gubernando regnum in pace, & quiete. Vbi nota, quòd dantur multæ exactiones, quarum aliquæ sunt licitæ, aliquæ non, puta tributum, pensio, quæ significat solutionem quam pondus ostendit; vectigal, quod soluitur pro rebus vectis; sic gabella, duana, & guidagium, salinarium, quod datur pro sale, pedagium quod soluitur à transeuntibus: angaria, & perangaria, quæ sunt onera personalia, iniusta sunt, de quibus vide apud Iuristas, &c. *Exactiones aliquæ sunt licitæ, aliquæ illicitæ.*

Trinitas, vt habet S. Thom. p. p. q. 31. art. 1. secundùm ethymologiam vocabuli, videtur significare vnam essentiam, trium personarum, secundùm quod dicitur trinitas, quasi triũ vnitas, sed secundùm proprietatem vocabuli significat magis numerum personarũ vnius essentiæ; & propter hoc non possumus dicere, quòd Pater sit trinitas, quia non est tres personæ: non autem significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum ad inuicem relatarum, & inde est, quòd secundùm nomen ad aliud nõ refertur. Verùm quia nomen collectiuum duo importat. s. pluralitatem suppositorum, & vnitatem quandam, scilicet ordinis alicuius, populus enim est multitudo hominum, sub aliquo vno ordine comprehensorum: quantum ergo ad primum, hoc nomen trinitas, conuenit cum nominibus collectiuis; sed quantùm ad secundum, differt, quia in diuina Trinitate, non solùm est vnitas ordinis, sed cum hoc est etiam vnitas essentiæ, propterea differt à triplicitate, quæ significat proportionem inæqualitatis.

Tristitia potest contingere quatuor modis; Vno quidem modo, cùm aliquis dolet de bono alicuius, inquantùm ex eo timetur nocumentum, vel sibiipsi, vel alijs bonis; & talis tristitia potest esse sine peccato: Secundo modo, potest quis tristari de bono alterius, non ex eo, quod ipse habet bonum, sed ex eo quod nobis deest bonum illud, quod ipse habet, & hoc propriè est zelus: Tertio modo aliquis tristatur de bono alterius, inquantùm ille cui accidit bonum, est eo indignus, quæ quidem tristitia non potest oriri ex bonis honestis, ex quibus aliquis iustus efficitur; & hæc tristitia vocatur nemesis, & pertinet ad bonos mores: Quarto modo aliquis tristatur de bonis alicuius, inquantùm aliquis excedit ipsum in bonis, & hæc propriè est inuidia, quæ dicitur tristitia de bonis alienis. S. Th. 2. 2. q. 36. art. 2.

Turbatio est quasi ex toto turbari; & dicitur, quando turbatio inferioris partis, ad superiorem peruenit, vt eius ordo turbetur; & hoc non est in aliquo sapiente, nec in Christo fuit, propter tres rationes quas adducit Seneca; Primo, quia fortius non perturbatur à debiliori, sed virtus est fortior malitia, ergo non perturbatur ab ea; nec à virtute, quia virtus non est virtuti cõtraria, ergo nullo modo; Secundo, Nullus perturbatur, nisi de eo quod bonum suum perdit, vel diminuitur, sed sapiens non perdit bona sua, nec ei possunt auferri, quæ sunt bona animæ, quia bona corporis non reputat sua, ergo non perturbatur; Tertio sic, quia fortuna nihil eripit, nisi quod dedit, sed non dedit virtutem, ergo ipsam auferre non potest, vt notat S. Th. 3. sent. dist. 15. q. 2. ar. 2. q. 1. ad 2. arg. & in ipso arg. *Turbatio in sapientem nõ cadit propter tria.*

Turpitudo est duplex; Vna inhonestatis; Alia exterioris defectus, sicut turpe est homini esse infirmum, vel pauperem, & talis turpitudo mendicitatis non pertinet ad culpam, sed ad humilitatem pertinere potest; & sic mendicitas est licita, sicut secularibus, ita & Religiosis; vndè aliquis mendicare potest, vel ex necessitate, sicut cùm aliquis non habet vnde viuat, nisi mendicet; vel ex vtilitate, sicut cùm aliquis intendit ad aliquid vtile perficiendum, quod sine eleemosynis Fidelium facere non potest, sicuti petuntur eleemosynæ pro constructione pontis, vel Ecclesiæ, &c. S. Th. 2. 2. q. 187. art. 5. *Turpitudo duplex, inhonestatis & exterioris defectus*

DE LITERA V.

HÆc litera V, est vltima vocalis, quæ sæpe in consonantem transit, & modo vim simplicis habet, vt iuuenis; modo duplicis, vt cupiui, cupiueram, in quibus i ante u consonantem posita, producitur; & eadem subtracta corripitur: aliquando u, consonans per dieresim, ratione carminis in vocalem correptam mutatur, &c.

Vacare Deo, contingit tripliciter, Lectione, oratione, & meditatione, vt notat S. Th. 4. sent. dist. 15. q. 4. ar. 1. q. 2. ad 1. vbi dicit, quòd contemplatio aliquando capitur strictè pro actu intellectus diuina meditantis, & sic contemplatio est sapientiæ actus; Alio modo communiter, pro omni actu

quo quis à negocijs exterioribus sequestratus, soli Deo vacat: quod quidem contingit dupliciter, vel inquantùm homo Deum loquentem in Scripturis audit, quod fit per lectionem, vel inquantùm Deo loquitur, quod fit per orationem; meditatio autem ad vtrunq; se habet quasi medium inter ea, quia ex hoc quod nobis loquitur in Scripturis, ei per meditationem intellectu & affectu præsentamur, & sic præsentati ei, vel præsentem eum habentes, ei loqui possumus per orationem, & ideo Hugo posuit tres contemplationis partes, Lectionem, Orationem, & Meditationem, &c.

Contemplationis tres partes, Lectio, Oratio, & Meditatio.

Vacuum est spatium capax corporis, in quo non fit corpus: & ante Mundum non fuit neque locus, neque spatium, vt notat S. Th. p. p. q. 46. art. 1. ad 4. Vbi attende, quòd apud veteres fuit duplex opinio de loco; nam aliqui dixerunt, locum esse spacium separatum, æquale corpori locato; Aliqui autem voluerunt, locum esse superficiem corporis continentis, circundantem corpus locatum: ita etiam duplex fuit opinio de vacuo, nam primi dicebãt vacuum esse spatium non repletum corpore locato; tamen aptum natum repleri; secundi verò ita diffiniebãt vacuum, esse locum, qui est superficies non repleta corpore, apta nata tamen repleri: vnde nullo modo datur neque primo, neque secundo, &c.

Euagatio mentis quædã fit ex proposito, & quædã extra propositũ.

Vagatio mentis est duplex: Quædam ex proposito, quam si quis habeat in oratione, peccat, & non consequitur fructum orationis, nam talis vagatio est filia Acediæ, quia per tristitiam à spiritualibus aliquis transfert se ad delectabilia exteriora illicita; fit enim contra id quod habet Aug. in Regula, In psalmis & hymnis, cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore: Alia est euagatio mentis, quæ fit præter propositum, & talis non tollit fructum orationis, vt asserit Basilius; Si verò debilitatus à peccato fixe nequis orare, quantũcunq; potes teipsum cohibeas, & Deus ignoscit, eo quod nõ ex negligentia, sed ex fragilitate nõ potes, vt oportet assistere corã Deo. S. Th. 2. 2. q. 83. ar. 13. ad 3.

Valetudo corporis accipitur in duplici statu, Primo secundùm sufficientiam, habito respectu ad ea quæ incumbunt ex officio, vel ex societate eorum ad quos conuiuit; necessario agenda, & tale etiam necessarium subtrahi non debet, hoc enim esset de rapina hostiã ieiunij offerre, si aliquis propter ieiunium impediretur ab alijs operibus ad quæ alius obligatur; de rapina enim holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate, vel manducandi, vel somni penuria immoderatè corpus affligit. Si etiam per ieiunium homo impeditur ab operibus vtilioribus, & si non sit illicitum, est tamen indiscretũ ieiunium ipsum: Secundo accipitur valetudo corporis secundùm optimam corporis dispositionem: & quia caro in suo robore consistens, difficilius spiritui subditur, ideo necessarium ad valetudinem sic acceptam; & sic licitè accipi potest, tamen laudabiliter subtrahi potest, & talis subtractio non multum mortem accelerat, cùm corpus humanum inueniatur frequentius ex superfluitate, quàm ex defectu mortales ægritudines incurrere; abstinentia enim est summa medicina, ait Galenus: notat hoc S. Th. 4. sent. dist. 15. q. 3. art. 1. q. 2. ad 3.

Verecundia repugnat perfectioni, est enim timor alicuius turpis, quod est exprobrabile, & ideo verecundia est timor de turpi actu: sicut autem spes est de bono possibili, & arduo, ita etiam timor est de malo possibili, & arduo: vnde verecundia propriè loquendo non est virtus, deficit enim à perfectione virtutis. Communiter autem dicitur virtus omne quod est bonum, & laudabile in humanis actibus, & passionibus; & secundùm hoc quandoquè verecundia dicitur virtus, cùm sit quædam laudabilis passio. S. Th. 2. 2. q. 144 art. 1. Hic nota, quòd verecundia est de tribus. s. cùm aliquis opprimitur ab hoste, vel frustratur spe, vel recogitat peccata quæ fecit, de operibus enim virtutum non est verecundia, nisi per accidens, ratione falsæ opinionis, vel propter notam præsumptionis, vel simulationis. Et non reperitur in pessimis peccatoribus, quia non reputant peccatum vt turpe; nec est in virtuosis & senibus, quia non apprehendunt illud possibile sibi, nec est difficile eis ad vitandum, cùm verecundia sit timor in turpi actu, vel in turpi perpetrato, &c.

Verecundia non est in peccatoribus, neque in virtuosis.

Veritas principaliter est in intellectu, secundariò verò in rebus, secundùm quod comparantur ad intellectum, vt ad principium: & ideo veritas dicitur, qua ostenditur id quod est; aliquando dicitur, quòd veritas est manifestatiua, & declaratiua esse rei; aliquando, quod est summa similitudo principij, sine omni dissimilitudine; aliquando, quod est rectitudo, sola mente perceptibilis; quandoquidem dicitur quod est vniuscuiusque rei proprietas sui esse, quod stabilitum est ei; & quandoque quod est adæquatio rei, & intellectus. S. Th. p. p. q. 16. art. 1. Vbi nota, quòd in diuersis est diuersa veritas, puta veritas rei, veritas propositionis, veritas sermonis, veritas Theologica reuelata, veritas naturalis, veritas doctrinæ, vitæ, iustitiæ, veritas Dei & hominum, &c.

Vermis,

Vermis, vt notat S.Thomas Psal.21. super illa verba, Ego sum vermis, & non homo, non generatur ex coitu, sed ex terra, Solis cœlestis calore: vnde significat Christum, qui est ex Virgine, sola operatione Spiritus sancti: dicitur etiam vermis, quasi veritas missa à Patre in mundum pro salute humani generis. Est ergo Christus vermis .i. veritas missa, & non homo conceptus ex semine viri, & mulieris, sicuti cæteri homines. Dicitur quoque vermis quoddam animal paruum, super costas suas ambulans; & si habeat pedes, sunt tamen valde parui. Dicitur adhuc vermis, à rodendo, quia corrodit & remordet, vt est vermis damnatorum; non materialis, sed spiritualis, idest remorsus conscientiæ, nascens de putredine peccati. S.Thomas 4.sent.dist.50.q.2.art.3.q.2.

Vestigium, vt scribit S.Th.1.sent.dist.3.q.2.art.1. metaphoricè accipitur, & sumitur ad similitudinem vestigij propriè dicti, quod est impressio quædam confusè ducens in cognitionem alicuius, cùm non repræsentet ipsum, nisi secundùm partem .s. pedem, & secundùm inferiorem superficiem tantùm. Tria ergo considerantur in ratione vestigij .s. similitudo, imperfectio similitudinis, & quod per vestigium in rem cuius est vestigium deuenitur: & quia in creaturis inuenitur similitudo Creatoris, per quam in ipsius cognitionem deuenire possimus, & est imperfecta similitudo, ideo in creaturis dicitur vestigium, prout creatura ipsa ducit in cognitionem diuinarum personarum, vt habetur etiam p.p.q.45.art.7. *Tria in ratione vestigij cõsiderantur.*

Viator, vt docet S.Th.3.p.q.15.art.10. ex hoc dicitur, quia tendit ad beatitudinem; comprehensor autem dicitur ex hoc, quod beatitudinem obtinet, secundùm illud 1.Cor.9. Sic currite vt comprehendatis: & Philipp.3. Sequor autem si quomodo comprehendam: hinc Christus erat simul viator, inquantùm habebat corpus passibile, & mortale, ante passionem; & comprehensor, inquantùm habebat beatitudinem propriam animæ, &c. Aliqui autem dicunt; quòd viator est ille, qui nec est in termino beatitudinis, nec in termino miseriæ permanenter; & secundùm hoc Paulus in raptu non fuit comprehensor, licet audiuerit arcana Dei, quia non per modum habitus vidit, & permanenter. Vel, vt alij dicunt, quòd purus viator dicitur, qui non habet præmium beatificum sibi possibile de lege communi, & est in statu merendi, & demerendi: per hoc quod dicitur, quòd nõ habet præmium, excluduntur Beati in pàtria; per secundam particulam, excluduntur damnati; per tertiam, existentes in purgatorio, &c.

Vinculum maius non absoluit à minori, nisi quando non compatitur se cum illo, sicut vmbra, & veritas simul esse nõ possunt; propter quod veniente veritate Euangelij, vmbra veteris legis cessauit; sed vinculo quo quis in Baptismo ligatur, compatitur vinculum seruitutis, & ideo non absoluit ab illo. Et ex hoc soluitur illa difficultas, quòd homo baptizatus tenetur obedire potestatibus secularibus, quia per Baptismum non absoluitur à seruitute. S.Th.2.sent.dist.44.q.2.art.2. Vbi nota, quòd vinculum dicitur à vincendo, seu ligando; & est duplex, bonum, & malum: bonum est triplex .s. charitatis, legis Dei, & instructionis eius: malum est quadruplex .s. mundanæ sollicitudinis, concupiscentiæ carnis, peruersę actionis, & prauæ consuetudinis, &c.

Vindicatio, vt scribit S.Th.2.2.q.108.art.2. est specialis virtus, sed intentio vindicantis debet ferri ad aliquod bonum, ad quod peruenitur per pœnam peccantis, vel saltem ad cohibitionem eius, & quietem aliorum, & ad iustitiæ conseruationem, & Dei honorem, cum alijs debitis circunstantijs seruatis. Et notat ibi Caiet. quòd priuata persona, quæ iniuriam recepit, debet debito morali tantùm vindicare suam iniuriam, non enim potest cogi ad hoc quod vendicet se; iudex autem potest cogi ad vindictam exercendam. Nec refert aliquid in hoc, quod redditur malum pro malo in vindicatione, quia reddere malum pro malo, est punitiuę, seu emendatiuę virtutis, non vnius tantùm, quoniã vt procedit ex affectu priuatæ personæ, actio est vindicationis, vt autem ex voluntate iudicis emanat, actio est commutatiuę & legalis iustitiæ, ex debito legali procedens, &c.

Vinum vitis est propriè vinum: alij liquores non dicuntur propriè vinum, sed per similitudinem; propterea in solo vino vitis potest confici Sacramentum. S.Th.3.p.q.74.art.5. Vbi nota, quòd vinum est calidum, & acetum est frigidum, propterea dicitur vinum lætificare, quia generat multos spiritus claros, temperatos, & mediocres in spissitudine, & tenuitate; & vsus eius est illicitus per accidens, scilicet, propter conditionem eius, qui lęditur ex eo, vel propter excessum, &c. *In solo vino vitis potest cõfici Sacramentum.*

Violatio contrariatur his quæ violari non licet, vt scribit S.Thom.3.p.q.60.ar.1.ad 2. vbi dicit, quòd Sacramentum idem est quod sacrum secretum: dicitur autem non solùm Dei secretum, sed etiam Regis, esse sacrum & sacramentum, quia secũdùm antiquos sancta

vel

vel sacrosancta dicebantur, quæcunque violari non licebat; sicut etiam muri ciuitatis; & personæ in dignitatibus constitutæ: & ideo illa secreta siue diuina, siue humana, quæ non licet violari quibuslibet, dicuntur sacra, vel sacramenta, &c.

Violentia, à qua violentum, quod est illud, cuius principium est extra, nihil conferente eo quod patitur vim: confert autem vnumquodq; ad id, in quod tendit secũdùm propriam inclinationem, vel voluntariam, vel naturalem; & ideo oportet, quòd ille qui rapitur, ab aliquo exteriori rapiatur, in aliquid quod est diuersum ab eo, in quod eius inclinatio tẽdit; quæ quidem diuersitas attenditur dupliciter; Vno quidem modo, quantùm ad finem inclinationis, puta si lapis, qui naturaliter inclinatur ad hoc quod feratur deorsum, projiciatur sursum; Alio modo, quantùm ad modum tendendi, puta si lapis velocius projiciatur deorsum, quam sit motus eius naturalis. S. Th. 2.2 q. 175. ar. 1. Vbi nota, quòd violentũ aliquando opponitur naturali, & est illud, quod fit contra inclinationem rei; aliquando opponitur voluntario, quod potest esse duplex; Alterum simpliciter, vt quando quis cogitur facere aliquid contra suam voluntatem; Alterum est violentum mixtum, & est illud, quòd quamuis secundùm se non placeat homini, tamen consentit in ipsum, ne eueniat ei maius malum, vt quando homo projicit merces in mare, ne totaliter patiatur naufragium, &c.

Vir, vt ait S. Th. in expositione 1. Cor. c. 13. super illis verbis, Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli, dicit, quod vir ille est, qui peruenit ad perfectam & virilem ætatem: Vbi nota, quòd aliquando vir capitur prout distinguitur contra sexum fœmininũ, & sic dici solet, quod vir, & mulier sunt diuersæ speciei, grammaticè loquendo: aliquando vir capitur pro marito, vt est illud, Quinque enim viros habuisti: aliquando pro persona perfecta, siue sit masculus, siue fœmina, iuxta illud, Beatus vir, qui non abijt, &c. aliquando capitur metaphoricè, pro superiori parte rationis, iuxta illud, Vir est imago, & gloria Dei: vnde quando masculus, siue fœmina, respiciũt æterna, & supracœlestia, dicuntur vir; quando verò respiciunt terrena, dicuntur mulieres effœminatæ: hinc vir dicitur à vigore, & à virtute animi, propterea Christus ab instanti suæ conceptionis dictus est vir, non ætate corporis, sed quia fuit plenus omnibus scientijs, & virtutibus, &c.

Vir aliquãdo accipitur pro sexu fœminino, aliquando pro marito.

Virginitas, cuius nomen sumptum videtur à virore; & sicut illud dicitur virens, & in suo virore persistere, quod non est ex superabundantia caloris adustionem expertum, ita etiã virginitas hoc importat, quod personæ cui inest, immunis sit à concupiscentię adustione, quę esse videtur in consumatione maximè delectationis corporalis, qualis est venereorum delectatio: propterea dicitur, quòd virginitas est continentia, qua integritas carnis ipsi Creatori animę & carnis vouetur, consecratur, & seruatur, S. Th. 2. 2. q. 152. ar. 1. Vbi attende, quòd virginitas dicitur etiam abstinentia ab omni coitu, tam licito, quàm illicito, & integritas mentis, & carnis: vel est habitus continentię perfectus, & decorus, seu perpetua meditatio incorruptionis in carne corruptibili. Ex quo sequitur, quòd in Angelis propriè non est virginitas, quia in eis non est delectatio venerea.

Virtus nominat quandam potentię perfectionem: vniuscuiusq; enim perfectio, pręcipuè consideratur in ordine ad suum finem: finis autem potentiæ, actus est: vnde potentia dicitur esse perfecta, secundùm quod determinatur ad suum actum. Sunt autem quædam potentiæ, quæ secundùm seipsas sunt determinatæ ad suos actus, sicut potentiæ naturales actiuæ, & ideo huiusmodi potentiæ naturales secundùm seipsas dicuntur virtutes. S. Tho. 1. 2. q. 55. ar. 1. Vbi animaduerte, quòd virtus nedum pro potentia naturali sumitur, sed aliquando pro fortitudine corporali, iuxta illud, Aruit tanquam testa virtus mea; aliquando capitur pro victoria; aliquando pro armatura bellica; aliquando pro operatione exteriori; aliquando pro principali agente, iuxta illud, Virtutes cœlorum mouebuntur; aliquando pro habitu causato ex frequentatis actibus, vnde diffiniri solet, quod Virtus est habitus electiuus, in mediocritate existens. Et est multiplex, quia quædam est virtus intellectualis, puta sapientia, intellectus, scientia, ars, & prudentia; quædam est virtus moralis, vt iustitia, fortitudo, temperantia; & quædam est virtus Theologica, quæ est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & nullus male vtitur, vt est Fides, Spes, Charitas; & quædam est virtus Heroica. i. quasi diuina, ducens nos ad id, quod communis hominum vita non attingit. De quibus omnibus lege D. Thomam prima secundæ.

Vis, est omne, quod est principium operationis, vt docet S. Th. 3. sent. dist. 23. q. 1. ar. 3. q. 1. ad 3. arg. Vbi considera, quòd vis aliquando significat violentiam, siue coactionem, & dicitur, quod est maioris rei impetus, qui repelli non potest; aliquando dicit fortitudinem, vt dici solet de Hectore, quod habebat magnam vim, idest fortitudinem; aliquando dicit

potentiam

potentiam animæ,ſicut vis intellectiua,& vis ſenſitiua; aliquãdo etiam dicit virtutẽ aliquam,ſiue corporalẽ,ſiue ſpiritualẽ:& propterea S.Th.dicit vbi ſup.ꝙ vis eſt omne illud, quod eſt principium operationis,ſed virtus importat principiũ operationis perfectæ,&c.

Viſio dupliciter conſideratur.

Viſio dupliciter conſiderari poteſt; Vno modo ſecundùm primam eius impoſitionem; Alio modo ſecundùm vſum ſui nominis: primo modo impoſitum eſt hoc nomen viſio,ad ſignificandum actum ſenſus viſus; ſed propter dignitatem, & certitudinem huius ſenſus, extenſum eſt hoc nomen, ſecundùm vſum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum ſenſuum, dicimus enim, Vide quomodo ſapit,vel quomodo redolet,vel quomodo eſt calidum. & vlterius etiam ad cognitionem intellectus, ſecundùm illud Matthæi c.5. Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt.S.Th.p.p.q.67.ar.1.Vbi etiam attende,quòd viſio quædam dicitur corporalis, & quædam ſpiritualis; Corporalis eſt,qua cognoſcuntur viſibilia corporalia; Spiritualis eſt qua cognoſcitur ipſe Deus:quæ triplex eſſe poteſt, ſcilicet facialis,& intuitiua,& ſpecularis,}& abſtractiua,& quædam nubilaris,& ænigmatica,conformiter ad triplicem cognitionem.ſ.meridianam, matutinam, & veſpertinam: additur & quarta, quam poſſumus anagoricam, ſeu myſticam nominare, quæ conſiſtit in amoris vitali perceptione,iuxta illud Apoſt. Videmus nunc in ænigmate per ſpeculũ,&c.

Viſio quadã corporalis, quadam ſpiritualis, quadã ænigmatica.

Viſibile,vt docet S.Th.in 2.de anima l.14.in expoſitione tex.66.eſt illud,quod percipit viſus: duo autem comprehenduntur ſub viſibili, nam viſibile & eſt color,& eſt quoddam aliud,quod ratione quidem deſignari poteſt; ſed non habet proprium nomen ſibi impoſitum,quod quidem viſibile competit his,quæ videntur de nocte,ſicut ſunt noctilucæ,& putredines quercuum , & cornua quorundam animalium , vnde ſicut viſibile eſt illud quod videri poteſt,ita inuiſibile dicitur illud,quod non poteſt videri.Quod autem aliquis non videat viſibile,hoc erit,aut quia nõ vult reſpicere,aut ſi vult,impeditur propter indiſpoſitionem organi,aut propter abſentiam lucis,quæ debet illuminare ipſum diaphanũ &c.

Vita, ſumitur nomen eius ex quodam exterius apparenti, circa rem, quod eſt mouere ſeipſum, non tamen eſt impoſitum hoc nomen ad ſignificandum, ſed ad ſignificandã ſubſtantiam,cui conuenit ſecundùm naturam mouere ſeipſam, vel agere ſe quocunq; modo ad operationem; & ſecundùm hoc,viuere nil aliud eſt,quàm eſſe in tali natura; & vita ſignificat hoc ipſum , ſed in abſtracto , ſicut hoc nomen curſus, ſignificat ipſum currere in abſtracto,vnde viuum non eſt prædicatum accidentale,ſed ſubſtantiale:quandoq; tamen vita ſumitur minus propriè pro operationibus vitæ,à quibus nomen vitæ aſſumitur: hinc viuere principaliter eſt ſentire, vel intelligere, & tunc animal viuere dicimus , quando incipit ex ſe motum habere. S.Th.p.p.q.18.ar.1.& 2. Vbi nota, ꝙ vita poteſt capi etiam pro principio formali viuendi, & ſic tam anima ſenſitiua,quàm vegetatiua, & intellectiua dicitur vita; poteſt etiam dici ipſa vita pro natura viuente, & ſic Deus eſt vita intellectualis; capitur aliquando pro operatione viuentis, hinc dicuntur operationes vitales; dicitur etiam vita aliquando corporalis; aliquando carnalis; aliquando ſpiritualis ; aliquando ciuilis, & politica; aliquando vniuerſalis ; aliquando vita actiua ; & aliquando vita contemplatiua, vt docet S.Th. 2.2.q.182.

Vita eſt principiũ formale viuendi.

Vitium videtur eſſe vniuſcuiuſq; rei, quod non ſit diſpoſita , ſecundùm quod conuenit ſuæ naturæ,quod enim perfectioni naturæ deeſſe perſpexeris, id voca vitium, vt ait S.Th. 1.2.q.71.ar.1.in corp.Vbi nota,quòd vitium dicitur,à vito,quod vitandum ſit ac fugiendum, & poteſt eſſe quidam habitus prauus, aut affectio animi in tota vita inconſtans, & à ſeipſa diſſentiens ; & opponitur virtuti ; & poteſt capi pro errore & morbo corporis , perpetuò tamen, vt eſt cæcitas,claudicatio,& vecordia. Et datur vitium naturale, & vitium morale,& vitium capitale,quod eſt ratio principiandi multa peccata, licet vitium ipſum ſit generalius ipſo peccato : & in hoc differt vitium à peccato,&c.

Vltimum dicitur,quod eſt aliquid rei,& non reducitur in aliud genus,ſed eſt in eodem genere,vel per ſe,ſicut vltima pars lineæ,vel per reductionem, ſicut punctum ad lineam: ſic autem virtus non eſt vltimum eius, per reſpectum ad actum, quia altiſſimum in quod potentia eleuari poteſt, eſt actus,quem virtus elicit, vt ait S.Th.2.ſent.diſt.27.q.1.art.1. vbi exponit propoſitionem Philoſophi, 1.cœli, tex.113. Virtus eſt vltimum in re,de potentia &c.Et 1.2.q.2.art.7.ad 3.ſumitur,quòd vltimum eſt duplex; Alterum in re,vt beatitudo,quæ eſt perfectio animæ tanquam bonum inhærens; Alterum eſt extra rem, vt id, in quo beatitudo conſiſtit,quod ſcilicet beatum facit, &c.

Vnctio extrema,vt ſcribit S.Th.4.ſent.diſt.23.q.1.ar.2.q.1.ad 2.aliquo modo remittit tria illa,quæ in peccato reperiuntur.ſ.macula,reatus pœnæ, & reliquiæ peccati; quamuis

enim culpa quo ad maculam sine contritione non dimittatur, tamen hoc Sacramentum
per gratiam quam infundit, facit quod ille motus liberi arbitrij in peccarum fit contritio,
sicut etiam in Eucharistia, & Confirmatione potest accidere: similiter etiam reatum pœnæ
temporalis dimittit, sed ex consequenti, inquantùm debilitatem tollit, quia eandem pœnã
lenius portat fortis, quàm debilis; vnde non oportet, quòd propter hoc minuarur satisfa-
ctionis mensura. Reliquiæ autem peccati non dicuntur hic dispositiones ex actibus relictæ,
quæ sunt quidã habitus inchoati, sed quædam spiritualis debilitas, in ipsa mente existens,
qua sublata (etiã habitibus, vel dispositionibus manentibus) non ita potest inclinari mens
ad peccata, &c. Vbi nota, ꝙ vnctio est multiplex; quædam quæ dicitur sapientia diuinitus
inspirata, docens de omnibus; quædam est, qua vnguntur Reges; & quędam est, qua vngun-
tur Cathecumini, & baptizandi, & hæc est quoddam sacramentale; & quædã qua vnguntur
confirmandi per Episcopum chrismate. Et dicitur extrema vnctio. i. vltimum Sacramentũ,
Vngi infirmus non debet, nisi immineat periculũ. vt ipsius nomen sonat, quia post id aliud non speratur: vnde solùm infirmis, & periculosè
ægrotantibus datur. Et si probabiliter speratur de eorum euasione, nõ debet dari. Materia
huius Sacramenti est, oleum oliuæ consecratum; forma verò, Per istã sacrã vnctionem, &c.

Vnigenitus dicitur diuinum Verbum, & Filius Dei, quia naturaliter habet quoddam sin-
gulare præ alijs. s. habere per naturam, id quod accipit, & secundũ hoc dicitur vnigenitus,
vt patet Io. c. 1. Vnigenitus qui est in sinu Patris, ipse nobis enarrauit: & licet accipere sit
commune creaturæ, & Filio, non tamen secundùm vniuocationem, sed sm̃ similitudinem
quandam remotam, ratione cuius dicitur primogenitus creaturæ, secũdùm illud Coloss. 1.
Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. S. Th. p. p. q. 33. art. 3. in resp. ad 2. arg. vbi di-
sputat, si hoc nomen Pater, dicatur in Deo, prius personaliter, quàm essentialiter, &c.

Vnio aliquorum duorum, vel trium potest esse tripliciter; Vno modo secundùm quod ali-
qua non vniuntur ad inuicem, nisi per coniunctionem eorum in aliquo vno; quædam verò
vniuntur econuerso, per coniunctionem eorũ ad inuicem, & in aliquo vno, quod ex eorum
coniunctione constituitur; quædam verò per coniunctionem eorum ad inuicem, sed non in
aliquo vno, quia ex eorum coniunctione nihil resultat. Primum horum contingit quatuor
modis; quia vel illud vnum, in quo coniunguntur, est idem numero, sicut duo brachia in
vno pectore; vel idem specie, vt Sortes, & Plato in homine; vel genere, vt homo, & asinus,
in animali, vel analogia, vt substantia, & quantitas in ente. S. Th. 3. sent. dist. 1. q. 1. art. 1.

Vnitas, vel dualitas, non est pars ternarij, nisi secundùm rationis acceptionẽ, cuius ratio
est, quia alio modo est numerus in rebus diuinis, & in rebus creatis, & alio modo vnitas; cũ
enim vnum sit quod est indiuisum in se, & diuisum ab alijs, cùm vnumquodq; creatum per
essentiam suam distinguatur ab alijs, ipsa essentia creati secundùm quod est indiuisa in se,
& distinguens ab alijs est vnitas eius, & plures vnitates, constituentes numerum persona-
rum creatarum, sunt plures essentiæ congregatæ, secundùm numerationẽ, ita ꝙ nihil est in
vna, quod non sit in alia secundùm numerum idem; vnitas aũt personalis est ipsa proprie-
tas relatiua, distinguens vnã personam ab alia, & non essentiam ipsius personæ: vnde tres
personę non sunt differentes per essentiam, cùm vna numero essentia sit in tribus personis;
& ideo non potest esse ibi coaceruatio, sed tm̃ distinctio, &c. S. Th. 1. sent. dist. 194. ar. 1. ad 2.

Vnum est ens indiuisum. Vnum non addit supra ens rem aliquam, sed tantùm negationem diuisionis: vnum enim
nihil aliud significat, quàm ens indiuisum, & ex hoc ipso apparet, quòd vnum conuertitur
cum ente; nam omne ens, aut est simplex, aut compositum; quod autem est simplex, est in-
diuisum & actu, & potentia; quod autem est compositum, non habet esse, quandiu partes
eius sunt diuisæ, sed postquam constituunt, & componunt ipsum compositum: vnde mani-
festum est, quòd esse cuiuslibet rei consistit in indiuisione, & inde est, quòd vnumquodque
sicut custodit suum esse, ita custodit suam vnitatem: vnde cùm dicitur, ens vnum, non est
nugatio, cùm vnum addat supra ens indiuisionem. S. Th. p. p. q. 11. art. 1.

Vniuersale dupliciter considerratur. Vniuersale dupliciter potest considerari; Vno modo, secundùm quod natura vniuersalis
cõsideratur simul cum intentione vniuersalitatis; & cũ intentio vniuersalitatis (vt. s. vnum
& idẽ habeat habitudinem ad multa) proueniat ex abstractione intellectus, oportet quod
secundũ hunc modum vniuersale sit posterius: vnde in 1. de anima dicitur, Vniuersale ani-
mal aut nihil est, aut posterius est. Sed secundùm Platonẽ, qui posuit vniuersalia subsisten-
tia, secundùm hanc cõsiderationem vniuersale esset prius, quàm particularia, quæ secundũ
eum non sunt, nisi per participationem subsistentium, quæ dicũtur Ideæ. Alio modo potest
considerari quantùm ad ipsam naturã. s. animalitatis, vel humanitatis, prout inuenitur in
particularibus, & sic dicitur vniuersale in re. S. Th. p. p. q 85. art. 3. Vbi nota, quòd dicitur

vniuersale

vniuersale ante rem, in re, & post rem: & quod vniuersale est perpetuum, & incorruptibile, & vbique, & semper. Et dicitur vniuersale, quod pertinet ad diuersos: vnde illud est, quod est aptum natum de pluribus prædicari. Sed an sit vox, vel actus cognoscendi, vel conceptus; vide in nostris Dilucid. 7. Metaph.

Vniuersum est perfectius in bonitate, quàm intellectualis creatura, extensiuè, & diffusiuè, sed intensiuè, & collectiuè, similitudo diuinæ perfectionis magis inuenitur in intellectuali creatura, quæ est capax summi boni. S. Th. p. p. q. 93. art. 2. ad 3. Vbi nota, quòd vniuersum dicitur, quasi totum, & quasi quod ad omnes res pertinet, sine aliqua exceptione; vnde dicitur vniuersus populus, vniuersus exercitus. In plurali significat omnes coniunctim; vnde dicendo, omnes sibi domicilium constituerunt, intelligit domicilium sibi vnumquemque constituisse; si verò dicimus, vniuersi, &c. significatur omnes simul vnum sibi pro omnibus domicilium fecisse, &c.

Vniuocum, vt ait S. Th. 1. contra gent. cap. 32, est, quod de pluribus prædicatur, vel vt genus, vel vt species, vel vt differentia, vel vt proprium, vel vt accidens: & quia nihil prædicatur his modis de Deo, & creaturis, idcirco nullum est commune vniuocum, conueniens Deo, & creaturis. Vbi nota; quòd solet distingui de vniuoco vniuocante, quod est nomen secundùm vnam rationem pluribus attributum, vt hoc nomen animal, secundùm vnam rationem communem, attribuitur homini, & leoni: Vniuocum vniuocatum est res diuersa secundùm vnam rationem communem, per idem nomen importata, vt homo, & leo, importati per rationem communem repertam in hoc nomine animal, &c. *Vniuocū est duplex, vniuocans, & vniuocatum.*

Vocatio semper est temporalis, quia ponit adductionem quandam ad aliquid; & ideo est quædam vocatio ad esse per creationem, cui non respondet electio æterna: vnde dicitur Rom. 4. Qui vocat ea, quæ non sunt, &c. Et est quędam vocatio temporalis ad gratiam, cui respondet & electio temporalis, & ęterna: hęc autem vocatio est, vel interior per infusionem gratię, vel exterior per vocem prędicatoris. Interior autem vocatio, & temporalis electio ad gratiam, semper sunt simul, sed differunt secundùm rationem, quia electio inquantùm dicit segregationem, respicit terminum à quo, vocatio auem terminum ad quē magis; sed differt secundùm rationem, quia vocatio pertinet ad motum naturæ proficiscentis in gratiam, sed iustificatio respicit esse, consequens terminum motus, secundùm quod gratia facit iustum esse. S. Th. 1. sent. dist. 41. q. 1. art. 2 ad 3. & apud Isa. lect. 1. dicit, quòd Fideles vocantur ad tria, scilicet ad Fidei euidentiam per consensum, ad doctrinam per præcepta, & ad obedientiam per consilia, &c.

Voluntarium, vt habet S. Th. 1. 2. q. 6. art. 1. dicitur esse non solùm cuius principium est intra, sed cum additione scientiæ: vnde cùm homo maxime cognoscat finem sui operis, & moueat seipsum in eis actibus, maxime inuenitur voluntarium, quia illa quæ habent notitiam finis, dicuntur mouere seipsa, quia in eis est principium, non solùm vt agant, sed etiam vt agant propter finem; & ideo cùm vtrunq; sit ab intrinseco principio. s. quod agūt, & quod propter finem agunt, horum motus & actus dicuntur voluntarij; hoc antē importat nomen voluntarij, quod motus & actus sit à propria inclinatione. Voluntarium ergo est, q; procedit à voluntate; vel directè. s. à voluntate agente; vel indirectè. s. à voluntate non agente; hinc poterit esse secundùm inclinationem volūtatis ad agendum, & patiendū, &c.

Voluntas distinguitur in tria, scilicet in voluntatem accedentem, quæ scilicet de nouo accedit operi, vel operanti, & talia non est in Deo, quia omnis operatio eius est æterna; Secundo in voluntatem concomitantem, quæ dicitur secundùm comparationem ad obiectum tantum, & sic est in Deo respectu generationis Filij. Tertio in voluntatem antecedentem, & sic dicit comparationem principij ad principiatū, & sic est respectu creaturarum. S. Th. 1. sent. dist. 6 q. 1. art. 2. Et p. p. q. 41. art. 2. ad 3. dicit, quòd voluntas consideratur dupliciter; Vno modo, vt natura quædam, & sic vult aliquid naturaliter, sicut voluntas hominis naturaliter tendit in beatitudinem; & similiter Deus naturaliter vult, & amat seipsum; Alio modo voluntas consideratur, vt voluntas est, & sic se habet ad vtrumlibet, quomodo ipse Deus est respectu aliorum à se, sed non respectu productionis Spiritus sancti, qui naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis, &c.

Vomitus, vt docet S. Th. 2. 2. q. 148. art. 6. ad 2. licet vtilis sit, post superfluam comestionem, tamen vitiosum est, quòd aliquis huic necessitati se subdat, per immoderantiam cibi, aut potus; potest tamen absque culpa vomitus procurari, ex consilio medicinæ, in remedium alicuius languoris; & sic intelligitur illud Ecclesiast. cap. 31. Si coactus fueris in edendo multum, surge de medio, & vome, & refrigerabit te, &c.

Votum à voluntate accipit nomen, quasi à primo motore; vnde votum importat quandam obligationem ad aliquid faciendum, vel dimittendum: obligat autem homo se homini ad aliquid per modum promissionis, quæ est rationis actus, ad quam pertinet ordinare; ficut enim homo imperando, vel deprecando ordinat quodammodo, quid sibi ab alijs fiat, ita promittendo ordinat, quid ipse pro alio facere non debeat. Sed promissio quæ ab homine fit homini, non potest fieri nisi per verba, vel quæcunque exteriora signa: Deo autem potest fieri promissio, per solam interiorem cogitationem, quia homines [illegible] dent, quæ patent, Deus autem intuetur cor. Exprimuntur tamen quandoque verba exteriora, vel ad suipsius excitationem, vel etiam ad alios contestandum, vt non solum [illegible] stat à fractione voti propter timorem Dei, sed etiam propter reuerentiam hominum: promissio autem procedit ex proposito faciendi, propositum autem aliquam [illegible] tionem præexigit, cùm sit actus voluntatis deliberatæ. Sic ergo ad votum tria ex necessitate requiruntur; primo quidem deliberatio; Secundo propositum voluntatis; Tertio promissio, in qua perficitur ratio voti: superadduntur verò quandoq; & alia duo, ad quandam voti confirmationem, scilicet pronunciatio oris, secundùm Psal. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea; & iterum testimonium aliorum: propterea dicitur, quòd votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo, & his quæ sunt Dei, fieri debet, quamuis testificatio, possit ad interiorem testificationem propriè referri, vt scribit S. Th. 2.2. q.88. art.1. & per totam quæstionem.

Tria ad voti requiruntur.

Vouens, illud quod non est in potestate sua, non peccat; quia in eius voto intelligitur debita conditio, nisi suis superioribus placuerit, vel si non contradicant: qua conditione statute, tenetur implere votum: & quia nullus potest per promissionem se firmiter obligare, ad id quod est in potestate alterius, sed solùm ad id quod est in sua potestate. Quicunque autem est subiectus alicui, quantum ad id quod est subiectus, non est suæ potestatis facere quod vult, sed dependet ex voluntate alterius; & ideo non potest se per votum firmiter obligare in his, in quibus alteri subijcitur, sine consensu sui superioris: sic etiam filius constitutus sub potestate patris, non potest se obligare per votum, aut per matrimonium, nisi cùm peruenerit ad annos pubertatis, & si sit liberæ conditionis, &c. S. Th. 2.2. quæst.88. art.8.

Vultus est prope vim imaginatiuam, ideò apparent in eo indicia affectuum, vt docet S. Th. in disp. de Verit. q.26. art. [illegible] in quo disputat, secundùm quid attenditur contrarietas, & diuersitas inter animæ passiones. Et arguit, quòd bonum, & malum non diuersificent passiones animæ, quia exultatio, gaudium, & lætitia, iocunditas, & hilaritas, differentiam quandam habent, aliter inutiliter duo istorum coniungerentur, vt patet Isa. 35. Gaudium, & lætitiam obtinebunt; cùm ergo omnia ista respectu boni dicantur, videtur, q̃ bonum, & malum passiones animæ non diuersificent. Et respondet, q̃ delectatio, & gaudium eodem modo differunt, sicut tristitia, & dolor; nam delectatio sensibilis habet ex parte corporis coniunctionem conuenientis, ex parte verò animæ sensum illius conuenientiæ: & similiter delectatio spiritualis habet quandam realem coniunctionem conuenientis cum conuenienti, & perceptionem illius coniunctionis; vnde Plato definiens delectationem sensibilem, dixit, quòd delectatio est sensibilis generatio in naturam; Aristoteles verò diffiniens generaliter delectationem, dixit, q̃ delectatio est operatio naturalis habitus non impedita, & eandem concludit S. Thom. quòd intensio gaudij interioris, prorumpit in quædam exteriora signa, & sic est exultatio: dicitur enim exultatio, ex hoc quod gaudium interius quodammodò exterius exilit: quæ quidem exilitio attenditur, vel secundùm immutationem vultus, in quo primo apparent affectus indicia, propter propinquitatem eius ad vim imaginatiuam, & sic est hilaritas; vel secundùm quod ex intensione interioris gaudij disponuntur, & verba, & facta, & sic est iocunditas, &c.

Definitio delectationis secundum Platonem, & Arist.

Vxor vna, vnius esse debet, vt scribit S. Th. 4. sent. dist. 33. q.1. art.2. in corp. quia lex de vnitate vxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta, nec vnquam verbo, aut literis tradita, sed cordi impressa, sicut & alia quæ ad legem naturæ qualitercunque pertinent; & ideo in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit, per inspirationem internam, quæ quidem principaliter Sanctis Patribus facta est, & per eorum exemplum ad alios deriuata est, eo tempore, quo oportebat prædictum naturæ præceptum prætermitti, vt maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educandæ, &c. Vbi nota, q̃ vxor dicitur mulier, postquam contraxit matrimoniũ per verbũ de præsenti, licet nondũ consumauerit, & hoc in omnibus fauorabilibus; sed in odiosis, appellatione vxoris venit solùm illa, quæ matrimonium consumauit.

consummauit: Et dicitur ab vngendo, quasi vnxor; nam puellæ cùm nuberent apud veteres, accipientes domum intrarent, postes vngebant, putantes ex hoc omnia mala ab ea domo arceri; vel quia vnguento maritos vngebant, &c.

Vxoricidium nunquam & in nullo casu est licitum, ita vt vir propria auctoritate possit vxorem interficere, et si per iudicium ciuile possit vir sine peccato, zelo iustitiæ, non liuore vindictæ, aut odij motus, vxorem adulteram in iudicio seculari accusare criminaliter de adulterio, & pœnam mortis à lege statutam petere: sicut etiam licet accusare aliquem de homicidio, aut de alio crimine, &c. tamen interficere vxorem (etiam adulteram) nunquam licet, neque secundùm leges ciuiles, neque secundùm legem conscientiæ. Sed lex ciuilis, quasi licitum computat, quòd in ipso actu eam interficiat, non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidij inferens, propter maximum incitamentum, quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris. Sed Ecclesia non est astricta legibus humanis, vt iudicet eum sine reatu pœnæ æternæ, vel pœnæ Ecclesiastico iudicio infligendæ, ex hoc quod est sine reatu pœnæ infligendæ per iudicium seculare; & ideo propria auctoritate non licet interficere vxorem, &c.

DE LITERA X.

LITERA ista vsque ad tempus Augustini non erat in vsu apud Latinos: & rationabiliter assumpta fuit tempore illo, quo nomen Christi innotuit, quia in figura Christi inscribitur; & aliquæ dictiones apud Græcos aliquando inueniuntur scriptæ per ch, aliquando per hanc literam X. & sic etiam Sanctus Thomas sequens vestigia Sanctorum Patrum, aliquando scribit hanc dictionem Xps, per X. vt patet quæst. 16. art. 8. 3. par. In quo disputat, Num Xps sit creatura; aliquando per ch, vt patet q. 66. art. 2. vbi quærit, Num Baptismus fuerit institutus post Christi passionem; & sic in multis alijs locis suæ doctrinæ, &c.

Xps, vt habet S. Th. 3. p. q. 17. art. 1. dicit duas naturas. s. diuinam, & humanam. Diuina natura potest prædicari de Xpo, & in abstracto, & in concreto: dicimus enim, quòd Filius Dei, qui supponitur in hoc nomine Xps, est diuina natura, & est Deus; sed humana natura non potest prædicari de Xpo, secundùm se, in abstracto, sed solùm in concreto, prout significatur in supposito: non enim verè potest dici, quòd Xps sit humana natura, quia natura humana non est nata prædicari de suo supposito, dicitur autem quod Xps est homo, sicut quod Xps est Deus, Deus autem significat habentem Deitatem, & homo significat habentem humanitatem; aliter tamen habens humanam naturam significatur per hoc nomen homo, & aliter per hoc nomen Iesus, vel Petrus: nam hoc nomen homo, importat habentem humanitatem indistinctè, sicut & hoc nomen Deus indistinctè importat habentem Deitatem; hoc nomen Petrus, vel Iesus, importat distinctè habentem humanitatem. s. sub determinatis indiuidualibus proprietatibus, sicut & hoc nomen Filius Dei, importat habentem Deitatem, sub determinata proprietate personali: propterea varia prædicata dicuntur de Xpo, vt habet Diuus Thomas 3. p. q. 8. art. 1. quod Xps est caput Ecclesiæ, secundùm similitudinem humani capitis, in quo sunt tria; ordo, quia caput est prima pars hominis, perfectio, quia in eo vigent omnes sensus interiores, & exteriores, virtus, quia virtus, & motus, cæterorum membrorum, & gubernatio eorum in suis actibus: quæ omnia competunt Xpo spiritualiter. Primo enim secundùm propinquitatem ad Deum, gratia eius altior est, & prior. Secundo habet plenitudinem omnium gratiarum. Tertio habet virtutem influendi gratiam in omnia membra Ecclesiæ. Dicitur etiam Dominus, contra illos qui dixerunt Xpm esse Dominicum: quia cùm dicitur homo Xps Iesus, designatur suppositum æternum, quod est persona Filij Dei, & propter hoc, quod est vnum suppositum vtriusque naturæ, de persona autem Filij Dei prædicatur Deus, & Dominus, essentialiter. & ideo non debet prædicari denominatiuè, quia hoc derogat veritati vnionis: vnde cùm dominicus dicatur denominatiuè à domino, non potest verè & propriè dici, quòd homo ille sit dominicus, sed magis quod sit Dominus, &c. Dicitur autem Rex noster, quia nos regit, & ducit ad vitam æternam. Sed non debet absolutè dici, quòd Xps sit creatura, vel minor Patre, sed cum determinatione, s. secundùm humanam naturam. Nec etiam dicere debemus, quòd Iesus Xps cœpit esse, si nihil addatur, quia ponimus in Xpo vnum suppositum, & vnam hypostasim, sicut & vnā personam: secundùm hoc enim oportet, quod in hoc quod dicitur

Xps dicitur caput Ecclesiæ, Dominus, Rex, & Sacerdos.

iste

iste homo, demonstrato Xpo, designetur suppositum æternum, cuius æternitati repugnat incipere esse: vnde hæc est falsa, hic homo incepit esse, &c. Dicitur etiam Sacerdos, quia proprium officium Sacerdotis est esse mediatorem inter Deum, & hominem, seu populum: ideo ipse Xps, inquantum homo non solùm fuit Sacerdos, sed etiam hostia pacifica, simul existens hostia pro peccato, & holocaustum. Habet etiam plura alia nomina, vt est videre apud D. Thomam, &c.

Xpianus dicitur, qui Christi est: dicitur autem aliquis esse Christi, non solùm ex eo quod habet Fidem Christi, sed etiam ex eo, quod spiritu Christi ad opera virtuosa procedit, secundùm illud ad Rom. 8. Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius: & ex hoc quod ad imitationẽ Christi, peccatis moritur, secundùm illud ad Gal. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs; & ideo vt Christianus patitur, nõ solùm qui patitur pro Fidei confessione, quæ fit per verba, sed etiam quicunque patitur pro quocunque bono faciendo, vel quocunque peccato vitando propter Christum, quia hoc totum pertinet ad Fidei protestationem, vt habet S. Th. 2, 2. q. 124. art. 5. ad primum, vbi disputat, Si sola Fides sit causa martyrij, cùm dicatur 1. Petri cap. 4. Nemo autem vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut aliquid huiusmodi, si autem vt Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine; sed ex hoc dicitur aliquis Christianus, quia tenet Fidem Christi, ergo sola Fides Christi dat patientibus martyrij gloriam, &c. Et respondet vt supra, Vbi nota, q. Christus dicitur à chrismate. i. ab vnctione, quasi chrismate vnctus, vnde hoc nomen erat antiquitus commune & Sacerdotibus, & Regibus, qui vngebantur, & ex hoc nomine Christi, dicitur Christianus, quia cùm Christus dicatur vnctus, ratione Humanitatis, Christianus quoque vngitur in Baptismo: hinc fit, vt potius baptizatus sortiatur nomen Christiani, quàm Iesuita, quia Iesus dicitur Saluator, & saluare est proprium Deitatis, & non Humanitatis, & quia Christianus non conuenit cum Iesu in Deitate, sed bene in Humanitate cum ipso Christo, Rege, & Sacerdote; ob hoc iure Christianus, & non Iesuita vocari debet, &c.

Christus dicitur quasi chrismate vnctus.

Xenodochium à xenos, idest peregrinum; dicitur Xenodochium locus in quo pauperes & peregrini suscipiuntur, & conuersantur, vt hospitale; vel ipsa collectio, & susceptio pauperum, & peregrinorum: hinc xenodochiarius, & xenodochiaria, idest custos xenodochij. Essent & aliæ dictiones, incipientes ab hac litera x, quas iure optimo relinquo, quia spectant ad Grammaticum, potius quàm ad Theologum.

DE LITERA Y.

HAnc literam y, nostri Latini ponunt ac numerant inter vocales, quia cùm literæ apud nos sint vna & viginti, & quindecim sint consonantes, necesse est, vt sex sint vocales, inter quas connumeratur y, quandoquidem h non est litera, sed aspirationis nota; & ideo potest terminare syllabam, & incipere, quacunque consonante præcedente, aut sequente, sicut omnes vocales faciunt. Et scribitur tantùm in Græcis dictionibus, vel Barbaris apud Latinos, sed non vbique, & semper, &c.

Ypostasis, vt notat S. Th. p. p. q. 29. art. 2. in resp. ad primum, apud Græcos ex propria significatione nominis, habet quod significet quodcunque indiuiduum substantiæ, sed ex vsu loquendi habet quod sumatur pro indiuiduo rationalis naturæ, ratione suæ excellentiæ: & hinc est, quòd sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres personas, & tres subsistentias, ita Græci dicunt tres ypostases: sed quia nomen substantiæ, quod secundùm proprietatem significationis respondet ypostasi, æquiuocatur apud nos, cùm quandoq; significet essentiam, quandoq; ypostasim, ne possit esse erroris occasio, maluerunt pro ypostasi transferre subsistentiam, quàm substantiam; propterea hæc tria, persona, ypostasis, subsistentia, idem significare videntur. Sed nota, quod aliqui scribunt hoc nomen ypostasis, cum aspiratione h, aliqui verò sine aspiratione: sed hoc nihil refert, cùm aspiratio non sit litera, vt dictum est supra, & nos Theologi non voces, sed res potius attendamus, &c.

Ypostasis est rationalis naturæ indiuidua substantia.

Ydea. Hoc nomen ydea diuersimode inscribitur apud S. Thomam p. p. q. 15. per totam scribitur per i, Latinam literam, vt notauimus nos supra litera I, in quæstionibus disputatis de veritate, quæst. 3. per totam scribitur per y: vnde de mente Augustini lib. 83. quæst. in principio primi articuli dicit, ydeas latinè formas, vel species, vocamus, vt verbum

ex verbo

ex verbo transferre videamus. Forma autem alicuius rei potest dici tripliciter; Vno modo à qua res formatur, sicut à forma agentis procedit effectus formatio; sed quia non est de necessitate actionis, vt effectus pertingant ad completam rationem formæ agētis, cùm frequenter deficiant, maximè in causis æquiuocis, ideo forma à qua formatur aliquid, non dicitur ydea, vel forma; Alio modo dicitur forma alicuius, secundùm quam aliquid formatur, sicut anima est forma hominis, & figura ipsius statuæ, licet ydea sit forma separata. Tertio modo dicitur forma alicuius illud, ad quod aliquid formatur, & hæc est forma exemplaria, ad cuius similitudinem aliquid constituitur; & hoc modo ydea dicitur forma, quam aliquid imitatur. Et nota, quòd isto modo ydea scribitur in antiquis exemplaribus impressis Venetijs apud hæredes Scoti, 1503. Nonis Nouembris, &c.

Forma rei tripliciter dici potest.

DE LITERA Z.

HÆc litera z, est vltima in Alphabeto; & est Græca, & Latina, & loco eius solemus aliquando vti gemina consonante, vt patrisso pro patrizo, assimus, azimus, &c.

Zacharias, vt scribit S.Th.2.2.q.97.art.2.ad 3. peccauit, nolens credere Angelo, dicenti, Luc.1. Ne timeas Zacharia, quia exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, &c. Et dixit Zacharias ad Angelum, Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis; propterea fuit punitus ab Angelo, dicente, Eris tacens, & non poteris loqui, &c. Sic etiam Achaz vituperatur, quia Domino dicente, Pete tibi signum à Domino Deo tuo; & respondit, Non petam, & non tentabo Dominum; quia Deus volebat signum dare Regi Achaz, non pro ipso solo, sed pro totius populi instructione; & ideo reprehenditur quasi impeditor communis boni, & salutis, quod signum petere nolebat. Abraam autem signum petijt ex instinctu diuino, & ideo non peccauit; Gedeon verò ex debilitate Fidei signum petijsse videtur, & ideo à peccato non excusatur. Vnde dupliciter aliquis signum petit à Deo; Vno modo ad explorandam diuinam potestatem, aut veritatem dicti eius, & hoc de se pertinet ad Dei tentationem; Alio modo ad hoc quod instruatur quid sit circa aliquod factum placitum Deo, & sic non pertinet ad Dei tentationem, &c.

Zacheus, vt habetur Luc.19. quando dixit ad Dominū, Si quid defraudaui, reddo quadruplum: id enim dixit, quasi supererogare volens. vnde præmiserat, Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, vt ait S.Thom.2.2.q.62.art.3. in quo disputat, Num sufficiat restituere simplum, quod iniustè ablatum est: Et respondet, quòd cùm aliquis iniustè accipit rem alienam, duo sunt ibi: quorum vnum est inæqualitas ex parte rei, quæ quandoque est sine iniustitia, vt patet in mutuis; Aliud est iniustitiæ culpa, quod potest esse etiam cum æqualitate rei, puta cùm aliquis intendit inferre violentiam, sed non præualet; quantùm ergo ad primum, adhibetur remedium per restitutionem, inquantùm per eam æqualitas reparatur, ad quod sufficit, quòd restituat tantùm, quantùm habuerit de alieno, sed quantùm ad culpam adhibetur remedium per pœnam, cuius inflictio pertinet ad iudicem; & ideo antequam sit condemnatus per iudicem, non tenetur restituere plus quàm accepit, sed postquam condemnatus est, tenetur pœnam soluere, & sic Zacheus plus reddidit, quàm acceperit, &c.

Zelotipia, vt habet S.Th.3.sent.dist.27.q.1.art.1.ad 3 est quæ non patitur consortium in amato: vnde dicit, quòd radix amoris per se loquendo est similitudo amati ad amantem, quia sic est ei bonum & conueniens: Contingit autem per accidēs dissimilitudinem amoris, & similitudinem odij esse causam tripliciter; Vno modo, quando affectus amantis non sibi complacet, neq; quiescit in conditione, vel aliqua proprietate suiipsius, sicut cùm aliquis in seipso odit aliquid; Secundo, quando aliquis ex ipsa similitudine impedit amantē ab amati fruitione, & hoc inuenitur in omnibus rebus, quæ non possunt simul à multis haberi, & hinc oritur zelotipia, & inuidia, inquantùm bonum alterius æstimatur impeditiuum boni proprij; Tertio, prout dissimilitudo præcedens facit percipi amorem sequentem; & ideo quando aliquis non habet præsentiam sui amati, magis feruet & arctatur de amato, inquantùm magis amorem percipit, quamuis apud præsentiam amati non sit amor minor, sed minus perceptus, &c.

Zelus,

Zelus, vt scribit S. Th. 1.2.q.28.art.4. quocunque modo sumatur, ex intensione amoris prouenit; manifestum est enim, quòd quanto aliqua virtus intensius tendit in aliquid, fortius repellit illud, quod est contrarium, vel repugnans: vnde intensus amor intendit excludere omne id, quod sibi repugnat: aliter tamen hoc contingit in amore concupiscentiæ, qui intensè aliquid concupiscit, mouetur contra omne illud quod repugnat consequutioni vel fruitioni eius, quod amatur; & hoc modo viri dicuntur zelare vxores, ne per consortium aliorum impediatur singularitas, quam in vxore quærunt; similiter etiam qui quærunt excellentiam, mouentur contra eos qui excellere videntur, quasi impedientes excellentiam eorum, & iste est zelus inuidiæ, iuxta illud, Neque zelaueris facientes iniquitatem: amor autem amicitiæ quærit bonum amici, vnde quando est intensus, facit hominem moueri contra omne illud, quod repugnat bono amici, & secundùm hoc aliquis dicitur zelare pro amico, quando si qua dicuntur, vel fiunt contra bonum amici, homo repellere, studet, & per hunc etiam modum aliquis dicitur zelare pro Deo, quando ea quæ sunt contra honorem, vel voluntatem Dei, repellere secundùm posse conatur, iuxta illud Ioannis Zelus domus tuæ comedit me; quia tollebat praua contra Deum, &c.

Zodiacus, est circulus obliquus, declinans ad vtramque partem ab æquinoctiali, & propterea illud corpus quod mouetur super Zodiacum, oportet, quod sit quandoque magis propinquum, & quandoque magis remotum, & secundùm hoc sua propinquitate & remotione causat contraria; videmus enim, quòd ea quæ appropinquante Sole ad nos, generantur, recedente Sole corrumpuntur, sicut herbæ quæ in vere nascuntur, & in autumno siccantur; mouentur enim in circulo Zodiaco Sol, & alij Planetæ. Sed Stellæ fixæ dicuntur moueri super polos Zodiaci, & non super polos æquinoctiales, &c. S.Th. 12. Metaph. lect. 5. in fine. Vbi nota, quòd Zodiacus græcè, signifer latinè dicitur, eo quod in ipso Zodiaco sunt signa, quæ habent nomina animalium, Zodian enim Græcè animal dicitur. Vel dicitur Zodiacus à figura animalium, quæ in eo imaginantur Astrologi, vt sunt Aries, Leo, Sagittarius, Taurus, Virgo, Capricornus, Gemini, Libra, Aquarius, Cancer, Scorpio, Pisces, &c.

Has terminorum significationes, ex intimis penetralibus ac fontibus doctrinæ Sancti Thomæ de Aquino potius colligere volui, quàm ex doctrina alicuius alterius Doctoris; vt eorum cognitio facilior sit, & firmior, ac nobis familiatior, quandoquidem eas vt plurimum docuit hic Sanctus Doctor in Italia, & præsertim in hoc studio Neapolitano, vt patet ex literis his subsequentibus.

In Regestro Caroli Primi 1274. folio primo.

Item scriptum est eisdem, &c.

CVm religiosus vir Fr. Thomasius de Aquino, dilectus noster, apud Neapolim in Theologia legere debeat, Nos volentes sibi exhibere subsidium in expensis, & propter hoc de vna vncia auri ponderis generalis pro quolibet mense, quandiu ibidem legerit, sibi prouideri velimus, fidelitati vestræ sub pœna dupli quantitatis ipsius præcipiendo mandamus, quatenus ad requisitionem Prioris, Fratrum eiusdem Ordinis in Neapoli, vel certi nuncij eius, de prædicta vncia auri ad generale pondus singulis mensibus, donec idem Fr. Thomas ibidem legerit, prædicto Priori, vel eius certo nuncio pro eodem, per dohenarios Neapoli, de prouentibus dohanæ, quam anno præsenti primæ indictionis exercent, quæ sunt, & erunt, per manus eorum sine difficultate qualibet satisfieri faciatis, recepturi præsentes literas; & de his quæ dederitis idoneas apodissas, non obstante mandato aliquo vobis facto, per quod effectus præsentium impediri valeat, vel differri: scituri, quòd si dilationem, vel defectum vltra debitum commiseritis, in exequutione præsentium, præter dictam pœnam dupli, quam à vobis extorqueri infallibiliter faciemus, indignationem nostram exinde incurretis Datum Neap. mens. Octobris 16 eiusdem 1274.

Concordat præsens copia cum originali proprio, de verbo ad verbum; In cuius rei fidem infrascriptus Magnificus Regius Archiuarius manu propria se subscripsit, ac sigillo quo vti consueuit præsentem copiam muniuit, die 14. Iulij 1591.

Ioseph Crimaldus Regius Archiuarius.

Loco sigilli.

INCIPIT TERTIVS TRACTATVS FORMALITATVM,

De Contradictionibus in Doctrina S. Thomæ.

IN LOGICAM.

CONTRADICTIO I.

SANCTVS Thomas in prologo primi periher. dicit, quod Logica est scientia rationalis: sic etiam & primo poster. lect. prima. Huius tamen oppositum videtur asserere 4. metaph. lect. 4. vbi dicit, quod materia Dialecticæ est ens, & ea quæ sunt entis, de quibus etiam Philosophus considerat; modo ens, & ea quæ sunt entis, de quibus Philosophus considerat sunt entia realia, quia Logica tractat de entibus realibus; ergo erit scientia realis, quia scientia specificatur ab obiecto quod considerat. Et eò magis apparet hoc ex libro prædicamentorum, qui totus est realis; prædicamenta enim, vt substantia, quantitas, & qualitas, sunt passiones entis realis, de quibus Logicus tractat, & Metaphis. 5. metaph. per totum.

CONCILIATIO.

Aliquã scientiam realem dici, intelligere possumus Primò. Secundo.

HAnc contradictionem soluentes, dicimus, aliquam scientiam dici realem, multis modis intelligere possumus; Primò, quia ipsa scientia, est ens reale, quo pacto omnis scientia realis nuncupatur, cùm sit in prædicamento qualitatis, & in prima eius specie, quæ est habitus vel dispositio. Secundo, aliqua scientia potest dici realis, quia est in subiecto reali; & hoc etiam modo, quælibet scientia realis vocari debet, quia quælibet earum est in intellectu possibili subiectiuè, qui quidem intellectus est potentia animæ nostræ, quæ est Ens realissimum. Tertiò, *Tertio.* scientia aliqua realis appellatur, quia habet causam realem, & sic etiam omnis scientia realis nuncupari poterit, quandoquidem anima nostra, quæ est ens reale, dicitur causa efficiens, & finalis, & materialis omnium scientiarum. Quarto, scientia aliqua *Quarto.* dicitur realis ratione obiecti, circa quod scientia illa versatur, & tunc illa tantùm scientia dicitur realis, quæ habet obiectum reale, existens extra animam, vt Philosophia naturalis, quæ versatur circa ens mobile; & Mathematica, quæ versatur circa ens quantum; & Metaphysica, quæ versatur circa ens inquantùm ens; sic & Theologia, quæ considerat Deum benedictum. Logica verò versatur circa obiectum, quod est ens rationis: & propterea optimè dixit Sanctus Thomas, quòd Logica est scientia rationalis, intelligendo obiectiuè, quia obiectum suum est ens rationis. Nec contradicit sibi ipsi ex hoc, quod 4. Metaph. affirmat, cum ait Arist. q. circa idem versatur Logica & Me-

taphysica; seu materia Dialecticæ est ens, & ea, quæ sunt entis, quia hoc intelligitur secundò intentionaliter, non autem naturaliter,& primò intentionaliter: nam ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adiouenit in rebus consideratis, sicut intentio generis & speciei, & similium, quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, sed consequuntur considerationem rationis, & possunt applicari omnibus rebus consideratis à Philosopho reali; & sic etiam liber Prædicamentorum consideratur à Logico non in ordine ad passiones reales,sed in ordine ad intentiones secundas. Et ideo nulla est contradictio in dictis Sancti Thomæ, & Aristotelis.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas primo Posteriorum,lect.prima, dicit, Logicam esse artem, quia sicut ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinuenta est ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter & ordinatè hos actus exercere posset,eadem ratione ars quędam necessaria est, quæ sit directiua ipsius actus rationis,per quā scilicet homo in ipso actu rationis, ordinatè,& faciliter, & sine errore procedat; & hæc est ars Logica. Oppositum huius scripsit in prologo primi Periherm. vbi dixit, Logicam esse scientiam. Confirmatur ex dictis Arist. in antepredicamentis, vbi vocauit Grammaticam esse scientiam, quantò magis Logicam? & ars distinguitur contra scientiam, intellectum, prudentiam, & sapientiam, 1.Poster.lect.44.

CONCILIATIO.

Ars dupliciter sumi potest. *Communiter.* Contradictio hæc prouenit ex ignorantia huius termini ars, quæ dupliciter sumi potest; Primò communiter, vt continet sub se omnes habitus intellectuales, & sic non est habitus distinctus ab alijs, continet enim sub se sapientiam, quæ est cognitio de primis causis, & principijs complexis rerum; continet etiam & habitum intellectus,qui est cognitio principiorum indemonstrabilium,necnon & scientiam, quæ est firmus ac certus & euidens habitus conclusionum, acquisitus per demonstrationem; continet adhuc & habitum practicum, quia si est circa agibilia, vocatur prudentia, quæ est recta ratio rerum agibilium à nobis, si verò est circa factibilia, tunc vocatur ars, quæ est cognitio rerum factibilium. Cùm ergo ars ipsa communiter sumpta nil aliud sit, nisi collectio plurium præceptorum in vnum finem tendentium, quo modo prædicatur de omnibus habitibus intellectualibus,vnde sapientia,scientia,& Grammatica,& Rhetorica artes dici possunt; ideo Logici diffiniendo Dialecticam, dicunt, quòd est ars artium, & scientia scientiarum, ad omnium methodorum principia viam habens. *Propriè.* Si autem capitur ars propriè sumpta, prout Arist. 6.Ethic. dicebat, quòd est recta ratio rerum factibilium à nobis,sic distinguitur contra alios habitus; & hoc modo diuiditur per septem artes mechanicas,quæ ita dicuntur,quia faciunt intellectum męchari,idest commisceri cum rebus *Artes mechanicæ, quare mechanicæ dicantur.* exterioribus, & alienari à sua propria operatione, quæ est speculatio: quemadmodum homo męchari dicitur, quando derelinquit propriam vxorem, & adhæret alienæ,sic & intellectus, qui habet quasi pro vxore sua ipsam speculationem, quādo derelinquit speculationem, & exercet se in operatione exteriori, dicitur męchari. Ex his ergo soluitur contradictio; quia quando dixit S.Thomas 1.Post. Logicam esse artem, loquutus est de hoc nomine Ars,communiter, vt continet sub se cæteros habitus intellectuales,inter quos scientia connumeratur, & propterea in prologo 1.Periherm. vocauit Logicam scientiam,quia scientia,& ars dici potest.sic etiam Arist.in antepredicamentis loquens de scientia,dixit, quòd est in subiecto .s. inhæsionis, & dicitur de subiecto inferiori, puta de Grammatica, quia Grammatica scientia etiam dicitur, cùm consideret de sermone congruo, vel incongruo; & Logica de sermone vero, & falso; & Rhetorica de sermone ornato & inornato: immo dicuntur artes & scientiæ triuiales istæ tres,quia tribus vijs in vnum finem tendunt, videlicet in cognitionem sermonis, quemadmodùm illæ aliæ quatuor artes, Musica, Arithmetica,Geometria,& Astrologia, dicuntur artes & scientiæ quatriuiales, quia quatuor vijs tendunt in vnum finem, scilicet in cognitionem quantitatis; Arithmetica enim tractat de quantitate discreta, hoc est de numero, qui non est contractus ad aliquam

materiam

materiam sensibilem; Musica tractat de quantitate discreta, contracta ad sonum; Geometria verò disputat de quantitate continua, sed non contracta ad aliquam materiam sensibilem; Astrologia est illa, quæ disputat de quantitate continua, contracta ad mutum cœli. Ex quibus clarè habetur, artem continere sub se septem artes liberales, & scientiam communiter sumptam.

CONTRADICTIO III.

SANCTVS Thomas in prologo 1. lib. Periherm. loquens de subiecto Logices, dicit, subiectum eius esse operationes intellectus; & probat hoc modo, Illud est subiectum, circa quod versatur ars, vel scientia, 1. Post. tex. 179. sed Logica versatur circa operationes intellectus, ergo operationes intellectus sunt eius subiectum: probat minorem, quia liber prædicamentorum tractat de pertinentibus ad primam operationem intellectus; liber Periherm. de pertinentibus ad secundam; liber Post. & consequentes, de pertinentibus ad tertiam. Oppositum huius expressè docuit 4. Metaphys. in expositione tex. 5. vbi ait, Ens rationis est propriè subiectum Logices. Et propter hanc apparentem contradictionem Hierony. Balduinus inquirens de subiecto Logices, vocauit S. Thom. varium, &c.

CONCILIATIO.

LOgici sciundunt tunicam Arist. in materia de subiecto Logices: Nam aliqui, vt fuerunt Nominales, voluerunt subiectum in Logica facultate esse terminum; hinc Paulus Venetus, & Paulus Perguleusis omnia logicalia per terminos diffinierūt: Aliqui verò posuerunt subiectum in Logica esse voces; nonnulli verò dixerunt esse res; & hinc Arist. de omnibus rebus in prædicamentis conatus est disputare; Multi dixerunt esse argumentationem; aliqui syllogismum; aliqui verò demonstrationem; aliqui modum sciendi; aliqui instrumentum cognoscendi; aliqui verò secundò intellecta, vt instrumenta notificandi, sicut latius disputauimus 4. Metaph. dilucid. 5. Sanctus verò Thomas semper fuit huius opinionis, subiectū in Logica facultate esse ens rationis. Si autem 1. Periherm. sicuti etiam & 1. Post. in prologo, distinguendo omnes libros Logicæ facultatis, affirmauit eos de operationibus intellectus sufficienter pertractare, non habuit aliam intentionem ab illa, quando dixit, quod ens rationis est subiectum: quandoquidem operationes intellectus dupliciter considerari possunt; Vno modo in ordine ad passiones reales, & sic nulli dubium est, quòd sint entia realia, de quibus Arist. 3. de anima disputat; Alio modo considerari possunt in ordine ad secundas intentiones, seu vt breuius dicam, secundò intentionaliter, & sic nil aliud sunt, nisi entis rationis. Ob hoc nulla est contradictio, dicere aliquando ens rationis esse subiectum, & operationes intellectus, secundò intentionaliter, esse etiam subiectum in Logica facultate: nam non loquitur Sanctus Thomas de ente rationis, vt genitiuus ille rationis, accipiatur effectiuè & subiectiuè, quales sunt conceptus formales, quos intellectus in seipso efficit, & producit: illa enim simpliciter non dicuntur entia rationis, quia verè sunt qualitates realiter inhærentes subiecto, sed accipitur ens rationis, vt est conditio in rebus, quæ conuenit illis solùm ex operatione intellectus: licet enim omnes res sint singulares, tamen ex hoc, quòd intellectus cognoscit hominem conceptu communi, abstrahendo à conditionibus singularibus, res ipsa sic concepta, fit species; & si concipiatur conceptu magis vniuersali, vt animal fit genus, & illa natura sic abstracta, vel respectu potius, quem habet ad conceptum abstrahentem, dicitur conceptus obiectalis, & ens rationis, quia non hoc est esse distinctum à singularibus, nisi per operationem intellectus; & si concipiatur ea ratione, qua est commune pluribus differentibus numero, est species; & si cōmune pluribus differentibus specie, est genus, quamuis sint alia entia rationis in ipsis vocibus, inquantùm sunt signa significatiua ad placitū; nam ly homo ex natura rei non habet, vt sit nomen, sed ex operatione intellectus imponentis, & sic resultant intentiones, propositiones, syllogismi, & hæc talia dicuntur entia rationis pusitiua, consequenter ad operationes intellectus, & habentia fundamentum in rebus, mediatè vel immediatè, ad differentiam illorum entium, quæ nullum habent fundamentū in re coniunctim, licet diuisim, vt mons aureus, & hinnoceruus; his enim modis

Diuersa sententia Philosophorum de subiecto Logicæ recitatur.

nedum operationes intellectus, sed cætera entia realia in ordine ad intentiones secundas, entia rationis dici possunt; & sic S.Thomas loquutus est 4 Metaph lect.4.& opusc.42. de natura generis cap.4 & Anic.1.Metaph.quando dixit, quòd Logica est de secundis intentionibus adiunctis. & Caiet.lib.prædicab.cap.de genere. Errat igitur Hieronymus Balduinus tribuendo S.Thomæ quod ei non conuenit.

CONTRADICTIO IIII.

SANCTVS Thomas 1.Perihermen. lect.4.dicit; Sunt autem differentiæ entis possibile & necessarium; quibus verbis apertè ostendit, ens habere differentias. Oppositum huius scripsit Metaphys.lect.7.vbi probat, ens non habere differentias, quia differentia est extra essentiam illius, cuius est differentia, sed nihil potest esse extra essentiam entis; nam quid est extra essentiam entis? nihil: hoc autem differentia esse non potest; & propterea Arist. probauit 3.Metaphys.tex.10.ens non posse esse genus, quia non habet differentias, quomodo autem possibile & necessarium sunt differentiæ entis? erunt ergo ipsa non entia, &c.

CONCILIATIO.

Genus iuxta doctrinã Porphyrij tripliciter capi potest

COntradictionem istam soluit ipsemet Sanctus Thomas 4. Metaphysices, lect. 4. circa finem, vbi asserit vnum, & ens, esse genera, sed non quod sint verè genera, sed ratione suæ communitatis quandam similitudinem generum habent: quia genus, cùm tripliciter capi possit, iuxta sententiam Porphyrij in Prædicabilibus; vel pro principio generationis, vt pater & patria; vel pro eo, cui supponitur species, vt animal, cui supponitur homo; vel pro principio multitudinis, vt Romulus dicitur genus Romanorum, & hoc modo ens potest dici, quod sit genus, quia habet quandam similitudinem generis: & sicuti ens similitudinariè dicitur genus, sic etiam & eius differentiæ, similitudinariè differentiæ dici possunt, quia non sunt veræ differentiæ: & propterea nulla est contradictio, dicendo in 1. Perihermenias, possibile & necessarium esse differentias entis, similitudinariè capiendo differentias; quando verò 5.Metaphys. negauit ens habere differentias, loquutus est de differentijs propriè sumptis, vt rationale & irrationale sunt differentiæ, quibus diuiditur animal, hoc enim modo ens non habet differentias: & propterea optimè sancitum est 3.metaph.tex.10. ens non esse genus: Et si quis quæreret, Quæ namq; sunt differentiæ illæ communiter ipsius entis? Respondetur, quòd illæ differentiæ sunt passiones eius, quæ sunt in duplici differentia; nam quædam sunt passiones simplices, vt quinque illa transcendentia, vnum, verum, bonum, aliquid, & res; & quædam sunt passiones coniunctæ, vt idem. diuersum, vnum & multa, actus & potentia, dependens & independens, necessarium & cõtingens, æquale & inæquale, & similia, quæ omnia possunt dici ens, differentiæ communiter ipsius entis. Sed considerandum est, q inter istas passiones, seu differentias, præsertim simplices, datur quidã ordo, non quo ad res ipsas significatas, sed quo ad rationes formales, hoc modo videlicet, quia intellectus primo concipit ens, secundo concipit vnum, quia ex hoc, quod intellectus concipit ens, venit in cognitionem ipsius non entis, quia ex opposito cognoscitur oppositum, & sic ex ente cognoscitur non ens: & ex hac cognitione venit intellectus in cognitionẽ diuisionis; nam cognito, q ens non est non ens, statim cognoscit distinctionem inter ens & non ens, cùm sint opposita: & ex hoc etiam venit in cognitionem indiuisionis, quandoquidẽ omne ens in seipso est indiuisum aliquo modo indiuisionis: vnde illud, quod non est vnum, nõ est ens, & propterea intellectus cognito ente, statim cognoscit ipsum vnum, & post cognitionem vnius, cognoscit ipsum aliquid, & post cognitionem huius passionis, quod est aliquid, immediatè intellectus cognoscit ipsam rem, quoniam res ipsa dicitur à sua propria quidditate, vel essentia, & post cognitionem ipsius rei, intellectus ipse cognoscit verum, quia conceptus veri est prior conceptu boni: quandoquidem qualis est ordo inter intelligentiã & voluntatem, talis est inter eorum obiecta, sed intelligentia est prior voluntate, cùm sequatur apprehensionem intellectus, ergo verum quod respicit intellectum est prius conceptum, quàm quod respicit voluntatem. Adde etiam, quia vniuersalia sunt priora in cognitione

gnitione nostra, vt scribitur 1. Phys. tex. 3. sed verum est vniuersalius bono, eo quod consequitur ens absolutum, bonum autem consequitur ens actu, igitur verum est prius, quàm ipsum bonum: Hic ergo ordo reperitur inter has simplices passionis entis. De ordine passionum coniunctarum erit alibi sermo: pro nunc sciendum etiam est, quod ens quidditatiuè prædicatur de istis passionibus, seu differentijs contra nonnullos oppositum docentes. Verum notandum est, quòd ens ipsum multipliciter capi potest; Primò, vt significat actum essendi, quod idem est quod actus existendi, prout est participium huius verbi, Sum, es, est; Secundò potest capi ipsum ens, vt significat naturam rei existentis, tanquam nomen verbale, quemadmodum hoc nomen viuens: aliquando significat actum viuendi, seu vitalem, qui est participium huius verbi viuo, viuis, & sic opponitur ipsi mortuo: aliquando viuens, significat ipsam naturam rei viuentis, & sic spectat ad prædicamentum substantiæ, & opponitur rebus inanimatis, & non est participiū illius verbi viuo, viuis, sed est nomen verbale: & hoc modo aliàs distinximus de ente, quod capitur dupliciter, particulariter vel nominaliter. Ens quoque dicitur de re illa, in qua distinguitur existentia ab essentia; & hoc pacto Diuus Dionysius lib. de diuinis nom. cap. 5. dicebat, Deum nō esse ens, sed esse supra ens: vnde in ista propositione, quando dicitur, Deus est ens, si capitur pro participio, est in primo modo dicendi per se, quia existentia Dei est eius quidditas, & essentia, & sic intelligitur illud dictum Exodi 30. Ego sum qui sum; & hoc pacto non prædicatur ens de creaturis: vnde dicendo, Angelus est ens, Cœlum est ens, vnum est ens, bonum est ens, istæ propositiones omnes sunt falsæ, quia non sunt in primo modo dicendi per se, sicut illa, Deus est ens; si verò ens capitur prout significat essentiam, sic prædicabitur in quid de omnibus rebus, & earum differentijs, quandoquidem omnia, quibus conueniunt passiones entis sunt quidditatiuè entia, sed passiones entis non communicantur, nisi illis, quibus communicatur quidditas, à qua fluunt, sed nulla est differentia, cui non conueniat esse vnum, verum, bonū, rem, aliquid, & alia huiusmodi, igitur hoc modo ens prædicabitur in quid, & quidditatiuè. Et propterea esto cautus, quādo disputas de vniuocatione entis, & veri, quod sit vniuocum vel æquiuocum Deo & creaturis, propter illud argumētum, quod fieri solet; Æquiuocorum idem est nomen, & diffinitio diuersa, sed Dei, & creaturarum est idem nomen entis, & diuersa diffinitio, quia ista propositio, Deus est ens, est in primo modo dicendi per se, & creatura est ens, non est in primo modo dicendi per se, ergo Deus & creaturæ conueniunt æquiuocè sub ente, & non vniuocè; male ergò docent aliqui vniuocationem entis inter Deum & creaturas.

Entis multimoda acceptio.

CONTRADICTIO V.

DOCTOR Angelicus Sanctus Thomas 1. Poster. lect. 2. asserit, subiectum mobile cōsiderari in Philosophia naturali his verbis: Vnde in illis scientijs, quarum subiectum est aliqua substantia, id quod est subiectum, nullo modo potest esse passio, sicut est in Philosophia prima, & in scientia naturali, quę est de subiecto mobili, subiectum autem mobile est corpus, igitur corpus mobile est subiectū in Philosophia naturali. Quod etiam expressit lect. 25. his verbis: animal est species corporis naturalis, & ideo scientia de animalibus est sub scientia naturali, igitur corpus naturale erit subiectum, vt lect. 41. clarius dicit, Metaphysica quæ est de ente, siue de substātia, est communior quàm Physica, quæ est de corpore mobili. Hoc idē dixit 1. lib. de cœlo lect. 1. & q. 14. de ver. art. 8. respondendo ad vltimum argumentum, vbi apertis verbis dicit, corpus mobile est subiectum naturalis Philosophiæ. Oppositum horum dictorū scripsit in prologo 1. Phys. dicens, subiectum physicorum est ens mobile simpliciter, non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus, pbatur in isto libro. Ex quibus apparet hic expressa cōtradictio.

Quod sit subiectum in Philosophia.

CONCILIATIO.

QVidam soluentes præsentem contradictionem, dicunt hæc nomina, corpus mobile, corpus naturale, ens mobile, ens naturale, sic etiam substantia mobilis, & substantia naturalis, necnon substantia sensibilis, & corpus sensibile idem significare, & non esse diuersa nomina realiter; & propterea non est mirum, si aliquando Sanctus Thomas dixit primo Posteriorum, corpus mobile esse subiectum Philosophiæ

Philosophiæ naturalis, & aliquando, vt in prologo primi Physicorum, dixerit, ens mobile esse subiectum: vnde nulla est contradictio inter hæc dicta. Et ex hac responsione conciliantur diuersæ opiniones: nam Magnus Albertus, Magister Sancti Thomæ, voluit corpus mobile esse subiectum in Philosophia naturali, sicuti corpus mathematicum in Mathematica, & corpus metaphysicum in Metaphysica: Scotus voluit, subiectum Philosophiæ naturalis esse substantiam naturalem: Auerroes verò docuit, esse res sensibiles, & aliquando (vt patet in 4 metaph. comm. 1.) expressit, ens mobile esse subiectum: Et sic etiam S.Thom. diuersimodè vsus est in diuersis locis his nominibus, quæ sunt diuersa nominaliter, non autem realiter, quandoquidem realiter pro eodem sumuntur. Alij verò dicunt, nullam esse contradictionem, sed esse potius retractationem, quia etsi 1.Phys. dixerit, ens mobile esse subiectum, tamen in proœmio libri de cœlo & mundo, quem posterius scripsit in ætate senili, & sapientior effectus, dixit, corpus mobile esse subiectum: vnde nulla est repugnantia inter hæc dicta, quia vnum istorum correctũ est per aliud. s. prius per posterius.

Duæ opiniones supra recitatæ refelluntur. Verùm nulla harum duarum opinionum videtur esse ad aures S.Thomæ, quandoquidem ipse expressè 1.Phys. explicans in prologo diuersas materias scientiarum, asserit quædam esse, quorum esse dependet à materia, nec sine materia diffiniri possunt; quædam verò sunt, quæ licet non possint esse sine materia sensibili, tamen in eorum diffinitione materia sensibilis non cadit, & hæc differunt ad inuicem, vt curuum & simum, nam simum est in materia sensibili, & necesse est, ꝙ in eius desinitione cadat materia sensibilis; est enim simum nasus curuus, & talia sunt omnia naturalia, vt homo, lapis; curuum verò licet esse non possit, nisi in materia sensibili, tamen in eius diffinitione materia sensibilis non cadit, & talia sunt omnia mathematica, vt numeri, magnitudines, & figuræ. Quædam verò sunt, quæ non dependent à materia, nec secundùm esse, nec secundùm rationem, vel quia nunquam sunt in materia, vt Deus, & aliæ substantiæ separatæ, vel quia non vniuersaliter sunt in materia, vt substantia, potentia, & actus, & ipsum ens, & de his est Metaphysica, tanquam de subiecto: De his verò, quæ dependent à materia sensibili secundùm esse, sed non secundùm rationem, est Mathematica tanquam de subiecto. Subdit deinde, materiam, & subiectum Philosophiæ naturalis, asserens, ꝙ de his quę dependent à materia non solùm secũdùm esse, sed etiã secundùm rationem est scientia naturalis, quæ Physica dicitur; & quia omne, quod habet materiam, mobile est, consequens est, ꝙ ens mobile sit subiectum naturalis Philosophiæ; naturalis autem Philosophia de naturalibus est; naturalia autem sunt, quorum principium est natura; natura autem est principium motus, & quietis eius, in quo est. De his igitur, quæ habent in se principium motus est scientia naturalis, & ideo ens mobile simpliciter est subiectum eius: non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, scilicet 6.Phys. tex. 23. & nulla scientia probat suum subiectum. Ex hoc discursu luce meridiana clarius apparet nullam istarum duarum responsionum sedare contradictionem propositam; & propterea in hac parte repręhensus fuit à me quidam eximius & sapientissimus Doctor Georgius Bustus Vercellensis, qui in quibusdam quæstionibus suis de adæquato subiecto totius Philosophiæ naturalis, docuit S. Thomam pro eodem accipere corpus mobile, & ens mobile; & quia ipse vidit repręhensionem sibi factam, rursus in ætate senili scribens de eadem materia, idem confirmauit, nulla prorsus ratione motus, sed ne videatur sibiipsi esse inçonstans, noluit retractare, quod vidit esse retractandum, sed potius voluit permanere in mendacio. Et ideo postpositis omnibus affectionibus, & tantùm veritatem habentes ante oculos, dupliciter dicimus contradictionem istam posse tolli in doctrina S.Thomæ. Primò, quia libri physici sunt vniuersaliores libro de cœlo & mundo, nam in eis pertractantur res communes, & principia vniuersalia, pura materia, forma, priuatio, natura, causæ motus in communi, infinitum, locus, & tempus, necnon & primus motor, vt patet in 8.Phys. & propterea S.Thomas volens exprimere quoddam subiectum commune, omnibus illis consideratis, in octo libris Physic. dixit, esse ens mobile simpliciter, quod posuit Arist. in definitione motus 3.Phys. tex.6. dicens, quòd motus est actus existentis in potentia, seu entis in potentia, secundùm quod huiusmodi; hoc autem ens in potentia secundùm quod huiusmodi, est ens mobile simpliciter, & erit subiectum totius Philosophiæ naturalis: Liber autem de cœlo & mundo, cùm sit particularior, & specialior liber, & non ita amplior, & communior, propterea tractat de mobili secundùm motum localem, qui est prima species motus, mobile autem secundùm motum localem est corpus mobile: & propterea sapientissimè affirmauit, corpus mobile esse subiectum Philosophiæ naturalis, respiciendo ad particulares libros: sicuti in libris de gene-

Georgius Vercellensis reprobatur, dicens apud S. Thomam pro eodem capi ens mobile, et corpus mobile.

de generatione,& corrupt.tractatu de motu ad formam,& primis mobilibus,scilicet elementis, quantum ad transmutationes eorum in communi, & ideò in eis subiectum est corpus transmutabile: in libris Metheororum disputatur quo ad speciales transmutationes eorum,& ideo specialia subiecta sunt eis assignanda, sicuti etiam in libris de mineralibus,& in libris de animalibus. Nulla ergo ex dictis contradictio est in dictis S.Thomæ, secundum istam viam. Potest etiam secundò dici, quod aliud est loqui de subiecto totali, & adæquato, aliud est de parte subiectiua ipsius subiecti, quia subiectum, vt scribitur 1.Post.tex.179.tribus nominibus vocatur. Dicitur primò genus omnium corporum naturalium, quæ sunt partes subiectiuæ, & sic ens mobile in communi est tanquam genus omnium corporum naturalium, quæ sunt partes subiectiuæ, seu species eius. Dicitur etiam compositum respectu suorum principiorum, vt docuit Auerroes: 1.Phys. com.65. Dicitur etiam & subiectum in ordine ad suas passiones,vt scripsit Arist. 1.Topicor. c 4 & propterea subiectum dici solet,quod habet tria,scilicet partes, principia, & passiones. Quando ergo S.Thomas in prologo 1. Phys. sapientissimè docuit ens mobile simpliciter esse subiectum in Phylosophia naturali,& non corpus mobile,loquutus est de subiecto totali & adæquato,siue communi; quando verò in alijs locis dixit subiectum Philosophiæ naturalis esse corpus mobile, voluit intelligere de parte, seu specie ipsius entis mobilis simpliciter, quæ quidem species potest etiam dici subiectum primum primitate attributionis,ad differentiam subiecti primi primitate adæquationis, & subiecti primi primitate intentionis, vt latius docuimus in additionibus nostris physicalibus. Potest etiam & tertio non inepte dici, ens mobile simpliciter esse subiectum formale naturalis philosophiæ, quia ei primò & per se conuenit passio prima& principalis, quæ est motus, cum dictum sit quod in diffinitione motus positum est ens mobile;quod clarius ostendit Arist. 4.Metaphy.tex.1.assignans subiectum Metaphy.esse ens simpliciter,subiectum verò aliarum scientiarum esse partes entis simpliciter,puta ens quantum in Mathematica, & ens mobile in Physica. Et 6.etiam Metaph.tex.1.dixit, quod Physica est Theorica circa tale ens,quod est possibile moueri,hoc autem non est,nisi ens mobile simpliciter: quando verò S.Doctor sapientissimè primò Post.& primo de cælo,& in disputatis dixit, corpus mobile esse subiectum in Philosophia naturali,loquutus est de subiecto materiali,quia participat rationem subiecti formalis; quemadmodum in Logica subiectum totale adæquatum,& formale dictum est quod est ens rationis, seu operationis intellectus; secundò intentionaliter; subiectum verò materiale, & minus principale est Syllogismus, quia participat rationem entis rationis. Ex his ergo clarissimè apparet,nullam esse in dictis S.Thomæ controuersiam & contradictionem. *Subiectum, tribus nominib. vocatur.*

CONTRADICTIO VI.

SANCTUS Thomas lect.4 1. Post. asserit,singularia esse priora, & notiora,quo ad nos, quia sunt proxima sensui, & opponuntur vniuersalibus, siue oppositione propinqua siue remota. Oppositum huius scripsit 1.Phys.lect.1.dicens: ea, quæ sunt nobis nota, sunt confusa,qualia sunt vniuersalia,& propterea in scientijs opus est nos procedere ab vniuersalibus ad singularia; quod latius ostendit etiam 1.Post.q.85.arg.3. & in libello de ente,& essentia,ad principium, vbi de mente Auic. affirmat vniuersalia magis esse nobis primò cognita:vbi Caietanus auream illam quæstionem de primò cognito agitat.

CONCILIATIO.

PRæsens Contradictio secundum diuersos Doctores diuersimodè sedari potuisset, sed quia nos loquimur ad aures S.Thomæ,propterea iuxta eius doctrinam videndum est,quomodo conciliari possint diuersa hæc dicta sua. Scio enim,quid Burleus,& Buridanus, 1.lib.Phys.& Gregor. Arimin. 1.sent.dist.3. arg.2. & Durandus de S.Portiano 2.sent. dist. 3. q. 7. vno animi consensu voluerunt,quod illud quod primò noster intellectus cognoscit,sit quoddam singulare indiuiduum,cum sit magis sensatum; Scotus verò 1.sent.dist.3.q.2.dixit, minus vniuersalia esse nobis notiora magis vniuersalibus; & sic voluit,quod species specialissima est primò cognita,& deinde genus. Marcus An- *Vniuersalia an sint nobis primo nota declaratur.*

cus Antonius Zimarra in quadam quæstione sua peculiari de primo cognito, nouam viam adinuenit, circa id, quod primo intellectus cognoscit: dixit enim ipse, quod non semper seruat eundem ordinem, sed aliquando vniuersaliora sunt primò cognita, vt viuens & animal prius cognoscuntur, quàm equus, & leo; aliquando verò minus vniuersalia prius cognoscuntur, intellectus enim prius cognoscit species aliquando, quàm genus. Et mouetur ex quadam doctrina, quam expressit Arist. 7. Metaphys. tex. 3. vbi dicit, quod equus & asina in producendo seu generando mulum, conueniunt in quodam genere innominato, & incognito, quod est iumentum, & propterea in hac operatione, intellectus prius cognoscit minus vniuersalia, quàm magis. Sanctus autem noster Doctor semper fuit huius opinionis, quod ens est illud, quod primo ab intellectu nostro percipitur. Sed sano modo est intelligenda hæc sententia, quia ens dupliciter sumi & perpendi potest; Vno modo, prout est commune decem prædicamentis, significans immediatè ipsa decem rerum genera, & sic non intellexit S. Thomas: Alio modo ens ipsum sumi potest, vt significat immediatè quamcunque rem, siue singularem, siue non: & adhuc dupliciter considerari potest; Vno modo transcendenter, vt significat, & se extendit ad quamcunque rem, cuiusmodi sunt res sensibiles, & etiam intelligibiles vniuersaliter; Secundò vt se extendit tantum ad res ipsas sensibiles, & subiectas sensibus nostris, & tale ens dicitur esse obiectum intellectus nostri, pro isto statu, quo sensibus ipsis est alligatus: & hoc ens expressit Caietanus per id, quod est concretum quidditati sensibili, seu per ipsammet quidditatem sensibilem, quæ primo cognoscitur cognitione confusa actuali. Et hanc opinionem tenuerunt Arabes, præsertim Auicennas 1. Metaphys. cap. 6. sic etiam & Græci, de numero quorum est Ammonius, in præfatione libri Porphyrij, nec non & Themistius 1. lib. Poster. iuxta finem, & Phyloponus 1. lib. Phys. Est ergo opinio S. Thomæ de primo cognito, quod est vniuersale magis, antiquissima inter Phylosophos, & corroborata validissimis rationibus, quas adducere ad præsens esset superuacaneum, cum habeantur exactè apud Caietanum in quæstione de primo cognito. Sed ad formam contradictionis attendendo, dico quod singulare apud S. Thomam dupliciter sumi potest; Vno modo absolutè pro indiuiduo, non prædicabili de inferiori, sicut est Sortes, & Plato; Alio modo comparatiuè, scilicet pro minus vniuersali, sicut homo potest dici singulare respectu animalis, quia est minus vniuersale, & sic 1. Poster. scripsit S. Thomas, singularia ipsa indiuidua sensibilia, quæ sunt magis nota, quo ad nos, quia cognitio sensus, quæ est singularium, præcedit cognitionem intellectus, quæ est vniuersalium: sed quia cognitio intellectualis est perfectior, vniuersalia autem sunt intelligibilia in actu, non autem singularia, cum sint materialia, propterea simpliciter, & secundum naturam sunt notiora: primo autem Phys. per singularia non intellexit ipsa indiuidua simpliciter, sed minus vniuersalia. Et sic nulla est contradictio, præsertim cum singularia cognoscantur per sensum, & vniuersalia per intellectum. Diuersimodè ergo sunt intelligenda hæc dicta, quod vniuersalia sint primò cognita cognitione intellectiua, singularia verò primò etiam cognita sint cognitione sensitiua; Quam solutionem latius videre poteris 1. par. q. 85. ar. 3.

Ens dupliciter sumi potest.

Singulare duplex.

CONTRADICTIO VII.

SANCTUS Thomas lectione septima, 1. Poster. dicit; prima principia non posse demonstrari, nec cognosci per aliquod medium extrinsecum, sed per cognitionem propriorum terminorum. Oppositum huius docuit 1. Phys. Lectio. 13. vbi asserit, Aristotelem probare prima principia rerum naturalium, nempè materiam, formam, & priuationem, quia in quolibet fieri reperiuntur hæc tria, scilicet subiectum, & terminus factionis, nec non & oppositum eius; & hæc probantur per media extrinseca, quia materiam probat Aristoteles via transmutationis, & formam via operationis, quæ sunt extrinseca ab eis.

In quolibet fieri tria reperiuntur.

CONCILIATIO.

CONtradictionem istam soluit ipsemet S. Thomas, continuando secundum librum Physicorum cum primo, asserens Philosophum, in primo libro determinasse de principijs rerum naturalium, in secundo verò de principijs scientiæ naturalis. Est ergo distinctio,

stinctio, quod principia sunt in duplici differentia, quædam ipsarum rerum naturalium, vt materia & forma, nec non & primus motor, & quædam scientiæ, seu doctrinæ & cognitionea, quæ dicuntur principia per se nota, & dignitates: quæ quidem dignitates sunt in triplici differentia, quædam communissimæ, quæ sunt necessariæ ad omnia scientiarum genera, vt est istud, Omne, quod contingit affirmare, vel negare, & non contingit simul affirmare & negare; ita quod duo contradictoria possint esse simul, vt docuit Arist. 1. Poster. tex. 26. & 4. Metaphy. tex. 28. quædam sunt dignitates, quæ dicuntur communes, quippè quæ non conueniunt omnibus scientijs, sed quibusdam tantum, vt est illa maxima, Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia: & quædam dignitates dicuntur esse propriæ, vt sunt oppositiones, quæ vnicam tantum scientiam constituunt, vt expressit Arist. 1. Phys. tex. 10. Subijciantur autem nobis, aut omnia, aut quædam naturalia moueri; istæ enim propositiones maximæ, quæ sunt principia complexa, & doctrinę, sunt per se nota, & non possunt demonstrari, & qui conabitur demonstrare talia principia, dicit Auerroes, quod est genus hominum prorsus ineptum ad capessendam Phylosophiam, quo genere hominum nullum stupidius inueniri potest: & propterea optimè dixit S. Thomas lect. 7. 1. Poster. talia principia non posse demonstrari, intellige tu, ratione demonstratiua, & per medium à priori, nam non erit inconueniens aliquando talia syllogizari, vt patet de illa maxima; Omne totum est maius sua parte, hæc enim est per se nota, & qui voluerit istam demonstrare, carebit inditio, vt docuit Arist. 2. Phys. tex. 6. quia per se notum non potest demonstrari, nisi partea sint excessæ, igitur totum erit maius qualibet sui parte: multa enim topicè Syllogizamus, quæ demonstratione non concludimus, quandoquidem demonstratio est instrumentum notificans quæsita naturaliter occulta, vt dixit Auerroes 1. Poster. com. 1. Syllogismus verò topicus concludit ea, quę probabiliter tantum sunt ignota, immo etiam quæ suapte natura sunt cognita, vt dixit Auerroes 4. Phys. com. 1. Interdum ea, quæ per se nota sunt, probari possunt causa confirmationis, vel rationibus topicis, quæ dicuntur materies disciplinæ apud Auerroem; apud Græcos, consolatoria argumenta, vt sunt exemplum, diuisio, inductio, & syllogismus hypotheticus naturalis, cuius antecedens est æquè notum, vt consequēs; vel etiam probamus talia principia contra negantes ipsa, vtendo rationibus ducentibus ad impossibile, sed quantum est ex se, sunt per se nota, veluti ianua in domo, quam nemo ignorat: Principia verò rerum naturalium, seu ipsius subiecti Phylosophiæ naturalis (vt melius dicam) possunt demonstrari demonstratione à posteriori, & demonstratione signi, & multis alijs modis, vt docuit Caietanus 1. par. Sancti Thomæ q. 2. art. 3. loquens de Deo, qui est subiectum in Theologia, & tamen ipsum probat esse Theologus; sed hoc non est per se, sed per accidens, quia non ex medijs proprijs, sed ex alienis, seu ex extraneis, appropriata tamen ministerialiter, vel propter imperfectam participationem ipsius in nobis, vt dixit oculatissimus Zimarra in contradictionibus suis super secundum lib. Physicorum, quod, quando principia illa sunt nobis occulta, possunt in scientia, in qua sunt principia, aliquo pacto demonstrari à posteriori; & sic 1. Phys. probatur, materiam esse; & 8. Phys. primum motorem esse, tum quia sunt principia subiecti, & non scientiæ, tum quia aliquo pacto latent nos; cum etiam rationibus topicis & persuasibilibus, tum contra negantes ipsa, tam etiam vt annotauit ipse Caiet. 1. Poster. quod possunt principia siue subiecti, siue scientiæ, etiam in parte proœmiali ipsius scientiæ probari, non autem in parte scientifica: pars enim proœmialis illa dicitur in qua proponuntur principia, dignitates, positiones, & postulationes; pars verò scientifica illa est, in qua demonstrantur passiones de subiecto. Ex his manifestè colligitur, nullam esse contradictionem in dictis Sancti Thomæ.

Principia sunt in duplici differentia.

Pars proœmialis quæ est.

CONTRADICTIO VIII.

SANCTVS Thomas 1. Poster. lect. 44. ponit ad mentem Arist. habitus intellectiuos esse octo, scilicet, opinionem, scientiam, artem, rationem, prudentiam, sapientiam, intellectum, solertiam. Oppositum huius docuit 6. lib. Ethicor. cap. 4. vbi quinque tantum habitus intellectuales enumerauit, scilicet, artem, scientiam, sapientiam, prudentiam, & intellectum, ac si oblitus fuisset aliorum trium habituum, quos primo Posteriorum enumerauit: & quod peius est, quia loquens in Theologia, nempè 1.2.q.57.ar.2. asseruit hoc idem, non esse nisi quinque habitus intellectuales enume-

ratos. Ex quibus dictis quispiam sibi persuadere poterit, Sanctum Thomam repugnantia in doctrina sua scripsisse.

CONCILIATIO.

Sed contradictio hæc prouenit ex hoc, quod aliquis non benè perspexit dicta S. Thomæ, quia aliter Posterioristicus considerat habitus intellectuales, & aliter moralis: Posterioristicus enim seu logicus considerat hos habitus vt ordinantur ad verum & falsum, præsertim suspitionem, quæ ob earum ambiguitatem & inconstantiam æquè se habent ad verum & falsum, neque rationem magis in hanc, quam in illam partem flectunt: qua ratione ductus, Simplicius, primo de anima ad principium, dixit scientiam esse cognitionem certam, incertam verò opinionem: quod tetigit & Arist. ipse 1. Poster. tex. 44. Materia verò solertiæ potest esse & necessaria & contingens, vt in hoc discrepet ab opinione & suspicione, quæ sunt in rebus contingentibus: nam sicut ratio æquè discurrit in necessarijs, vt in probabilibus, solertia verò itidem facit, indicant enim exempla Arist. hoc, qui dixit, 1. Poster. solertem esse sollicitum ad inuenienda media, vbi enim viderit Lunam splendere ex ea parte, quæ ad solem vertitur, statim affert causam illam, quod luna suscepit lumen à sole, hoc autem exemplum est in re necessaria: quando verò solers ipse viderit aliquem hominem contendentem cum diuite, statim reddit causam huius rei, quia diues fœneratur, & vult pauperes opprimere, & hoc est in maxima contingente. Moralis verò aliter, & alia ratione distinguit, & considerat ipsos habitus, quia tantum in ordine ad verum; & propterea dicit, quod ars est habitus factiuus, cuius obiectum sunt factibilia; prudentia verò est habitus actiuus, cuius obiectum sunt eligibilia; scientia est habitus conclusionum, vt scribitur 1. Poster. tex. 6. Intellectus est habitus principiorum, vt habetur in eodem loco: sapientia verò versatur in causis diuinis, & est domina scientiarum omnium. Nulla ergo est contradictio in dictis S. Thomæ circa enumerationem horum habituum, quia diuersa ratione considerantur in logica disciplina, & in morali. Addo etiam, quia tantum est vnum dictum in sacra Theologia ex prima secundæ, quod quidem latius docuit ipsemet S. Thomas 2. 2. q. 48. per totum, vbi adducit opiniones diuersorum authorum, de numero horum habituum, qui aliquando loquuti sunt in generali, aliquando in speciali: & (inter alios Doctores) Iulius in 2. libro Rhetorices loquens de istis habitibus, distinguit habitum prudentiæ in tres alios habitus, scilicet in memoriam, intelligentiam & prudentiam; Macrobius secundum sententiam Platonis attribuit prudentiæ sex, scilicet rationem, intellectum, circumspectionem, prouidentiam, docilitatem, & cautionem. Arist. verò 6. Ethic. cap. 4. dixit, ad prudentiam pertinere eubuliam, synesim, & gnomin, & eustochlon, & solertiam, sensum, & intellectum. Theophrastus voluit ad prudentiam pertinere eubolliam, solertiam, prouidentiam, regnatiuam, militarem, politicam, œconomicam, Dialecticam, Rhetoricam & Physicam: Vnde isti Doctores inter se non sunt discordes, quia aliud est, vt dixi, loqui de habitibus intellectualibus in genere, aliud est in specie, & de partibus integralibus, & subiectiuis ac potentialibus ipsarum: & sic etiam non est inconueniens Diuum Thomam in diuersis locis suæ doctrinæ diuersa de hac re proferre, quæ tamen si diligenter considerantur, non repugnant ad inuicem, sed ad vnum finem tendunt, vt est videre in quæstione ista allegata, argum. 4. vbi particulariter loquitur de solertia ad mentem ipsius Isidori, in libro Ethimologiarum, quod solicitus dicitur, quasi solers, & citus; propterea solicitudo spectat ad prudentiam, & sic etiam & ipsa solertia, quæ est facilis, & prompta coniecturatio circa inuentionem medij, cum sit habitus, qui prouenit ex repentino inueniendo quod congruit, & in demonstratiuis & operatiuis, & in alijs quoque operibus & actionibus pertinentibus ad hos suprapositos habitus.

Posterioristicus aliter quàm Moralis habitus considerat.

CONTRA-

CONTRADICTIO IX.

SANCTVS Thomas 2. Poster. Lect. 18. asserit causam, & causatum simul se consequi, & per inuicem demonstrari. Oppositum huius voluit 1. Poster. Lect. 8. vbi improbat antiquos, ponentes omnia posse sciri per demonstrationem, quia causa demonstratur per causatum, & causatum per causam: hoc autem quod dicebant antiqui, ait S. Thomas, non est possibile, quia sic facile esset demonstrare omnia, & non acquireretur scientia per demonstrationem, quod est contra definitionem datam de ipsa: nam quilibet hoc facere potuisset, tam sciens, quam ignorans &c.

CONCILIATIO.

ETsi diligenter difficultas hæc à pluribus sit examinata, attamen neque nobis, neque alijs eripitur phylosophandi facultas. Propterea antequam tollatur vis contradictionis, videndum esse putamus, quod S. Thomas 1. par. q. 2. ar. 2. scripsit de demonstratione, quòd est duplex, Vna, quæ est per causam, & dicitur propriè quid, & hæc est per priora simpliciter; Alia est per causatum & effectum, & dicitur demonstratio quia, & hæc est per ea, quæ sunt priora quo ad nos: Cum enim effectus aliquis nobis sit manifestior, quàm sua causa, per causatum procedimus ad cognitionem causæ: ex quolibet enim causato, & effectu potest demonstrari, propriam causam eius esse, si tamen causata illius causæ sint magis nota, quo ad nos: quia cum causatum dependeat à causa, posito causato, necesse est causam præexistere: & propterea Deum esse, non est per se notum, quo ad nos, demonstrabile tamen est per causata nobis magis nota. Nec est contrarium id, quod scripsit Auerroes in prologo 1. Phys. & in 2. etiam Phys. com. 22. ponens tria genera demonstrationum, quia, propter quid, & simpliciter: & S. Thomas posuit duo genera demonstrationum, quia, & propter quid, quia diuisio, quam fecit Auerroes est subdiuisio vnius membri; nam S. Thomas dixit, quòd omnis demonstratio, vel est quia, vel propter quid: Auerroes autem accepit demonstrationem propter quid, & diuisit eam in propter quid, & simpliciter: Demonstratio propter quid dicitur, demonstratio causæ, quia dat causam & notificat ipsam: quemadmodum esse illuminationis hodiernæ, est notum ad sensum, & solum est ignotum propter quid: istud propter quid non potest demonstrari, nisi demonstratione causæ tantum, quia ita est, quæ notificat propter quid solum, & non nisi ex causa sua, id est ex præsentia solis. Sol ergo præsens est causa propter quid illuminationis hodiernæ, sol præsens medium in hac demonstratione propter quid est notum prima notitia, & non syllogismo, prima quidem notitia, quia apud sensum patet, vel inductione, sensatum. Demonstratio verò simpliciter ita dicitur, quia est vniuersaliter, & omne absoluit vniuersale, quod haberi potest, scilicet esse, & propter quid, vt omne rationale est risibile, homo est rationalis, ergo est risibilis. Demonstratio quia, dictum est, quod procedit ex causato ad causam, & vocatur demonstratio signi, & à posteriori, & ab effectu. Quo stante, dico quod causa vna potest demonstrari per aliam causam in diuersis generibus causarum, quia causę sunt sibi inuicem causæ, vt docuit Arist. 2. Phys. tex. 3. causa, & causatam demonstrari per causam demonstratione simpliciter, & demonstratione propter quid, & potest quoque causa per causatum demonstrari, demonstratione quia: primo modo vsus est Albertus 1. lib. Poster. tractatu 2. cap. 15. vbi demonstrauit vnam causam per aliam, alijs modis vsus est Arist. in pluribus locis suæ doctrinæ: nam 1. Poster. habemus, quod per non scintillare demonstrauit planetas esse propinquos demonstratione, & quia per effectũ: & postea ex propinquitate demõstrauit non scintillare in planetis, demonstratione propter quid: & 8. Phys. tex. 44. demonstrauit motorem separatum, æternum per motum: & deinde demonstrauit æternitatem motus, per motorem æternum: & 2. de Anima ex definitione ipsius animæ, quod sit actus corporis organici potentia vitam habentis, inuestigat definitionem propriam cuiuscunque animæ, & deinde regreditur ex propria definitione animæ, demonstrando definitionem communem: & sic 1. Post. tex. 5. assignauit duplicem definitionem demonstrationis, & finalem, & materialem, & vna per aliam demonstrari potest, & 2. Cœli tex. 15. probat dextrum esse in cœlo per principium motus: & infra regreditur, & probat principium motus per dextrum Cœli. Et ipse

Demonstratio est duplex.

Demonstratio propter quid est demonstratio causæ.

S. Tho. 1. sent. dist. 1. q. 4. ar. 2 docet, quod sicut inuenimus in processu cognitionis, quod in cognitionem principiorum venit quis per principiata, quibus tamen habitis magis ipsa cognoscit, quàm principiata, nec indiget principiatis ad cognitionem principiorum, quæ iam per se cognoscit, necessariò tamen principiatorum cognitionem admittit, imò illa cognitio per principia perficitur, & ita homo per creaturas cognoscit Deum, & per Deum ipsum, postmodum perfectè venit in cognitionem creaturarum. Non ergo est contradictio aliqua, quòd causatum cognoscatur per causam, & causa per causatum, per diuersa genera demonstrationum. Et antiqui reprehensi sunt non ex hoc, sed quia eodem genere demonstrationis voluerant causam cognoscere per causatum, & è contra; propterea improbata est demonstratio circularis vniformis ab Arist. non autem demonstratio circularis disformis; quia hac ipsemet Arist. vsus est, & omnes ferè sapientissimi Phylosophi &c.

CONTRADICTIO X.

Sanctus Thomas 2. lib. Poster. lect. vltima asserit, sensum cognoscere vniuersale, exponens verba Arist. ibidem, vbi dicit, quod singulare est, dum sentitur, aut sentire quidem singulare est, sensus autem vniuersale est, vt hominis, non Calliæ; & sensus vniuersale facit, & addit S. Thomas quòd sensus facit vniuersale intus in anima, quod etiam 2. de Anima videtur loqui Clarius lect. 13. vbi enumerat omnes sensus, & dicit ipsos cognoscere vniuersalia, vt visus propriè est cognoscitiuus coloris, auditus soni, gustus humoris, seu saporis, tactus verò plures differentias contrariorum. Huius oppositum docet 1. Phys. lect. 10. in expositione tex. 49. vbi dicit, quod sensus non cognoscit, nisi particulare, ratio verò cognoscit vniuersale, & 7. Metaphys. tex. 35. ait, quod intellectus est vniuersalium, & sensus est particularium.

CONCILIATIO.

Philosophorum diuersimoda in hac materia opinio.

Contradictionem istam diuersi diuersimodè conati sunt è medio tollere. Aliqui enim qui vniuersalia terminos tantum esse, sibi ipsis persuaserunt, in mente quidem terminos primæ intentionis, siue intentiones vniuersaliter repræsentatiuos, in voce autem, aut in scripto primæ impositionis, & vniuersaliter significatiuos, hi voluerunt nec vniuersale nec singulare esse adæquatum obiectum sensus, singulare quidem non; quia nec hic color, nec ille est obiectum adæquatum visus. Vniuersale verò minimè, quia non datur vniuersalis color præter singularia: concedunt tamen, quod color est primum obiectum visus, & sonus ipsius auditus, & id genus, quatenus ille terminus color pro se ipso in voce, vel in scripto, vel in mente sumitur, quod est materialiter supponere; non autem pro aliquo colore reali, singulari, vel vniuersali, siue in suppositione formali: vnde hæc duo non contrariantur, sensum cognoscere vniuersale materialiter, & sensum non cognoscere vniuersale formaliter, sed tamen singulare cognoscit hoc modo. Aliqui verò dicunt primum obiectum visus esse colorem, qui est aliquid reale præter singulares colores, non realiter, sed ex natura rei distinctus ab illis, & cui respondet vnitas media, minor videlicet vnitate singularis coloris, maior verò vnitate actu vniuersalis: & consequenter dicunt, in ipso sensato, verbi gratia, in seipso colorato, quod videtur aliud esse, quod videtur; & aliud rationem videndi, sine qua non sentitur & videtur; & aliud conditionem sensati, sine qua videlicet non videretur, id enim, quod videtur coloratum est, & singulare. Propterea benè dicitur, quod singulare est dum sentitur, & sentire est singularis, ratio verò videndi, qua ipsum coloratum videtur, vel sentitur est color, non color hic, vel ille particularis, sed color præter omnes hos ex natura rei distinctus ab omnibus illis cuius vnitas est media, nam coloratum non videtur sub ratione soni, vel saporis, nec sub ratione huius vel illius colorati; sed tamen sub ratione coloris vniuersalis. Et propterea bene dicitur, quod sensus est vniuersalis, conditio verò sensati, sine qua non videretur sensatum ipsum, est singularitas illius; quam hecceitatem appellant, quandoquidem nisi coloratum esset hoc, & in hoc loco, & in hoc tempore, non videretur. Ex quibus apparet nullam esse contradictionem, quia primum obiectum cuiuscunque sensus, sub ratione qua dicitur esse vniuersale, non quidem vniuersale in actu,

quia

quia tale vniuersale est ens rationis, sed vniuersale in potentia remota. Ratio quoque sentiendi in quouis sensu non est singularitas, nec vniuersalitas actu, quæ est ens rationis, sed natura media præter singularitates, & minus vniuersalitate. S. Thomas ex doctrina sua aliter videtur dissoluere hanc contradictionem, 1. 2. q. 29. art. 6. vbi disputat, vtrum aliquid possit haberi odio in vniuersali, & distinguit de vniuersali, quod dupliciter capi potest, vno modo secundum quod subest intentioni vniuersalitatis; alio modo dicitur de natura, cui talis intentio attribuitur: alia est enim consideratio hominis vniuersalis, & alia hominis, in eo quod est homo: Si igitur vniuersale accipiatur, primo modo, sic nulla potentia sensitiuæ partis, neque appræhensiua, neque appetitiua potest in vniuersale, quia vniuersale fit per abstractionem à materia indiuiduali, in qua radicatur omnis virtus sensitiua, potest tamen aliqua sensitiua & apprehensiua, & appetitiua ferri in aliquid vniuersaliter, sicut dicimus, quod obiectum visus est color, secundum genus, non quia visus cognoscat colorem vniuersalem, sed quia quod color sit cognoscibilis à visu, non conuenit colori, in quantum est hic color, sed in quantum est color simpliciter, sic ergo odium etiam sensitiuæ partis potest respicere aliquid in vniuersali, quia ex natura communi aliquid est in vniuersali, quia ex natura cõmuni aliquid aduersatur animali, & non solum ex eo, quod est particularis, sicut lupus oui, vnde ouis odit lupum generaliter, sed ira semper causatur ex aliquo particulari, quia ex aliquo actu lædentis, actus autem particularium sunt, propterea ira semper est ad aliquid particulare, odium verò potest esse ad aliquid in genere: vnde distinguendũ est, quod natura aliqua dupliciter sumitur in vniuersali, scilicet aduerbialiter, & nominaliter; aduerbialiter quidem, vt cum dicitur, quod color in communi est obiectum visus, non autem color communis, aut vniuersalis, sed color communiter & vniuersaliter, quemadmodum visio non terminatur ad colorem vniuersalem, sed vniuersaliter, scilicet in quocunque, quandocunque & vbicunque inuenitur, & sic sensus est vniuersalis. Nominaliter autem, cum dicitur, quod color in communi intelligitur, scitur & diffinitur, prout est abstractus à conditionibus indiuiduantibus, & sic non cognoscitur, nisi ab intellectu. Et quando dixit S. Thomas, quod sensus facit vniuersale intus in anima, intelligitur per viam inductionis, in quantum considerantur ab ipso omnia singularia, & sic nulla apparet contradictio in dictis eius. Potest etiam & facilius solui, dicendo, quod sensus ratione potentiæ comparatus ad obiectum est de re vniuersali, comparatus verò suo actui, qui est sentire, est de re singulari, & sic patent diuersa dicta S. Thomæ sibiipsis esse consentanea &c.

Vniuersale dupliciter accipi potest.

CONTRADICTIONES D. THOMAE IN PHYSICAM.

CONTRADICTIO PRIMA.

SANCTVS Thomas 1. lib. Phys. lect. vltima dicit, impossibile est materiam primam generari, vel corrumpi, sed ex hoc non excluditur, quem per creationem in esse procedat. Oppositum huius videtur sumi ex dictis eius 1. par. q. 45. ar. 4. in quo quærit, quæ sunt illa, quæ creantur à Deo, & ait, quod sint res compositæ subsistentes, & propterea dicitur Gen. c. 1. In principio creauit Deus cœlum & terram, sed cœlum & terra sunt res compositæ subsistentes, materia verò prima, neque est res composita, neque subsistens, igitur non poterit procedere in esse per creationem, quomodo ergo stabunt hæc duo dicta simul?

CON-

CONCILIATIO.

NIsi dicamus, quod antiqui Philosophi, paulatim, & quasi pedetentim intrauerunt in cognitionem veritatis ipsius materiæ primæ, à principio enim quasi grossiores existentes, non existimabant esse entia, nisi corpora sensibilia, & ideo aliqui ex eis posuerunt aquam esse primum principium materiale omnium: aliqui verò aerem, seu vaporem aliquem: & aliqui vnum, aliqui verò alterum, solum Arist. & Plato venerunt in cognitionem æqualem ipsius materiæ, licet & ipse *Arist.* repræhenderit etiam magistrum suum Platonem de essentia ipsius materiæ, quod non est magnum, & paruum, vt existimauit Plato, sed est subiectum transmutationis, quòd modo est sub vno termino, modo sub altero, & hoc est æternum & perpetuum, à parte ante, & à parte poste: quia omne quod fit, componitur ex subiecto, & ex aliquo alio, sed materia prima non potest componi ex aliquo subiecto, & ex aliquo alio, quia tunc quæreretur de illo subiecto, ex quo fit, & sic de alio ex consequenti procederetur in infinitum, quia impossibile est aliquid fieri ex nihilo, propterea sequitur materiam esse æternam, & non esse factam, aut productam à Deo. Sed hæc ratio Arist. concludit vtique de fieri particulari, quod est de forma in formam, siue substantiali, siue accidentali, sic enim impossibile est materiam produci, scilicet ab agente particulari & per transmutationem: sed non concludit, quod non possit fieri, & creari à Deo tanquam ab vniuersali principio essendi, à quo omnia emanant, & producuntur: sicuti ens per participationem necessariò causari debet ab ente per essentiam, sicut ferrum ignitum fit ab igne, & quia materiæ primæ conuenit esse per participationem, sicuti & omnibus alijs rebus à Deo, conuenit tale esse, licet diuersimodè: propterea sicuti omnia alia à Deo sunt producta ab ipso per simplicem emanationem, pariformiter dicendum etiam est de materia prima, quod sit à Deo glorioso producta. Quam veritatem notificauit ipsemet Arist. 2. Metaphys. tex. 2. quando dixit. Maximè ens, & maximè verum esse causam omnis entis, & omnis veri, sicut maximè calidum est causa omnis calidi: at Deus gloriosus est maximè ens, & maximè verus, vt ipsemet etiam Arist. 12. Metaphys. docuit tex. 39. quando dixit Deum esse animal sempiternum & optimum, à quo cœlum & natura pendent: & cum verum verò non contradicat, propterea Apostolus scribens ad Rom. 11. dicebat, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Et ex hoc excluditur opinio Dauidis de Dimando, qui dixit Deum esse materiam primam, vt notat S. Th. 1. par. q. 3. art. 8. Excluditur etiam opinio Manichæi, dicentis materiam esse diabolum aliquando, aliquando verò dicebat diabolum esse Principem materiæ. Quæ opiniones omnes damnatæ fuerunt in Concil. Toletano primo, & authoritate Leonis Papæ confirmato: & excluduntur per illud, quod dicitur Ioannis primo: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Et ad formam contradictionis dicendum est, quod licet materia non sit producta in esse per creationem propriè, est tamen producta in esse impropriè, pro quanto dicimus, quod creari est quoddam fieri, & fieri ordinatur ad esse rei, vnde illis propriè conuenit fieri, & creari, quibus conuenit esse, hoc conuenit propriè subsistentibus, siue sint simplicia, sicut substantiæ separatæ, siue sint composita, vt substantiæ materiales: & quia illi propriè conuenit esse, quod habet esse subsistentiæ, atque subsistit in suo esse, illud autem est compositum, & subsistens, propterea compositum, & subsistens propriè creatur, & fit, formæ, & accidentia concreantur & confiunt: sic etiam dicendum est de materia prima, quod non propriè creatur, & fit, sed concreatur & confit cum ipsa forma, vt docet etiam Caiet. 3. par. q. 62. loquens de gratia Sacramentali, quæ non creatur, sed anima ipsa grata, est illa, quæ creatur.

Opiniones Dauidis de Dimando, & Manichæi reijciuntur.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas 2. Phys. lect. 4. ait quòd homo generatur ex materia, & ab homine, quasi ab agente primo, & à sole tanquam ab agente vniuersali, vnde sequitur quod anima, quæ est forma hominis, sit in materia, vnde vsque ad animam rationalem se extendit consideratio naturalis, quæ est diformis. Oppositum huius scripsit 1. par. q. 90. ar. 2. vbi docet animam non posse fieri ex materia præiacente, neque corporali, quia sic esset naturæ corporeæ: neque spirituali, quia sic substantiæ spirituales ad in-

uicem

nicem transmutarentur; necesse ergo est dicere quod non fiat, nisi per creationem, si ergo anima hominis fit per creationem, ergo homo non fit ab homine, & à solo, & si sit, anima educeretur de potentia materiæ, vel homo ipse crearet animam, vel sibi simile non generaret, quæ omnia sunt falsa.

CONCILIATIO.

Circa contradictionem istam multa essent dicenda de creatione animæ, & de substantia eius, dum aliqui voluerunt ipsam esse de substantia Dei: Aliqui verò esse à Deo creatam, sed simul cum Angelis, quę fuit positio Origenes, qui non solùm animam primi hominis, sed animas omnium hominum ante corpora simul cum Angelis creatas posuit, & propter hoc credidit omnes substantias spirituales, tam animas, quam Angelos ęquales esse secundùm suę naturę conditionem, sed solùm merito distare, sic quod quædam earum corporibus alligantur, quæ sunt animæ hominum vel coelestium corporum, quædam verò in sui puritate secundùm diuersos ordines remanserunt: Aliqui verò dixerunt animas hominum propagari ex substantia carnis, sicuti fuerunt Luciferiani: Nonnulli verò, vt Tertullianistæ asserebant animam filij, esse ex anima patris, veluti corpus ex corpore. Multi etiam inter Armenos dicunt animas fieri, quemadmodum ignis excutitur à ferro, & à silice, sic quando coniungitur vir cum fœmina, producitur anima ad similitudinem ipsius ignis. Et cum essem Romæ, vidi aliquos istorum Armenorum, cum quibus etiam longam disputationem habui, & pertinaciter defendebant opinionem istam: propterea cum talis opinio peruenisset ad aures Summorum Inquisitorum, duo istorum fuerunt capti & carcerati, & abiurauerunt hanc hæresim, amplectendo veritatem, quam docet Sancta Romana Ecclesia, animas ipsas rationales à Deo creari, & infundi corporibus, vt docet Beatus Augustinus libro de Ecclesiasticis dogmatibus, quòd animæ rationales non seminantur per coitum, à sed à Deo creantur, & simul infunduntur corporibus, & cum hoc etiam stat, quod homo hominem producat, & quòd sibi simile generet, in quantum per virtutem seminis eius disponitur materia ad susceptionem ipsius animæ: quia ad hoc, quòd aliquid dicatur effectiuè producere aliquod compositum, non exigitur, quod faciat omnes eius partes, nec requiritur quòd faciat aliquam eius partem, sed sufficit, quod effectiuè causet coniunctionem partium, ex quibus partibus, & ex qua coniunctione resultet illud compositum; si enim agens producendo Compositum requiratur quod faciat omnes partes eius, sequeretur nullum agens naturale facere aliquid compositum, & generare sibi simila: vnde nedum homo non generaret hominem, sed neque leo leonem, & bos bouem, quia non faciunt materiam, neque etiam dealbans artificialiter parietem, faceret parietem album, quia neque parietem, neque albedinem producit, sed addit vnum alteri, & posito per possibile, vel per impossibile, quod forma bouis præexisteret ante generationem eius, & bos generans esset tantæ virtutis, vt generando, coniungeret formam cũ materia, nihilominus esset causa illius compositi, scilicet bouis, licet forma eius præexistat. Et quia in generatione hominis sunt duæ actiones, & duo termini intrinseci earum, vna actio, quæ est simplex emanatio, seu creatio à prima causa, scilicet Deo glorioso: altera verò actio est ab ipso semine tanquam ab instrumento animæ intellectiuæ; propterea anima intellectiua in instanti, quo fit, sortitur duo, scilicet esse, quia est subsistens, & propriè creatur, vt docet S. Thom. 1. par. q. 90. art. 1. vnde sibi propriè competit esse, & fieri, sortitur etiam & modum essendi, quia inest corpori organico, seu materiæ corporali, vt actus substantialis: talis autem modus essendi, seu inesse, potest sumi dupliciter; Vno modo pro relatione actuali vnius inter animam, & materiam, alio modo pro fundamento illius, quod nihil aliud est, quàm materiam esse actu formaliter per animam, quod pertinet ad genus substantiæ, non relationis; & ista vnio fundamentalis potest esse ex parte formæ, quia est animam esse, qua formaliter est actu in specie humanæ substantiæ, & ex parte materiæ, quia est materiam esse actu per animam, & propterea anima ipsa rationalis est terminus intrinsecus creationis in instanti primo, quo Sortes incipit esse: quo verò ad suum modum essendi, seu inesse non terminat creationem, nisi concomitanter, & propterea dicitur, quod ex parte materiæ est proprius terminus actionis humanæ seminis, seu generationis: & ideo solet fieri illa distinctio, quòd anima dupliciter consideratur, vel quo ad esse, & sic creatur à Deo, vel quo ad inesse, & sic producitur per generationem, quia vnio animæ & corporis dicitur esse generatio-

In generatione hominis sunt duæ actiones.

neratio-

nerationis terminus. Non ergo est contradictio aliqua in dictis S.Thomæ, quia ea, quæ dicta sunt ab ipso 2. Phys. intelligenda sunt, quo ad esse, & terminum generationis: quæ verò prima parte scripsit, intelligenda veniunt, quo ad esse ipsius animæ, quæ à Deo benedicto creatur, vt dictum est, &c.

CONTRADICTIO III.

SANCTVS Thomas 3. Phys. lect. 6. circa finem, asserit substantiam, non posse esse infinitam in actu: quia infinitum in actu est quantum, & omne quantum est diuisibile, substantia verò est indiuisibilis, propterea substantia infinitum esse non potest. Oppositum huius scripsit 1. par. q. 7. art. 1. vbi ponit infinitum esse illud, quod est irreceptum ab omni receptiuo, & quia substantia Dei gloriosi est maximè irrecepta, cum sit actus purus, & per se subsistens: hinc sequitur Deum gloriosum esse maximè infinitum: Sed si ex primo dicto S. Thomæ infinitum est diuisibile, & ex 2. dicto habetur, substantiam Dei esse indiuisibilem, quomodo poterunt conciliari, & stare simul hæc duo absque repugnantia?

CONCILIATIO.

COntradictionem istam soluit Sanctus Thomas super vndecimum Metaphys. lect. 10. vbi declarat, quid sit infinitum, & quot modis dicitur infinitum, asserens infinitum propriè esse, quod mensurando pertransiri non potest: tot ergo modis dicitur infinitum, quot modis dicitur impertransibile: vtrumq; autem dicitur quatuor modis: quorũ primus est, secundum quod infinitum, siue impertransibile dicitur, quod non potest transiri mensurando, eo quod non est natum secundum suum genus pertransiri: sicut dicimus punctum, aut vnitatem, aut aliquid, quod non est quantum, & mensurabile esse infinitũ, seu impertransibile, per quem modum vox dicitur inuisibilis, quia non est de genere visibilium. Secundo modo dicitur infinitũ, vel impertransibile, quod nondum est pertransitum, licet inceptum sit. Tertio dicitur illud infinitum, quod est transibile, tamen propter aliquod impedimentum pertransiri non potest: sicuti est profunditas maris, vel altitudo cœli. Quarto dicitur infinitum illud, quod aptum natum est habere transitionem & terminum, secundum suum genus, sed non habet, puta si daretur linea aliqua sine punctis terminantibus, vel superficies infinita, aut corpus infinitum. Dicitur etiam aliquod infinitum in entitate, nempe quod perfectionem in se, ac in sua essentia habet illimitatam, & comprehendit perfectionem totius entis: opposito modo finitum dicitur, quod habet in sua essentia limitatam & contractam perfectionem ad aliquod genus, & sic infinitum in entitate soli Deo conuenit: & alio modo dicitur infinitum negatiuè, id est, quod non habet finem; & ne dum ipse Deus hoc modo est infinitus, sed etiam omnia, quæ in ipso sunt, quia nec ipse aliquo finitur, nec eius essentia, nec sapientia, nec potentia, nec bonitas, vnde omnia in ipso sunt infinita. Et hinc etiam est, quod aliqui distinguunt de infinito, dicendo, quod aliquod infinitum dicitur in vigore, quia habet potentiam operandi infinitam, quæ quidem potentia cum sit actiua, sequitur actum, vnde quantitas potentiæ sequitur quantitatem actus: Vnumquodque enim tantum abundat in virtute agendi, quantum est in actu, sed Deus est actus infinitus: quia actus non finitur nisi dupliciter; Vno modo ex parte agentis, sicut ex voluntate artificis pulchritudo domus recipit quantitatem & terminum: Alio modo ex parte recipientis, sicut calor in lignis terminatur, & quantitatem recipit, secundùm dispositionem lignorum: ipse autem diuinus actus non finitur ex aliquo agente, quia non est ab alio, sed est à se ipso: neq; finitur ex aliquo recipiẽte, quia in eo nulla est passiua potentia admixta, cum sit actus purus, non receptus in aliquo: est enim Deus ipsum esse suum, in nullo receptum, & propterea dicitur infinitus negatiuè: quod ex hoc videri poterit, quia esse hominis est terminatum ad speciem hominis, quia est receptum in natura humanæ speciei, & simile est de esse equi, vel cuiuslibet creaturæ; Esse autem Dei, cum non sit receptum in aliquo, sed sit esse purum, non limitatum ad aliquem modum perfectionis essendi, sed totum esse in se habet: & sicut esse in vniuersali acceptum ad infinita se potest extendere, ita diuinum

Actus finitur dupliciter. s. ex parte agentis, & ex parte recipientis.

num

num esse, cum sit totum in se, & ex se, & per se, potest se extendere ad infinitum, & propterea dicitur, quod habet potentiam infinitam in vigore. Datur etiam & aliud infinitum, quod vocat infinitum in duratione, & est illud, quod durat tempore infinito, sicut motus, tempus, cœlum; & tale infinitum, vt infinitum est, consideratur à Philosopho naturali, sicuti & aliud infinitum, quod dicitur per indeterminationem ad recipiendum, veluti potentia materiæ primæ, quæ dicitur infinita, id est, indeterminata ad formas, sine limite & termino. Est & infinitum in quantitate, puta continua, vel discreta: quæ si fuerit abstracta à materia sensibili, dicitur infinitum Mathematicum; si verò non fuerit abstracta, dicitur infinitum Physicum: quod potest etiam esse duplex, vel in actu, quod actu habet magnitudinem infinitam, aut multitudinem; vel in potentia. Ex his patet solutio ad formam contradictionis, quia quando dicebat S. Thomas 3. Physic. Infinitum esse diuisibile, loquutus est de infinito quantitatiuo, & priuatiuè, & hoc modo substantia non est infinita: quando verò dicebat in prima parte, infinitum esse irreceptum, loquutus est de infinito negatiuè, & sic substantia Dei est infinita. Et si diceres, Finis neque finitus, neque infinitus est, sed substantia Dei est finis omnium, ergo neque est finita, neque infinita: Respondetur, quod concludit argumentum hoc de infinito priuatiuè, non autem de infinito negatiuè &c.

Infiniti Physicum duplex.

CONTRADICTIO IIII.

Sanctus Thomas 4. Phys. lect. 1. in expositione sui textus ait, quod locatum tendit in suum locum desiderio suæ conseruationis: vnde vnumquodque naturaliter fertur in locum suum, quando non impeditur, sicut graue fertur deorsum, & leue sursum. Oppositum huius scripsit lectione 7. in expositione 46. text. eiusdem libri, vbi asserit, cœlum esse locum ignis, & ignem locum aeris, & aerem locum aquæ, & aquam locum terræ: sed terra non naturaliter, & desiderio suæ conseruationis fertur in aquam, nec aqua in aerem, quia tunc graue naturaliter ascenderet sursum. Quomodo ergo stant ista duo simul, locatum naturaliter ferri ad locum, & terram non naturaliter, sed potius violenter tendi ad aquam suum locum, quia naturaliter potius tendit ad centrum, quod est inferius, non autem ad aquam, quæ est superior terra.

CONCILIATIO.

Hæc contradictio dissoluenda venit ex dictis S. Thomæ, vt nullus alius Doctor loquatur in contradictionibus istis, nisi ipsemet Doctor Angelicus, & alterum eius dictum dubium, per alterum declaretur & intelligatur. Ipse enim in Opusculo de natura loci, quod est Opusculum secundum, narrat diuersas sententias & opiniones de loco, dum aliqui dicebant, locum esse spatium, propterea, quia locus debet esse æqualis locato, & hoc spatium non substantiam: sed solam quantitatem & dimensiones existimabant. Aliqui verò affirmabant vtique locum esse spatium, sed illud spatium non erat reale, sed vacuum quoddam, cuius esse est carentia corporis, ita vt repleri possit. Aliqui autem affirmabant, spatium illud non esse quid distinctum à corpore, quod est inter extrema, vt spatium vasis interius non est aliud quam ipse aer, cum plenum est aere, aut aqua cum plenum est aqua, aut quoduis aliud corpus, quod illic est. Aliqui dicebant, locum esse materiam. Aliqui formam. Aliqui superficiem: & quia in superficie duo sunt, alterum ipsamet superficies, & hoc est subiectum loci, alterum verò est virtus conseruatiua, & hoc est ipsius formæ, ita quod tota natura loci, sit ista virtus, superficies enim subiectum est non de natura eius: & propterea aliqui reponunt locum in secunda specie qualitatis. Nonnulli verò distinguunt de loco dicendo, quod dupliciter proferre sermonem possumus de eo: Vno modo materialiter, & sic locus est superficies; Alio modo formaliter, & sic est relatio quædam: hæc autem relatio alia est continentiæ, qua locatum continet; & alia est relatio distantiæ, quam habet vt sit immobilis. Multi verò dicunt, locum esse in prædicamento Vbi, quia illa, quorum sunt eædem species, sunt idem genus, sed locus & vbi habent easdem species, puta sursum & deorsum, ergo sunt idem genus: & propterea dum quæritur de locato vbi est? puta ignis; Respondetur quod est

Diuersæ Philosophorū opinio de natura loci.

ſurſum: & vbi eſt terra? reſpondetur, quod ſic deorſum. Patet ergo quomodo locus in prædicamento, vbi aſſignari debet. Hinc etiam eſt, quod loquendo de immobilitate eius, dicunt locum eſſe mobilem, non quidem per ſe, ſed per accidens ad motum ſubiecti. Immobilis autem dupliciter intelligi poterit; Vno modo, quia ad motum corporis, quod in loco eſt, non neceſſariò mouetur, ſed manet locus recedente corpore; Altero etiam modo, quod non mouetur illo motu, quo mouetur corpus ad ipſum locum: non enim eſt veluti albedo, quæ mouetur aliquo modo motu tendentis ad albedinē; non ſic autē locus, ſed ipſe manet, corpus eſt illud, quod mouetur ad ipſum, & non tendens verſus locatum. Sed S. Thomas addit poſtpoſitis omnibus his, quòd locus eſt ſuperficies corporis continentis, & immobilis, non ſolum motu locati, ſed etiam motu continentis: vnde ſi ſit nauis in aqua fluuij, quæ mouetur, magis vtitur ea tanquam vaſe, quam ſicut loco continente, propterea quod vnitas loci accipiēda eſt ſecundum ordinem, & ſitum ad primum locum, quia locus ipſe non ſolum eſt continens, ſed eſt continens & conſeruans; nihil autem habet rationem conſeruantis alium, niſi per virtutem, & influentiam corporis cœleſtis, quam recipit, ſecundum quod eſt in determinato ſitu, & in determinata diſtantia: & hæc eſt cauſa, quare aliquid habet rationem loci per comparationem ad primum locans. Quia verò locus immobilis eſt, propter hoc medium cœli, quod eſt centrum, & vltima ſuperficies corporis circularis, quæ eſt cœlum, ſic ſe habent, quod hoc dicitur ſurſum, illud verò deorſum: quæ ſunt duæ differentiæ loci, hæc autem minimè manent immobilia, centrum ſemper eſt immobile, cœlum autem licet ſemper moueatur, tamen ſemper eſt in eadem diſtantia quo ad nos; & ſecundum iſtam relationem locus ſemper dicitur immobilis: quia licet baculus exiſtens in fluuio ſemper moueatur, & ſic nauis in mari, tamen ſemper remanet idem ordo, ſitus, relatio totius fluuij ad centrum, & ad cœlum: & ſic etiam mare. Et propterea locus dicitur immobilis, & ſuperficies continentis, & licet motus locati non ſit ad ipſam ſuperficiem locantis propter ſuperficiem, ſed propter virtutem conſeruatiuam & formatiuam locati; & ideo cum virtus formatiua terræ ſit frigiditas, quæ cauſatur ex tanta diſtantia ad primum calefaciens, quod eſt cœlum, & inchoatio huius virtutis eſt in concauo aquæ, perfectio autem eius eſt in centro, ideo terra mouetur ad centrum, & non ad ſuperficiem aquæ: & inde eſt, quod terra eſt ſimpliciter grauis, virtus autem formatiua ignis eſt calidıtas perfecta, quæ eſt completa in concauo orbis lunæ, propter quod ignis eſt ſimpliciter locus. Ex his ergo ſoluitur contradictio, quod locatum tendit ad locum ſuum naturaliter, ratione virtutis conſeruatiuæ, & ſic terra ad centrum, non autem ratione ſuperficiei continentis, & propterea non naturaliter fertur ad ſuperficiem aquæ, quia aqua eſt locus continens tantum terram, & non conſeruans: ac ſi dicamus, quod locus eſt duplex, vel vt conſeruans, vel vt continens. Patet ergo nullam eſſe contradictionem, neque apparentem, in dictis S. Thomæ, circa iſtam materiam &c.

CONTRADICTIO V.

SANCTVS Thomas 5. Phyſ. lect. 7. dicit, tria requiri ad continuationem motus, quorum primum eſt vnitas ſpeciei, ſecundum eſt vnitas ſubiecti, tertium eſt vnitas temporis. Hæc tria prædicta requiruntur, vt ſit vnus motus continuus ſimpliciter. Oppoſitum huius ſcripſit 1. p. q. 53. art. 1. & 2. vbi loquens de motu continuo & diſcreto Angelorum, vult ad continuationem motus requiri etiam continuitatem magnitudinis: quod expreſſit primo ſententiarum clarius, diſt. 37. q. 4. art. 2. & quol. 1. q. 3. art. 2.

CONCILIATIO.

PRo ſolutione huius contradictionis ſciendum eſt illud, quod tangit Ariſt. 5. Phyſ. tex. 23. quod maximè facit ad cognitionem huius, hoc autem eſt ſcire ea, quæ ſunt ſimul ſecundum locum, & ſunt illa, quæ dicuntur eſſe in eodem loco proprio, ad differentiam eorum, quæ ſunt ſunt in eodem loco communi, puta in cœlo. Separata ſecundum locum illa dicuntur, quæ exiſtunt in diuerſis locis, vt duæ aquæ exiſtentes in duobus ciatis. Tangere verò illa dicuntur, quorum extrema ſunt ſimul, vt duo lapides

pides se tangunt, quorum superficies simul inhaerent. Medium illud dicitur, in quod prius peruenit mobile, quod mouetur motu continuo, quàm ad extremum, vt si lapis moueatur à cęlo ad terram, prius peruenit ad mediam regionem aeris, quàm ad superficiem terrae. Continuum verò illud dicitur, cuius extrema sunt vnum, vel cuius partes coniunguntur ad vnum terminum communem quod est principium, & finis illarum partium, vt linea, cuius partes copulantur ad punctum. Secundo sciendum est, quod aliquis motus dicitur vnus genere generalissimo, vt est ille, qui terminatur ad rem vnius praedicamenti, & sic omnes alterationes sunt vnus motus, & omnia augmenta & decrementa sunt vnus motus ratione quantitatis. Secundò aliquis motus dicitur vnus specie subalterna, quia terminatur ad speciem subalternam, & sic omnis coloratio est vnus motus. Tertiò dicitur aliquis motus, vnus, qui terminatur ad vnam speciem specialissimam, vt omnes dealbationes ad albedinem, & denigrationes ad nigredinem. Quartò dicitur motus vnus numero, qui terminatur ad rem vnam numero; Vt haec sanatio dicitur vnus motus numero, quia ad vnam rem, puta hanc sanitatem, quae est in Socrate, terminatur. Et ex his ostendit Arist. 5. Phys. tex. 40. quod ad vnum motum numero simpliciter requiruntur tria, scilicet mobile, quod mouetur, ad quod, quod dicitur esse terminus ipsius motus, & in quo, quod dicitur esse tempus, in quo fit motus. Et tota difficultas, & dubitatio solet esse respectu subiecti, quia quando descendit aliquod animal à media regione aeris, incessanter, & in media via, posito quod moriatur, tunc est difficultas: An hic motus sit vnus & continuus? quod non sit vnus, & continuus patet, quia non est idem mobile, nam primo erat animal viuum, & deinde effectum est mortuum, sed viuum, & mortuum differunt specie, vt animatum & inanimatum, & similiter etiam quando descendit gutta aquae, & cadit per aerem, & in medio fit grando & lapis, cum ibi non sit identitas mobilis, videtur etiam, quod neque est vnitas, & continuitas motus. Sic etiam est difficultas de motu, qui fit in chorda, quia videtur, quod sit discontinuus, & sic de motu pulsantis chordam, & de baculo, cuius medietas est viridis, & alia medietas est sicca: de omnibus istis est difficultas respectu subiecti. Ad quae omnia, si de vigore sermonis respondere velimus, dicere possumus, motus istorum subiectorum non esse continuos, quia non sunt eadem numero subiecta, licet aliqui dicant hoc contradicere sensui & rationi: tamen decipiuntur sicuti & sensus multoties decipi possunt per accidens, vt scripsit Themistius 2. de anima, & hoc vel ratione distantiae, vel ratione dispositionis organi, vel ratione medij. Sed ratio potius suffragatur nobis in hac parte, quandoquidem si verùm est, quòd ad continuitatem motus requiritur vnitas & continuitas mobilis, & in exemplis supra adductis non est continuitas mobilis, manifestum est, quod ratio naturalis dictat, motus illos non esse continuos: propterea optimè S. Thomas 5. Phys. declarauit continuitatem, & vnitatem motus debere illa tria habere, quod, ad quod, & in quo, & hoc loquendo de vnitate intrinseca, & formali, non autem de vnitate, & continuitate extrinseca, quia ad hanc continuitatem extrinsecam plura alia requiruntur, inter quae dicitur esse magnitudo, de qua ipse S. Thomas loquutus fuerat prima parte. Et sic nulla interuenit contradictio, dum in vno loco loquitur de continuitate & vnitate intrinseca, & in alio de vnitate & continuitate extrinseca.

Nota 2. Aliquem motum esse vnũ dicitur primo quadrupliciter. 2 3 4

CONTRADICTIO VI.

SANCTUS Thomas 6. Phys. lect. 12. in expositione 86. tex. loquens contra Democritum ponentem Athomos per se mobiles, dicit impartibile, seu indiuisibile nullo modo moueri, quia omne quod mouetur, aut mouetur quando est in termino, à quo, aut quando est in termino ad quem, aut quando partim est in vno, & partim in alio: non primùm, quia tũc incipit motus; non secundùm, quia tunc completus est motus & terminatus, ergo tertio modò, & sic illud, quod mouetur non erit impartibile, sed diuisibile & partibile. Oppositum huius docuit ipse S. Thomas prima par. q. 53. art. 1. & 1. sent. distin. 17. q. 4. art. 1. & in opuscul. 15. cap. 18. & super Matth. in exposit. 1. capitis.

CONCILIATIO.

CLarum est, & indubitatum apud Theologos, Angelos moueri, similiter & animas separatas: quia est articulus fidei, dicere animam beatam localiter moueri, quandoquidem Christus Dominus noster, in triduo mortis suæ, secundum animam descendit ad inferos, propterea indubitanter tenendum est, tàm Angelos, quàm animas separatas moueri localiter: vnde opus est, quod motus corporis secundum locum commensuretur loco, & fit secundum exigentiam eius, & inde est, quod secundum continuitatem magnitudinis est continuitas motus, & secundum prius & posterius, in magnitudine, est prius, & posterius in motu locali corporis, sed Angelus non est in loco, vt commensuratus & contentus, sed magis vt continens, ob hoc motus Angeli in loco non oportet, quòd commensuretur loco, nec quod fit secundum exigentiam eius, vt habeat continuitatem ex loco, sed est motus non continuus: & quoniam Angelus non est in loco, nisi secundum contactum virtutis, necesse est quod motus Angeli in loco nil aliud sit, quàm diuersi contactus diuersorum locorum successiuè, & non simul: quia Angelus non potest esse simul in pluribus locis. Huiusmodi autem contactus non est necessarium esse continuos, potest enim in huiusmodi contactibus continuitas quædam inueniri; vnde nihil prohibet Angelo assignare locum diuisibilem per contactum suæ virtutis, sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis, & propterea sicut corpus successiuè, & non simul dimittit locum, in quo prius erat, & ex hoc causatur continuitas in motu locali eius, ita etiam Angelus potest dimittere successiuè locum diuisibilem, in quo prius erat, & sic motus eius erit continuus, & potest etiam totum locum simul dimittere, & toti alteri loco simul se applicare, & sic motus eius erit non continuus, sed discretus. Patet ergo, quomodò Angelus mouetur, & quo motu: & sic etiam applicari potest hic modus loquendi ad animas separatas, quæ sunt indiuisibilia existentia extra totum genus continui, quia sunt substantiæ incorporeæ, & applicant suam virtutem rebus diuisibilibus. Datur etiam & aliquod indiuisibile, seu partibile, quod est terminus continui, vt punctus in permanentibus, & momentum in successiuis, huiusmodi indiuisibile in permanentibus, quia habet determinatum situm, non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis, & similiter indiuisibile actionis vel motus, quia habet determinatum ordinem in motu, vel actione, & non potest esse in pluribus partibus temporis. Hæc talia impartibilia non possunt moueri, nisi per accidens, vnde punctum mouetur in toto corpore, vel in quacunque alia magnitudine, in qua reperitur scilicet linea, vel superficies: & quia moueri per accidens ad motum alterius contingit dupliciter; Vno modo, quando id quod mouetur ad motum alterius non est aliqua pars eius, sicut illud quod est in naui mouetur ad motum nauis. Alio modo sicut albedo ad motum corporis in quo est subiectiue, tamen non est eius pars: Impartibile quoque potest dici dupliciter, vno modo secundum speciem, vt ignis & aer dicuntur corpora impartibilia, quia non non possunt resolui in plura corpora specie diuersa, & tale impartibile nihil prohibet moueri: Aliud est impartibile secundùm quantitatem, vt dictum est, & tale mouetur per accidens, non tanquam pars eius, quod mouetur, sed sicut terminus in terminato: Vnde nulla est contradictio in præsenti negotio, quia in prima parte S. Thomas locutus est de impartibili secundum substantiam, in 6. auth. Phys. de impartibili secundum quantitatem, quod mouetur per accidens. Sed contra quia poli mundi sunt impartibiles secundum quantitatem, sed tamen sunt immobiles, vt docet Sanctus Thomas 2. Cœli lect. 3. Nisi dicamus; quod illa immobilitas polorum est potius ad imaginationem Mathematicorum intelligenda; quia ipsi mathematici abstrahunt à motu, sed naturaliter loquendo etiam ipsi poli mouentur per accidens ad motum orbis in quo sunt &c.

Moueri ad motum alterius contingit dupliciter.

CONTRADICTIO VII.

SANCTVS Thomas 7. Phys. lect. 7. in expositione 31. tex. dicit, quod ea, quæ sunt vnius ordinis sunt comparabilia, non autem illa, quæ sunt diuersorum ordinum. Oppositum huius voluit 1. par. q. 6. art. 2. respondendo ad tertium argumentum, vbi ponit Deum, & creaturas esse comparabilia ad inuicem, quia summum importat comparationem quandam, & Deus respectu creaturarum dicitur summum bonum, & tamen Deus ipse, & creaturæ sunt diuersorum ordinum, vt scripsit ipsemet S. Thomas 1. par. q. 3. art. 5. & 1. cont. gent. cap. 17. & de potent. Dei q. 7. art. 3. & opusc. 3. capit. 12.

CONCILIATIO.

Comparatio multis modis sumitur.

NIsi esset, quod comparatio multis modis dici potest, datur enim aliqua comparatio, quæ vocatur comparatio communis, & est quando illud prædicatum, in quo aliqua duo comparantur, conuenit vtrique secundùm vnam rationem, saltem analogam, vt substantia est perfectior accidente; nam perfectum prædicatur de substantia & de accidente, sicut ens, quod quidem prædicatur analogicè de prædicamentis, & de substantia & accidente, vnde dici potest, quod est melior, & sapientior creaturis omnibus, in hac loquutione est comparatio communis, quia bonitas & sapientia prædicantur analogicè de Deo, & creaturis, quippe quæ creaturæ non dicuntur bonæ, nisi in ordine ad Deum, qui est ens, & bonum per suam essentiam: alia verò dicuntur entia & bona in quantùm participant ipsum per modũ cuiusdam assimilationis, licet remotè & deficienter, veluti à principio primo exemplari effectiuo, & finali totius bonitatis: quamquam vnaquæque creatura, dicatur etiam bona similitudine diuinæ bonitatis sibi inhærente, quæ est formaliter sua bonitas denominans ipsam. Datur & comparatio, quæ dicitur propria, & est quando extrema comparabilia sunt eiusdem generis, vel speciei specialissimæ; prædicatum autem, in quo comparantur est semper species specialissima. Exemplum primi; Coruus est nigrior columbo, coruus & columbus sunt eiusdem generis, quia continentur sub animali: nigredo autem est species specialissima, in qua comparantur: Exemplum secundi: Plato est albior Socrate. Comparatio verò proprijssima est, quando prædicatum, in quo extrema prædicantur, est semper species specialissima, & extrema comparabilia, semper sunt eiusdem speciei specialissimæ, vt Plato est albior Socrate, & de hac loquutus est S. Tho. 7. Phys. quæ quidem comparatio requirit primò, vt prædicatum, in quo fit comparatio prædicetur de vtroque extremo comparabili vniuocè, & non æquiuocè: Propterea hæc comparatio nulla est, vox Socratis est acutior acu vel gladio, nam acutum est æquiuocum, quia vt prædicatur de voce, non prædicatur de acu, non enim dicitur acuta, quia fortiter penetrat auditum: acus verò dicitur acuta, quia fortiter penetrat tactum, vel corpus densum. Secundò, comparatio ista proprijssimè, debet habere prædicatum, in quo fit comparatio, vt sit susceptibile in vtroque extremo comparabili, & eodem modo, & hinc est quod comparatio ista, in qua dicitur, Plato est albior Socrate, ista est bona comparatio, quia albedo recipitur in vtroque, in quantum habent superficiem, quæ est immediatum subiectum coloris: & ista alia comparatio non valet, Vox Socratis est maior Socrate, quia magnitudo recipitur in Socrate, prout est substantia, in voce verò recipitur magnitudo, prout vox est sonus fortiter immutans auditum. Tertiò requiritur vt prædicatum, in quo fit comparatio, sit species specialissima, & similiter extrema comparabilia: & propterea ista comparatio non est proprijssima, Plato est sapientior vel Doctior Socrate, quoniam doctrina est genus, cuius species sunt doctrina logicalis, physicalis, doctrina geometricalis, & doctrina Theologalis: sed ista est proprijssima comparatio dicendo; Plato est magis Geometra, quàm Socrates, quoniam Geometria, in qua conueniunt est species specialissima, & extrema comparabilia sunt eiusdem speciei, scilicet, Plato & Socrates: & similiter hæc non est proprijssima; equus est pulchrior asino, quoniam pulchritudo non est species specialissima, nec equus & asinus sunt eiusdem speciei specialissimæ. Patet ergo, quomodo ex distinctione comparationum nulla interuenit contradictio in dictis S. Thomæ, quia ea, quæ non sunt in eodem genere,

Comparatio proprijssima requirit tria

sed in

fed in diuerfis generibus contenta nullo modo comparabilia funt; Deus autem neque eft in eodem genere,neque in diuerfo genere cum ipfis creaturis, fed dicitur effe extra omne genus,cum fit principium cuiufcunque generis,& fi comparatur ad alia,eft comparatio per exceffum,quam comparationem importat fummum bonum,& fummum ens, & fummum fapiens,& cætera talia prædicata.

CONTRADICTIO VIII.

SANCTVS Thomas 8.lib.Phyf.lect.2.in expofitione 10.tex.dicit,quod omnes Philofophi,præter vnum, idest, Platonem concorditer videntur fentire de tempore,quòd fit ingenitum, vt ipfemet Arift. fatetur in eodem contextu,dicens; Solus Plato genuit tempus,quæ verba exponens S.Thomas afferit,id eft,Plato dixit, tempus fimul factum effe cum cœlo. Oppofitum huius fcripfit 12.Metaphyf.lect.5.in expofit.30.tex. vbi dicit,quod Leucyppus focius Democriti,& Plato dixerũt femper fuiffe; fed tempus de mente S.Thomæ aut eft idem quod motus,aut paffio eius,ita quod non diftinguitur tempus & motus: valet ergo,fi tempus eft genitum,ergo & motus erit genitus; & fi motus eft æternus, ergo & tempus erit æternum,quia aut funt idem,aut fe habent, vt fubiectũ,& paffio fcilicet tranfcendens,vt aliàs docuimus, quæ paffio tranfcendens identificatur cum fubiecto. Apparet ergo euidens contradictio in his duobus locis.

CONCILIATIO.

Tres antiquiffimæ Philofophorum fententiæ de generatione mũdi.

NIfi dicamus,vt ipfemet S.Thomas fcripfit 1.lib. de cœlo & mundo lect.22.in expofitione tex. 102. quod de generatione mundi fuerunt tres antiquiffimæ fententiæ Phylofophorum: Quidam enim dixerunt mundum ipfum incæpiffe ab aliquo principio temporis,tamen in fempiternum durabit, ficuti primo dixerunt quidam poetæ,vt Orpheus,& Ifidorus,qui dicti funt Theologi,quia res diuinas poeticè & fabulariter ediderunt, quos in hac pofitione fequutus eft Plato, qui pofuit mundum generatum,fed indiffolubilem. Secunda fententia fuit ipfius Democriti, ponentis mundum corruptibilem effe,eo modo,quo quodlibet aliud generatorum,quæ conftituuntur ex multis, ita fcilicet, quod mundus poft corruptionem nunquam reparatur per naturam,quia pofuit mundum generari cafu,per concurfum athomorum femper mobilium, & ita per eorum fegregationem quandoque effe diffoluendum. Tertia fuit fententia, dicentium,quod mundus,quandoque viciffim generatur, & quandoque corrumpitur,& ifta viciffitudo femper durauit, & durabit, & hoc dixit Empedocles Agrigentinus: pofuit enim quod amicitia congregante elementa, & lite diffoluente ea,mundus generabatur & corrumpebatur: hoc etiam pofuit Eraclitus,Ephefius,qui pofuit quod quandoque totus mundus exuretur per ignem, & poft certos decurfus temporum totus mundus generatetur per ignem, quem ponebat effe principium omnium rerum,& quia poetæ illi,& præcipuè Plato,volebant,fapientiam ipforum quibufdam fabulis,& ænigmaticis locutionibus occultare, & quod confuetudo Arift.fuit in pluribus non obijcere contra intellectum eorum, qui erat fanus, fed contra verba eorum, ne aliquis in tali modo loquendi errorem incurreret: & hoc modo exponit Simplicius in primo de cœlo & mundo: vnde volunt, Platonem non diffentire in fenfu ab Arift. quia quemadmodum Arift. pofuit mundum æternum,& motum,& tempus,effe etiam æterna; ita etiam Plato pofuit: & quando dixit, aliquando Plato tempus generari,& motum generari,& mundum generari, loquutus eft de partibus ipfius mundi,non autem de toto mundo: & fic non eft vera controuerfia & difcordia inter Platonem & Arift.de generatione mundi. Verùm quia S. Thomas 2. lib. fent.dift.1.q.1.art.5.vbi ex profeffo difputat,vtrum mundus fit æternus? & latius narrat eafdem opiniones,foluendo Arift. quæ funt contra æternitatem mundi: & dicit rationes ipfas,quas adducit Philofophus, non effe demonftratiuas,fed probabiles,vel fophifticas rationes. Ecotra antiquos ponentes diuerfos modos, quibus mundus incæperat, alio modo eft diffoluenda præfens contradictio, fequendo expofitionem Alexandri, qui vult Ariftot.arguere, non folum contra verba, fed contra intellectum verborum ipforum antiquorum Philofophorum,vnde 12. Metaphyf.S.Thomas lect.5. afferit Platonem pofuiffe in ele-

in elementis, quæ dicebat ante constitutionem mundi, mota fuisse motibus inordinatis, sed postea à Deo fuisse ea reducta ad ordinem motum, & inordinatum quẽdam: vnde laudat Arist. Platonem quantùm ad hoc, quod dixit in elementis fuisse motum istum æternum, sed repræhendit in hoc, quia non explicauit, quis motus fuerit iste sempiternus inordinatus, nec etiam assignauit causam huius motus æterni & inordinati, & tamen nihil mouetur sine aliqua certa causa, semper enim oportet præexistere aliquid, quod sit causa motus, & hoc vel causa naturalis vel voluntaria: & propterea quoad vnum laudatur Plato, & quoad aliud repræhenditur: laudatur quo ad hoc, quod posuit motum æternum in ipsis elementis: repræhenditur postmodum, quia non declarauit, quis fuerit ille motus, & quæ causa eius. Ex quibus de facili soluitur contradictio secundùm istam viam, quia quãdo dixit S. Tho. 8. Phys. quod Plato posuit tempus esse genitum, & simul factum cùm cœlo, loquutus est de generatione ipsius temporis ordinati, quia Deus benedictus deduxit mundum, & tempus, & motum ad ordinem, sicuti in præsenti videmus: quando verò 12. Metaphys. asseruit, Platonem posuisse motum, & mundum, loquutus est de motu inordinato, qui reperiebatur in ipsis elementis ante ordinationem mundi. Hæc quo ad contradictionem. Quid autem rei veritatis sit, docuit S. Tho. 2. sent. mundum esse à Deo factum, vt Moyses prophetizauit de præterito &c.

Deus deduxit mundum vel ordinem.

CONTRADICTIONES D. THOMAE IN LIBROS DE COELO.

CONTRADICTIO PRIMA.

SANCTVS Thomas primo cœli lect. 6. improbat Auerroem, tenentem corpus cœleste habere materiam, non ad esse, sed ad vbi, quia scilicet non est subiecta transmutationi, quæ est secundùm esse, sed ei, quæ est secundùm vbi: vnde magna digressione digreditur, & contra Ioannem Grammaticum, & contra Auerroem lect. illa 6. in exposit. 19. tex. Quod confirmauit adhuc 1. par. q. 66. art. 2. dicens: nec tamen dicendum est, vt finxit Auerroes, ipsum corpus cœleste esse materiam cœli in potentia ad vbi, & non ad esse, quod quidem est impossibile &c. Oppositum huius scripsit 2. sent. dist. 1. q. 1. art. 5. in respons. ad 8. argumentum secundæ classis, vbi expresse approbat opinionem Auerrois, quam repulit primo cœli, & prima parte. Et quod sit verum, ecce verba sua formalia: Ad octauum dicendum, quod in cœlo non est potentia ad esse, sed ad vbi tantum secundùm Philosophum: & post pauca, subdit rationem Auerrois 12. Metaphys. com. 44. Et hæc contradictio est tanti momenti, quod solertissimus Franciscus Storella in contradictionibus suis dicit, sui autem, vt videtur, oblitus est S. Tho. si de tanto viro hæc dicere licet, & reliquit contradictionem insolutam.

CONCILIATIO.

PRopterea, vt de medio tollamus contradictionem istam, sciendum est, quod diuersimode antiqui Philosophi loquuti sunt de materia cœli: vnde aliqui dixerunt in cœlo esse materiam eiusdem rationis cum istis inferioribus; non solùm vt materia accipitur, vt est obiectum formæ, sed etiam prout est subiectum transmutationis: vnde dicebant, quod cœlum est de natura quatuor elementorum, ita quod communicat cùm istis inferioribus in qualitatibus actiuis & passiuis; & hæc fuit opinio Platonis, qui posuit cœlum esse ignem, & moueri motu circulari, quia propter defectum loci, quo vltra ascendere non potest reflectitur, sicut flamma reflectitur in fumo. Quidam discipuli ipsius Platonis dixerunt, quod cœlum est corpus mixtum ex elementis, & tamen non corrumpitur, cuius causam volebant esse diuinam voluntatem, quæ præseruabat cœlum ipsum à corruptione: Et hanc opinionem narrat S. Tho. 1. par. q. 50. art. 5. in 2. argumento, vbi portat verba Platonis in Thymæo, ò Dij Deorum, quorum opifex idem paterque ego,

que ego, opera siquidem vos mea dissolubilia natura, voluntate autem mea indissolubilia; & loquitur de corporibus cœlestibus, quæ erant composita ex elementis, & secundùm naturam dissolubilia; tamen per diuinam voluntatem conseruabantur in esse. Quidam etiam ex discipulis Platonis volebant corpora ipsa cœlestia esse simplicia, & velocissimo motu moueri super ignem, qui est eis immediatus, & ideo non patiebantur ab eo, sicuti nec manus patitur aliquid, quando citò mouetur super flammam. Aliqui verò loquentes de materia cœli, dixerunt esse subiectum in actu, & non esse in potentia ad formam substantialem, cùm sit quædam forma substrata quantitati, & extensa per ipsam quantitatem, & hæc forma non informat materiam aliquam; & hanc positionem secutus est Auerroes in libro de substantia orbis; & in primo de cęlo & mundo com. 20. & in 8. Physicorum com. 79. & 12. Metaphys. com. 44. in omnibus enim locis istis ponit corpus cęleste habere materiam, non ad esse, sed ad vbi, quia scilicet non est subiecta transmutationi, quæ est secundùm esse, sed ei, quæ est secundùm vbi. Fuerunt & alij, qui dixerunt in cęlo esse materiam eiusdem rationis, cum materia horum inferiorum, de numero quorum fuit Romanus Ægidius, qui tenuit corpora superiora & inferiora communicare in materia, prout materia ipsa est subiectum formæ, sed non prout est subiectum transmutationis ad formam substantialem, quia non communicant ad inuicem cum qualitatibus actiuis & passiuis, quæ sunt calidũ, frigidũ, humidũ, & siccum, & similia: sicut si essent duæ figuræ, quarum vna esset in quantitate, quæ non posset solui, vel diuidi, & alia esset in quantitate, quæ posset solui & diuidi, & de facili reciperet impressionem, dicerentur communicare in materia eiusdem rationis, secundùm quod est subiectum figuræ, quia hæc est quantitas per essentiam suam, sed non dicerentur communicare in quantitate, vt est subiectum transmutationis. Opinio S. Thomæ vbique locorum in doctrinæ sua semper fuit, quod in cœlo est materia, & non est eiusdem rationis, cùm materia istorum inferiorum, nec secundùm quod est subiectum formæ, nec secundùm quòd est subiectum transmutationis; & propterea impugnat Auerroem 1. par. dicens: Impossibile est ponere aliquod ens actu, quin vel ipsum totum sit actus & forma, vel habeat actum seu formam. Remota ergo per intellectum substantia separata, quæ vnitur cœlo, vt motor, si corpus cœleste non est habens formam, quod est componi ex materia & forma, sequitur quod sit pura forma, & sic non erit sensibilis, vel erit pura materia, & sic non erit mobilis, ergo necesse est ipsum poni compositum ex materia & forma, & sic materia cœli est ad esse. Quod autem dixi 2. senten. quod materia cœli non est ad esse, sed ad vbi tantùm, intelligendum est, quod non est ad esse acquisibile per motum, sed est ad esse datum sibi ab vniuersali principio, quod est Deus benedictus. Et sic nulla est contradictio: & reprehendendus venit Franciscus Storella, qui nesciens dissoluere contradictionem istam, imposuit Doctori Angelico obliuionem, ac si esset veluti ipse, qui oblitus fuerat dissoluere istam contradictionem, quam nos breuibus verbis, & apertis dissoluimus &c.

In cœlo non est materia eiusdẽ rationis cum materia horum inferiorum.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas 2. cœli lect. 4. in expositione 18. tex. ait, quod si vnum contrariorum est in natura, necesse est vt reliquum sit: & quia ignis & terra sunt contraria, quia maximè distant secundùm contrarietatem situs, in quantùm vnum est grauissimum, & aliud leuissimum, propterea si terra est, necesse est ignem esse. Oppositum huius habet in quæst. disp. de malo quæst. 1. art. 1. in 2. argumento, quod etiam Aristot. insinuauit in postprædicamentis de oppositis, vbi affirmat, quod non est necessarium, si alterum contrariorum sit, & reliquum esse: sanis namquè omnibus existentibus, sanitas quidem erit, languor verò non erit: similiter etiam cùm omnes homines albi sint, albedo quidem erit, nigredo verò non erit. Vnde videtur S. Thomas sibi ipsi, & Aristoteli contradicere.

CONCI-

CONCILIATIO.

SED vt clarius habeatur veritas dictorum S. Thomæ, & quod nullo pacto est contradictio in locis supra citatis, sciendum est, quinque conditiones contrariorum esse: quarum prima est, (vt ab hac exordiar) quòd contraria omnia aut sunt in eodem genere, aut in contrarijs generibus, aut ipsa sunt genera contrariorum. Secunda conditio est, quòd contraria habent naturaliter fieri circa idem, scilicet idem subiectum numero, aut specie, aut genere, quod idem est cum eo, quod pluries in Philosophia dicitur, scilicet, quod eadem est materia contrariorum, sicut anima respectu virtutis & vitij: & ex hac conditione excluditur plenum, & vacuum non esse contraria, aut finitum & infinitum, quia non est eadem materia & subiectum ipsorum, quemadmodum albedo, & nigredo, vicissim & successiuè possunt inhærere eidem subiecto. Tertia conditio & proprietas contrariorum est, quod impossibile est, cum alterum contrariorum inest alicui, reliquum quoque illi inesse, hoc est, impossibile est ambo contraria alicui inesse, quia non se compatiuntur simul in eodem: si enim Socrates est sanus, impossibile est ipsum eodem tempore esse languidum, quia languor, & sanitas non possunt simul inhærere alicui. Quarta conditio est, quòd contrariorum alterum semper se habet vt habitus, & vt bonum, alterum verò vt priuatio & malum: hoc docuit Arist. 1. Phys. 44. & 45. contextu. Vltima conditio contrariorum est, quòd si vnum ipsorum est in natura, necessum est reliquum esse; & hanc expressit S. Thomas 2. cœli com 18. vbi probauit terram esse immobilem, ex hoc quòd cœlum semper mouetur sempiterno, & circulari motu; & ex hoc, quod terra est grauis, probauit necessarium esse ignem, quia si datur vnum grauissimum in natura, necesse est dari & aliud leuissimum: quæ conditio contrariorum intelligitur de necessitate Physica, in disputatis autem in quæst. de malo, vbi probauit si datur summum bonum, non est necesse dari summum malum, alia via incessit, sicuti etiam Arist. in postpræd. vbi loquutus est secundùm considerationem Logicam, quæ est secundùm rationem, & simplex & abstracta: differt enim Physicus & Logicus in considerationibus suis, quia Physicus est artifex realis, & considerat res secundùm esse reale, & vt sunt ad perfectionem vniuersi, nam vniuersum ipsum est omnibus modis perfectum: & propterea in contrarijs propriè dictis, sicut sunt formæ positiuæ contrariæ, quia tales sunt ad perfectionem vniuersi, si vnum fuerit, oportet quòd reliquum sit; hæc enim conditio, & proprietas contrariorum verificatur in naturali Phylosophia, quo ad necessitatem Physicam: imò ipsemet S. Thomas volens probare 1. par. q. 50. Angelum esse incorporeum, & non esse corpori vnitum, vsus est etiam hoc medio: Datur substantia intellectualis aliqua corpori vnita, vt est anima nostra; ergo ad perfectionem vniuersi debet dari aliqua substantia intellectualis à corpore separata, & hæc est Angelus. Sed Logicus considerans quantitatem in prædicamento quantitatis, dixit ei nihil esse contrarium, sic etiam & de substantia affirmauit, quod ei nihil est contrarium: sed 5. Physicorum tex. 18. concipiens quantitatem, prout est terminus motus, affirmauit ipsam habere rationem cõtrarietatis: sic etiam loquens 4. cœli de ipsis elementis & in libris de gen. & corrupt. dixit, elementa ipsa esse contraria ad inuicem, non obstante, quod sint substantiæ, quia in istis locis considerauit substantias, prout habent qualitates actiuas & passiuas, puta calidum, frigidum, humidum, & siccum, beneficio quarum elementa ipsa dicuntur contraria ad inuicem, licet sint substantiæ. Ex his ergo apparet Sanctum Thomam nec sibi, nec Aristoteli aduersari, imò 1. par. q. 2. art. 3. affirmauit, quod si vnum contrariorum fuerit infinitum, totaliter destrueret aliud; quæ propositio intelligenda venit, vt exponit Scotus 1. sent. dist. 2. quæst. 1. quando illud contrarium agit de necessitate naturæ, non autem per intellectum, & voluntatem. Vel vt exponit Caietanus, quod tenet de illo contrario, quod communicatur effectibus suis secundùm eandem rationem vniuocam, non autem Analogicam: & propterea non sequitur ex hoc, quòd Deus est summè bonus, ergo nullum malum est in vniuerso, quia Deus non participatur ab vniuerso vniuocè, sed analogicè, vt videre poteris in exposit. 3. art. 2. q. primæ partis.

Quinque conditiones contrariorum sunt.

Logicus & Physicus in considerationibus suis differunt.

nerationis terminus. Non ergo est contradictio aliqua in dictis S. Thomæ, quia ea, quæ dicta sunt ab ipso 2. Phys. intelligenda sunt, quo ad esse, & terminum generationis: quæ verò prima parte scripsit, intelligenda veniunt, quo ad esse ipsius animæ, quæ à Deo benedicto creatur, vt dictum est, &c.

CONTRADICTIO III.

SANCTVS Thomas 3. Phys. lect. 6. circa finem, asserit substantiam, non posse esse infinitam in actu: quia infinitum in actu est quantum, & omne quantum est diuisibile, substantia verò est indiuisibilis, propterea substantia infinitum esse non potest. Oppositum huius scripsit 1. par. q. 7. art. 1. vbi ponit infinitum esse illud, quod est irreceptum ab omni receptiuo, & quia substantia Dei gloriosi est maximè irrecepta, cum sit actus purus, & per se subsistens: hinc sequitur Deum gloriosum esse maximè infinitum: Sed si ex primo dicto S. Thomæ infinitum est diuisibile, & ex 2. dicto habetur, substantiam Dei esse indiuisibilem, quomodo poterunt conciliari, & stare simul hæc duo absque repugnantia?

CONCILIATIO.

Contradictionem istam soluit Sanctus Thomas super vndecimum Metaphys. lect. 10. vbi declarat, quid sit infinitum, & quot modis dicitur infinitum, afferens infinitum propriè esse, quod mensurando pertransiri non potest: tot ergo modis dicitur infinitum, quot modis dicitur impertransibile: vtrumq; autem dicitur quatuor modis: quorũ primus est, secundum quod infinitum, siue impertransibile dicitur, quod non potest transiri mensurando, eo quod non est natum secundum suum genus pertransiri: sicut dicimus punctum, aut vnitatem, aut aliquid, quod non est quantum, & mensurabile esse infinitũ, seu impertransibile, per quem modum vox dicitur inuisibilis, quia non est de genere visibilium. Secundo modo dicitur infinitũ, vel impertransibile, quod nondum est pertransitum, licet inceptum sit. Tertio dicitur illud infinitum, quod est transibile, tamen propter aliquod impedimentum pertransiri non potest: sicuti est profunditas maris, vel altitudo cœli. Quarto dicitur infinitum illud, quod aptum natum est habere transitionem & terminum, secundum suum genus, sed non habet, puta si daretur linea aliqua sine punctis terminantibus, vel superficies infinita, aut corpus infinitum. Dicitur etiam aliquod infinitum in entitate, nempe quod perfectionem in se, ac in sua essentia habet illimitatam, & comprehendit perfectionem totius entis: opposito modo finitum dicitur, quod habet in sua essentia limitatam & contractam perfectionem ad aliquod genus, & sic infinitum in entitate soli Deo conuenit: & alio modo dicitur infinitum negatiuè, id est, quod non habet finem; & ne dum ipse Deus hoc modo est infinitus, sed etiam omnia, quæ in ipso sunt, quia nec ipse aliquo finitur, nec eius essentia, nec sapientia, nec potentia, nec bonitas, vnde omnia in ipso sunt infinita. Et hinc etiam est, quod aliqui distinguunt de infinito, dicendo, quod aliquod infinitum dicitur in vigore, quia habet potentiam operandi infinitam, quæ quidem potentia cum sit actiua, sequitur actum, vnde quantitas potentiæ sequitur quantitatem actus: Vnumquodque enim tantum abundat in virtute agendi, quantum est in actu, sed Deus est actus infinitus: quia actus non finitur nisi dupliciter; Vno modo ex parte agentis, sicut ex voluntate artificis pulchritudo domus recipit quantitatem & terminum: Alio modo ex parte recipientis, sicut calor in lignis terminatur, & quantitatem recipit, secundùm dispositionem lignorum: ipse autem diuinus actus non finitur ex aliquo agente, quia non est ab alio, sed est à se ipso, neq; finitur ex aliquo recipiẽte, quia in eo nulla est passiua potentia admixta, cum sit actus purus, non receptus in aliquo: est enim Deus ipsum esse suum, in nullo receptum, & propterea dicitur infinitus negatiuè: quod ex hoc videri poteris, quia esse hominis est terminatum ad speciem hominis, quia est receptum in natura humanæ speciei, & simile est de esse equi, vel cuiuslibet creaturæ: Esse autem Dei, cum non sit receptum in aliquo, sed sit esse purum, non limitatum ad aliquem modum perfectionis essendi, sed totum esse in se habet: & sicut esse in vniuersali acceptum ad infinita se potest extendere, ita diui-

Actus finitur dupliciter. s. ex parte agentis, & ex parte recipientis.

num

num esse, cum sit totum in se, & ex se, & per se, potest se extendere ad infinitum, & propterea dicitur, quod habet potentiam infinitam in vigore. Datur etiam & alid infinitum, quod vocat infinitum in duratione, & est illud, quod durat tempore infinito, sicut motus, tempus, cœlum; & tale infinitum, vt infinitum est, consideratur à Philosopho naturali, sicuti & aliud infinitum, quod dicitur per indeterminationem ad recipiendum, veluti potentia materiæ primæ, quæ dicitur infinita, id est, indeterminata ad formas, sine limite & termino. Est & infinitum in quantitate, puta continua, vel discreta: quæ si fuerit abstracta à materia sensibili, dicitur infinitum Mathematicum; si verò non fuerit abstracta, dicitur infinitum Physicum: quod potest etiam esse duplex, vel in actu, quod actu habet magnitudinem infinitam, aut multitudinem; vel in potentia. Ex his patet solutio ad formam contradictionis, quia quando dicebat S. Thomas 3. Physic. Infinitum esse diuisibile, loquutus est de infinito quantitatiuo, & priuatiuè, & hoc modo substantia non est infinita: quando verò dicebat in prima parte, infinitum esse irreceptum, loquutus est de infinito negatiuè, & sic substantia Dei est infinita. Et si diceres, Finis neque finitus, neque infinitus est, sed substantia Dei est finis omnium, ergo neque est finita, neque infinita: Respondetur, quod concludit argumentum hoc de infinito priuatiuè, non autem de infinito negatiuè &c. *Infinitū Physicum duplex.*

CONTRADICTIO IIII.

SANCTVS Thomas 4. Phys. lect. 1. in expositione sui textus ait, quod locatum tendit in suum locum desiderio suæ conseruationis: vnde vnumquodque naturaliter fertur in locum suum, quando non impeditur, sicut graue fertur deorsum, & leue sursum. Oppositum huius scripsit lectione 7. in expositione 46. text. eiusdem libri, vbi asserit, cœlum esse locum ignis, & ignem locum aeris, & aerem locum aquæ, & aquam locum terræ: sed terra non naturaliter, & desiderio suæ conseruationis fertur in aquam, nec aqua in aerem, quia tunc graue naturaliter ascenderet sursum. Quomodo ergo stant ista duo simul, locatum naturaliter ferri ad locum, & terram non naturaliter, sed potius violenter tendi ad aquam suum locum, quia naturaliter potius tendit ad centrum, quod est inferius, non autem ad aquam, quæ est superior terra.

CONCILIATIO.

HÆc contradictio dissoluenda venit ex dictis S. Thomæ, vt nullus alius Doctor loquatur in contradictionibus istis, nisi ipsemet Doctor Angelicus, & alterum eius dictum dubium, per alterum declaretur & intelligatur. Ipse enim in Opusculo de natura loci, quod est Opusculum secundum, narrat diuersas sententias & opiniones de loco, dum aliqui dicebant, locum esse spatium, propterea, quia locus debet esse æqualis locato, & hoc spatium non substantiam: sed solam quantitatem & dimensiones existimabant. Aliqui verò affirmabant vtique locum esse spatium, sed illud spatium non erat reale, sed vacuum quoddam, cuius esse est carentia corporis, ita vt repleri possit. Aliqui autem affirmabant, spatium illud non esse quid distinctum à corpore, quod est inter extrema, vt spatium vasis interius non est aliud quam ipse aer, cum plenum est aere, aut aqua cum plenum est aqua, aut quodnis aliud corpus, quod illic est. Aliqui dicebant, locum esse materiam. Aliqui formam. Aliqui superficiem: & quia in superficie duo sunt, alterum ipsamet superficies, & hoc est subiectum loci, alterum verò est virtus conseruatiua, & hoc est ipsius formæ, ita quod tota natura loci, sit ista virtus, superficies enim subiectum est non de natura eius: & propterea aliqui reponunt locum in secunda specie qualitatis. Nonnulli verò distinguunt de luco dicendo, quod dupliciter proferre sermonem possumus de eo: Vno modo materialiter, & sic locus est superficies; Alio modo formaliter, & sic est relatio quædam: hæc autem relatio alia est continentiæ, qua locatum continet; & alia est relatio distantiæ, quam habet vt sit immobilis. Multi verò dicunt, locum esse in prædicamento Vbi, quia illa, quorum sunt eædem species, sunt idem genus, sed locus & vbi habent easdem species, puta sursum & deorsum, ergo sunt idem genus: & propterea dum quæritur de locato vbi est? puta ignis; Respondetur quod est *Diuersa Philosophorū opinio de natura loci.*

sursum: & vbi est terra? respondetur, quod sit deorsum. Patet ergo quomodo locus in prædicamento, vbi assignari debet. Hinc etiam est, quod loquendo de immobilitate eius, dicunt locum esse mobilem, non quidem per se, sed per accidens ad motum subiecti: immobilis autem dupliciter intelligi poterit; Vno modo, quia ad motum corporis, quod in loco est, non necessariò mouetur, sed manet locus recedente corpore; Altero etiam modo, quod non mouetur illo motu, quo mouetur corpus ad ipsum locum: non enim est veluti albedo, quæ mouetur aliquo modo motu tendentis ad albedinē; non sic autē locus, sed ipse manet, corpus est illud, quod mouetur ad ipsum, & non locus versus locatum. Sed S. Thomas addit postpositis omnibus his, quòd locus est superficies corporis continentis, & immobilis, non solum motu locati, sed etiam motu continentis: vnde si sit nauis in aqua fluuij, quæ mouetur, magis vtitur ea tanquam vase, quam sicut loco continente, propterea quod vnitas loci accipiēda est secundum ordinem, & situm ad primum locans, quia locus ipse non solum est continens, sed est continens & conseruans; nihil autem habet rationem conseruantis alium, nisi per virtutem, & influentiam corporis cœlestis, quam recipit, secundum quod est in determinato situ, & in determinata distantia: & hæc est causa, quare aliquid habet rationem loci per comparationem ad primum locans. Quia verò locus immobilis est, propter hoc medium cœli, quod est centrum, & vltima superficies corporis circularis, quæ est cœlum, sic se habent, quod hoc dicitur sursum, illud verò deorsum: quæ sunt duæ differentiæ loci, hæc autem minimè manent immobilia, centrum semper est immobile, cœlum autem licet semper moueatur, tamen semper est in eadem distantia quo ad nos; & secundum istam relationem locus semper dicitur immobilis: quia licet baculus existens in fluuio semper moueatur, & sic nauis in mari, tamen semper remanet idem ordo, situs, relatio totius fluuij ad centrum, & ad cœlum: & sic etiam mare. Et propterea locus dicitur immobilis, & superficies continentis, & licet motus locati non sit ad ipsam superficiem locantis propter superficiem, sed propter virtutem cōseruatiuam & formatiuam locati; & ideo cum virtus formatiua terræ sit frigiditas, quæ causatur ex tanta distantia ad primum calefaciens, quod est cœlum, & inchoatio huius virtutis est in concauo aquæ, perfectio autem eius est in centro, ideo terra mouetur ad centrum, & non ad superficiem aquæ: & inde est, quod terra est simpliciter grauis, virtus autem formatiua ignis est caliditas perfecta, quæ est completa in concauo orbis lunæ, propter quod ignis est simpliciter leuis. Ex his ergo soluitur contradictio, quod locatum tendit ad locum suum naturaliter, ratione virtutis conseruatiuæ, & sic terra ad centrum, non autem ratione superficiei continentis, & propterea non naturaliter fertur ad superficiem aquæ, quia aqua est locus continens tantum terram, & non conseruans: ac si dicamus, quod locus est duplex, vel vt conseruans, vel vt continens. Patet ergo nullam esse contradictionem, neque apparentem, in dictis S. Thomæ, circa istam materiam &c.

CONTRADICTIO V.

SANCTVS Thomas 5. Phys. lect. 7. dicit, tria requiri ad continuationem motus, quorum primum est vnitas speciei, secundum est vnitas subiecti, tertium est vnitas temporis. Hæc tria prædicta requiruntur, vt sit motus continuus simpliciter. Oppositum huius scripsit 1. p. q. 53. art. 1. & 2. vbi loquens de motu continuo & discreto Angelorum, vult ad continuationem motus requiri etiam continuitatem magnitudinis: quod expressit primo sententiarum clarius, dist. 37. q. 4. art. 2. & quol. 1. q. 3. art. 2.

CONCILIATIO.

PRo solutione huius contradictionis sciendum est illud, quod tangit Arist. 5. Phys. tex. 23. quod maximè facit ad cognitionem huius, hoc autem est scire ea, quæ sunt simul secundum locum, & sunt illa, quæ dicuntur esse in eodem loco proprio, ad differentiam eorum, quæ sunt sunt in eodem loco communi, puta in cœlo. Separata secundum locum illa dicuntur, quæ existunt in diuersis locis, vt duæ aquæ existentes in duobus ciatis. Tangere verò illa dicuntur, quorum extrema sunt simul, vt duo la-

pides

pides se tangunt, quorum superficies simul inhærent. Medium illud dicitur, in quod
prius peruenit mobile, quod mouetur motu continuo, quàm ad extremum, vt si lapis mo-
ueatur à cęlo ad terram, prius peruenit ad mediam regionem aeris, quàm ad superficiem
terræ. Continuum verò illud dicitur, cuius extrema sunt vnum, vel cuius partes coniun-
guntur ad vnum terminum communem quod est principium, & finis illarum partium, vt
linea, cuius partes copulantur ad punctum. Secundo sciendum est, quod aliquis motus
dicitur vnus genere generalissimo, vt est ille, qui terminatur ad rem vnius prædicamen-
ti, & sic omnes alterationes sunt vnus motus, & omnia augmenta & decrementa sunt
vnus motus ratione quantitatis. Secundò aliquis motus dicitur vnus specie subalterna, 2
quia terminatur ad speciem subalternam, & sic omnis coloratio est vnus motus. Tertiò 3
dicitur aliquis motus, vnus, qui terminatur ad vnam speciem specialissimam, vt omnes
dealbationes ad albedinem, & denigrationes ad nigredinem. Quartò dicitur motus vnus 4
numero, qui terminatur ad rem vnam numero; Vt hæc sanatio dicitur vnus motus nu-
mero, quia ad vnam rem, puta hanc sanitatem, quæ est in Socrate, terminatur. Et ex his
ostendit Arist. 5. Phys. tex. 40. quod ad vnum motum numero simpliciter requiruntur tria,
scilicet mobile, quod mouetur, ad quod, quod dicitur esse terminus ipsius motus, & in
quo, quod dicitur esse tempus, in quo fit motus. Et tota difficultas, & dubitatio solet esse
respectu subiecti, quia quando descendit aliquod animal à media regione aeris, incessan-
ter, & in media via, posito quod moriatur, tunc est difficultas: An hic motus sit vnus &
continuus? quod non sit vnus, & continuus patet, quia non est idem mobile, nam primo
erat animal viuum, & deinde effectum est mortuum, sed viuum, & mortuum differunt spe-
cie, vt animatum & inanimatum, & similiter etiam quando descendit gutta aquæ, & cadit
per aerem, & in medio fit grando & lapis, cum ibi non sit identitas mobilis, videtur
etiam, quod neque est vnitas, & continuitas motus. Sic etiam est difficultas de motu, qui
fit in chorda, quia videtur, quod sit discontinuus, & sic de motu pulsantis chordam, & de
baculo, cuius medietas est viridis, & alia medietas est sicca: de omnibus istis est difficul-
tas respectu subiecti. Ad quæ omnia, si de vigore sermonis respondere velimus, dicere
possumus, motus istorum subiectorum non esse continuos, quia non sunt eadem numero
subiecta, licet aliqui dicant hoc contradicere sensui & rationi: tamen decipiuntur sicut i
& sensus multoties decipi possunt per accidens, vt scripsit Themistius 2. de anima, & hoc
vel ratione distantiæ, vel ratione dispositionis organi, vel ratione medij. Sed ratio potius
suffragatur nobis in hac parte, quandoquidem si verùm est, quòd ad continuitatem mo-
tus requiritur vnitas & continuitas mobilis, & in exemplis supra adductis non est con-
tinuitas mobilis, manifestum est, quod ratio naturalis dictat, motus illos non esse conti-
nuos: propterea optimè S. Thomas 5. Phys. declarauit continuitatem, & vnitatem motus
debere illa tria habere, quod, ad quod, & in quo, & hoc loquendo de vnitate intrinseca,
& formali, non autem de vnitate, & continuitate extrinseca, quia ad hanc continuitatem
extrinsecam plura alia requiruntur, inter quæ dicitur esse magnitudo, de qua ipse S. Tho-
mas loquutus fuerat prima parte. Et sic nulla interuenit contradictio, dum in vno loco
loquitur de continuitate & vnitate intrinseca, & in alio de vnitate & continuitate ex-
trinseca.

Nota. Aliquum motum esse vnũ dicitur primo quadrupliciter.

CONTRADICTIO VI.

SANCTVS Thomas 6. Phys. lect. 12. in expositione 86. tex. loquens contra Democritum ponẽtem Athomos per se mobiles, dicit impartibile, seu indiuisibile nullo modo moueri, quia omne quod mouetur, aut mouetur quando est in termino, à quo, aut quando est in termino ad quem, aut quando partim est in vno, & partim in alio: non primùm, quia tũc incipit motus; non secundùm, quia tunc completus est motus & termi natus, ergo tertio modo, & sic illud, quod mouetur non erit impartibile, sed diuisibile & partibile. Oppositum huius docuit ipse S. Thomas prima par. q. 53. art. 1. & 1. sent. distin. 17. q. 4. art. 2. & in opuscul. 15. cap. 18. & super Matth. in exposit. 1. capitis.

CONCILIATIO.

CLarum est, & indubitatum apud Theologos, Angelos moueri, similiter & animas separatas: quia est articulus fidei, dicere animam beatam localiter moueri, quandoquidem Christus Dominus noster, in triduo mortis suæ, secundum animam descendit ad inferos, propterea indubitanter tenendum est, tam Angelos; quam animas separatas moueri localiter: vnde opus est, quod motus corporis secundum locum commensuretur loco, & fit secundum exigentiam eius, & inde est, quod secundum continuitatem magnitudinis est continuitas motus, & secundum prius & posterius in magnitudine, est prius, & posterius in motu locali corporis, sed Angelus non est in loco, vt commensuratus & contentus, sed magis vt continens, ob hoc motus Angeli in loco non oportet, quòd commensuretur loco, nec quod fit secundum exigentiam eius, vt habeat continuitatem ex loco, sed est motus non continuus: & quoniam Angelus non est in loco, nisi secundum contactum virtutis, necesse est quod motus Angeli in loco nil aliud fit, quàm diuersi contactus diuersorum locorum successiuè, & non simul: quia Angelus non potest esse simul in pluribus locis. Huiusmodi autem contactus non est necessarium esse continuos, potest enim in huiusmodi contactibus continuitas quædam inueniri; vnde nihil prohibet Angelo assignare locum diuisibilem per contactum suæ virtutis, sicut corpori assignatur locus diuisibilis per contactum suæ magnitudinis. & propterea sicut corpus successiuè, & non simul dimittit locum, in quo prius erat, & ex hoc causatur continuitas in motu locali eius, ita etiam Angelus potest dimittere successiuè locum diuisibilem, in quo prius erat, & sic motus eius erit continuus, & potest etiam totum locum simul dimittere, & toti alteri loco simul se applicare, & sic motus eius erit non continuus; sed discretus. Patet ergo, quomodo Angelus mouetur, & quo motu: & sic etiam applicari potest hic modus loquendi ad animas separatas, quæ sunt indiuisibilia existentia extra totum genus continui, quia sunt substantiæ incorporeæ, & applicant suam virtutem rebus diuisibilibus. Datur etiam & aliquod indiuisibile, seu partibile, quod est terminus continui, vt punctus in permanentibus, & momentum in successiuis, huiusmodi indiuisibile in permanentibus, quia habet determinatum situm, non potest esse in pluribus partibus loci, vel in pluribus locis, & similiter indiuisibile actionis vel motus, quia habet determinatum ordinem in motu, vel actione, & non potest esse in pluribus partibus temporis. Hæc talia impartibilia non possunt moueri, nisi per accidens, vnde punctum mouetur in toto corpore, vel in quacunque alia magnitudine, in qua reperitur scilicet linea, vel superficies: & quia moueri per accidens ad motum alterius contingit dupliciter; Vno modo, quando id quod mouetur ad motum alterius non est aliqua pars eius, sicut illud quod est in naui mouetur ad motum nauis. Alio modo sicut albedo ad motum corporis in quo est subiectiue, tamen non est eius pars: Impartibile quoque potest dici dupliciter, vno modo secundum speciem, vt ignis & aer dicuntur corpora impartibilia, quia non possunt resolui in plura corpora specie diuersa, & tale impartibile nihil prohibet moueri: Aliud est impartibile secundùm quantitatem, vt dictum est, & tale mouetur per accidens, non tanquam pars eius, quod mouetur, sed sicut terminus in terminato: Vnde nulla est contradictio in præsenti negotio, quia in prima parte S. Thomas locutus est de impartibili secundum substantiam, in 6. auth. Phys. de impartibili secundum quantitatem, quod mouetur per accidens. Sed contra quia poli mundi sunt impartibiles secundum quantitatem, sed tamen sunt immobiles, vt docet Sanctus Thomas 2. Cœli lect. 3. Nisi dicamus, quod illa immobilitas polorum est potius ad imaginationem Mathematicorum intelligenda, quia ipsi mathematici abstrahunt à motu, sed naturaliter loquendo etiam ipsi poli mouentur per accidens ad motum orbis in quo sunt &c.

Moueri ad motum alterius contingit dupliciter.

CONTRA-

CONTRADICTIO VII.

SANCTUS Thomas 7. Phyſ. lect. 7. in expoſitione 31. tex. dicit, quod ea, quæ ſunt vnius ordinis ſunt comparabilia, non autem illa, quæ ſunt diuerſorum ordinum. Oppoſitum huius voluit 1. par. q. 6. arc. 2. reſpondendo ad tertium argumentum, vbi ponit Deum, & creaturas eſſe comparabilia ad inuicem, quia ſummam importae comparationem quandam, & Deus reſpectu creaturarum dicitur ſummum bonum, & tamen Deus ipſe, & creaturæ ſunt diuerſorum ordinum, vt ſcripſit ipſemet S. Thomas 1. par. q. 3. art. 5. & 1. cont. gent. cap. 17. & de potent. Dei q. 7. art. 3. & opuſc. 3. capit. 12.

CONCILIATIO.

NIſi eſſet, quod comparatio multis modis dici poteſt, datur enim aliqua comparatio, quæ vocatur comparatio communis, & eſt quando illud prædicatum, in quo aliqua duo comparantur, conuenit vtrique ſecundùm vnam rationem, ſaltem analogam, vt ſubſtantia eſt perfectior accidente; nam perfectum prædicatur de ſubſtantia & de accidente, ſicut ens, quod quidem prædicatur analogicè de prædicamentis, & de ſubſtantia & accidente, vnde dici poteſt, quod eſt melior, & ſapientior creaturis omnibus, in hac loquutione eſt comparatio communis, quia bonitas & ſapientia prædicantur analogicè de Deo, & creaturis, quippe quæ creaturæ non dicuntur bonæ, niſi in ordine ad Deum, qui eſt ens, & bonum per ſuam eſſentiam: alia verò dicuntur entia & bona in quantùm participant ipſum per modū cuiuſdam aſſimilationis, licet remotè & deficienter, veluti à principio primo exemplari effectiuo, & finali totius bonitatis: quamquam vnaquæque creatura, dicatur etiam bona ſimilitudine diuinæ bonitatis ſibi inhærente, quæ eſt formaliter ſua bonitas denominans ipſam. Datur & comparatio, quæ dicitur propria, & eſt quando extrema comparabilia ſunt eiuſdem generis, vel ſpeciei ſpecialiſſimæ; prædicatum autem, in quo comparantur eſt ſemper ſpecies ſpecialiſſima. Exemplum primi; Coruus eſt nigrior columbo, coruus & columbus ſunt eiuſdem generis, quia continentur ſub animali: nigredo autem eſt ſpecies ſpecialiſſima, in qua comparantur: Exemplum ſecundi: Plato eſt albior Socrate. Comparatio verò proprijſſima eſt, quando prædicatum, in quo extrema prædicantur, eſt ſemper ſpecies ſpecialiſſima, & extrema comparabilia, ſemper ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ, vt Plato eſt albior Socrate, & de hac loquutus eſt S. Tho. 7. Phyſ. quæ quidem comparatio requirit primò, vt prædicatum, in quo fit comparatio prædicetur de vtroque extremo comparabili vniuocè, & non æquiuocè: Propterea hæc comparatio nùlla eſt, vox Socratis eſt acutior acu vel gladio, nam acutum eſt æquiuocum, quia vt prædicatur de voce, non prædicatur de acu, non enim dicitur acuta, quia fortiter penetrat auditum: acus verò dicitur acuta, quia fortiter penetrat tactum, vel corpus denſum. Secundò, comparatio iſta proprijſſimè, debet habere prædicatum, in quo fit comparatio, vt ſit ſuſceptibile in vtroque extremo comparabili, & eodem modo, & hinc eſt quod comparatio iſta, in qua dicitur, Plato eſt albior Socrate, iſta eſt bona comparatio, quia albedo recipitur in vtroque, in quantum habent ſuperficiem, quæ eſt immediatum ſubiectum coloris: & iſta alia comparatio non valet, Vox Socratis eſt maior Socrate, quia magnitudo recipitur in Socrate, prout eſt ſubſtantia, in voce verò recipitur magnitudo, prout vox eſt ſonus fortiter immutans auditum. Tertiò requiritur vt prædicatum, in quo fit comparatio, ſit ſpecies ſpecialiſſima, & ſimiliter extrema comparabilia: & propterea iſta comparatio non eſt proprijſſima, Plato eſt ſapientior vel Doctior Socrate, quoniam doctrina eſt genus, cuius ſpecies ſunt doctrina logicalis, phyſicalis, doctrina geometricalis, & doctrina Theologalis: ſed iſta eſt proprijſſima comparatio dicendo; Plato eſt magis Geometra, quàm Socrates, quoniam Geometria, in qua conueniunt eſt ſpecies ſpecialiſſima, & extrema comparabilia ſunt eiuſdem ſpeciei, ſcilicet, Plato & Socrates: & ſimiliter hæc non eſt proprijſſima; equus eſt pulchrior aſino, quoniam pulchritudo non eſt ſpecies ſpecialiſſima, nec equus & aſinus ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Patet ergo, quomodo ex diſtinctione comparationum nulla interuenit contradictio in dictis S. Thomæ, quia ea, quæ non ſunt in eodem genere,

Comparatio multis modis ſumitur.

Comparatio proprijſſima requirit tria

sed in diuersis generibus contenta nullo modo comparabilia sunt; Deus autem neque est in eodem genere, neque in diuerso genere cum ipsis creaturis, sed dicitur esse extra omne genus, cum sit principium cuiuscunque generis, & si comparatur ad alia, est comparatio per excessum, quam comparationem importat summum bonum, & summum ens, & summum sapiens, & cætera talia prædicata.

CONTRADICTIO VIII.

SANCTVS Thomas 8. lib. Phys. lect. 2. in expositione 10. tex. dicit, quod omnes Philosophi, præter vnum, idest, Platonem concorditer videntur sentire de tempore, quòd sit ingenitum, vt ipsemet Arist. fatetur in eodem contextu, dicens; Solus Plato genuit tempus, quæ verba exponens S. Thomas asserit, id est, Plato dixit, tempus simul factum esse cum cœlo. Oppositum huius scripsit 12. Metaphys. lect. 5. in exposit. 30. tex. vbi dicit, quod Leucyppus socius Democriti, & Plato dixerũt semper fuisse; sed tempus de mente S. Thomæ aut est idem quod motus, aut passio eius, ita quod non distinguitur tempus & motus: valet ergo, si tempus est genitum, ergo & motus erit genitus; & si motus est æternus, ergo & tempus erit æternum, quia aut sunt idem, aut se habent, vt subiectũ, & passio scilicet transcendens, vt aliàs docuimus, quæ passio transcendens identificatur cum subiecto. Apparet ergo euidens contradictio in his duobus locis.

CONCILIATIO.

Tres antiquissimas Phylosophorum sententiæ de generatione mũdi.

NIsi dicamus, vt ipsemet S. Thomas scripsit 1. lib. de cœlo & mundo lect. 22. in expositione tex. 102. quod de generatione mundi fuerunt tres antiquissimæ sententiæ Phylosophorum: Quidam enim dixerunt mundum ipsum incæpisse ab aliquo principio temporis, tamen in sempiternum durabit, sicuti primo dixerunt quidam poetæ, vt Orpheus, & Isidorus, qui dicti sunt Theologi, quia res diuinas poeticè & fabulariter ediderunt, quos in hac positione sequutus est Plato, qui posuit mundum generatum, sed indissolubilem. Secunda sententia fuit ipsius Democriti, ponentis mundum corruptibilem esse, eo modo, quo quodlibet aliud generatorum, quæ constituuntur ex multis, ita scilicet, quod mundus post corruptionem nunquam reparatur per naturam, quia posuit mundum generari casu, per concursum athomorum semper mobilium, & ita per eorum segregationem quandoque esse dissoluendum. Tertia fuit sententia, dicentium, quod mundus quandoque vicissim generatur, & quandoque corrumpitur, & ista vicissitudo semper durauit, & durabit, & hoc dixit Empedocles Agrigentinus: posuit enim quod amicitia congregante elementa, & lite dissoluente ea, mundus generabatur & corrumpebatur: hoc etiam posuit Eraclitus, Ephesius, qui posuit quod quandoque totus mundus exuretur per ignem, & post certos decursus temporum totus mundus generaretur per ignem, quem ponebat esse principium omnium rerum, & quia poetæ illi, & præcipuè Plato, volebant, sapientiam ipsorum quibusdam fabulis, & ænigmaticis locutionibus occultare, & quod consuetudo Arist. fuit in pluribus non obijcere contra intellectum eorum, qui erat sanus, sed contra verba eorum, ne aliquis in tali modo loquendi errorem incurreret: & hoc modo exponit Simplicius in primo de cœlo & mundo: vnde volunt, Platonem non dissentire in sensu ab Arist. quia quemadmodum Arist. posuit mundum æternum, & motum, & tempus, esse etiam æterna; ita etiam Plato posuit: & quando dixit, aliquando Plato tempus generari, & motum generari, & mundum generari, loquutus est de partibus ipsius mundi, non autem de toto mundo: & sic non est vera controuersia & discordia inter Platonem & Arist. de generatione mundi. Verùm quia S. Thomas 2. lib. sent. dist. 1. q. 1. art. 5. vbi ex professo disputat, vtrum mundus sit æternus? & latius narrat easdem opiniones, soluendo Arist. quæ sunt contra æternitatem mundi: & dicit rationes ipsas, quas adducit Philosophus, non esse demonstratiuas, sed probabiles, vel sophisticas rationes. Econtra antiquos ponentes diuersos modos, quibus mundus incæperat, alio modo est dissoluenda præsens contradictio, sequendo expositionem Alexandri, qui vult Aristot. arguere, non solum contra verba, sed contra intellectum verborum ipsorum antiquorum Philosophorum, vnde 12. Metaphys. S. Thomas lect. 5. asserit Platonem posuisse in ele-

in elementis, quæ dicebat ante constitutionem mundi, mota fuisse motibus inordinatis, sed postea à Deo fuisse ea reducta ad ordinem motum, & inordinatum quēdam: vnde laudat Arist. Platonem quantùm ad hoc, quod dixit in elementis fuisse motum istum æternum, sed reprehendit in hoc, quia non explicauit, quis motus fuerit iste sempiternus inordinatus, nec etiam assignauit causam huius motus æterni & inordinati, & tamen nihil mouetur sine aliqua certa causa, semper enim oportet præexistere aliquid, quod sit causa motus, & hoc vel causa naturalis vel voluntaria: & propterea quoad vnum laudatur Plato, & quoad aliud reprehenditur: laudatur quo ad hoc, quod posuit motum æternum in ipsis elementis: reprehenditur postmodum, quia non declarauit, quis fuerit ille motus, & quæ causa eius. Ex quibus de facili soluitur contradictio secundùm istam viam, quia quādo dixit S. Tho. 8. Phys. quod Plato posuit tempus esse genitum, & simul factum cùm cœlo, loquutus est de generatione ipsius temporis ordinati, quia Deus benedictus deduxit mundum, & tempus, & motum ad ordinem, sicuti in præsenti videmus: quando verò 12. Metaphys. asseruit, Platonem posuisse motum, & mundum, loquutus est de motu inordinato, qui reperiebatur in ipsis elementis ante ordinationem mundi. Hæc quo ad contradictionem. Quid autem rei veritatis sit, docuit S. Th. 2. sent. mundum esse à Deo factum, vt Moyses prophetizauit de præterito &c.

Deus deduxit mundum vel ordinem.

CONTRADICTIONES D. THOMAE

IN LIBROS DE COELO.

CONTRADICTIO PRIMA.

SANCTVS Thomas primo cœli lect. 6. improbat Auerroem, tenentem corpus cœleste habere materiam, non ad esse, sed ad vbi, quia scilicet non est subiecta transmutationi, quæ est secundùm esse, sed ei, quæ est secundùm vbi: vnde magna digressione digreditur, & contra Ioannem Grammaticum, & contra Auerroem lect. illa 6. in exposit. 19. tex. Quod confirmauit adhuc 1. par. q. 66. art. 2. dicens: nec tamen dicendum est, vt finxit Auerroes, ipsum corpus cœleste esse materiam cœli in potentia ad vbi, & non ad esse, quod quidem est impossibile &c. Oppositum huius scripsit 2. sent. dist. 1. q. 1. art. 5. in respons. ad 8. argumentum secundæ classis, vbi expresse approbat opinionem Auerrois, quam repulit primo cœli, & prima parte. Et quod sit verum, ecce verba sua formalia: Ad octauum dicendum, quod in cœlo non est potentia ad esse, sed ad vbi tantum secundùm Philosophum: & post pauca, subdit rationem Auerrois 12. Metaphys. com. 44. Et hæc contradictio est tanti momenti, quod solertissimus Franciscus Storella in contradictionibus suis dicit, sui autem, vt videtur, oblitus est S. Tho. si de tanto viro hæc dicere licet, & reliquit contradictionem insolutam.

CONCILIATIO.

PRopterea, vt de medio tollamus contradictionem istam, sciendum est, quod diuersimode antiqui Philosophi loquuti sunt de materia cœli: vnde aliqui dixerunt in cœlo esse materiam eiusdem rationis cum istis inferioribus; non solùm vt materia accipitur, vt est obiectum formæ, sed etiam prout est subiectum transmutationis: vnde dicebant, quod cœlum est de natura quatuor elementorum, ita quod communicat cum istis inferioribus in qualitatibus actiuis & passiuis; & hæc fuit opinio Platonis, qui posuit cœlum esse igneum, & moueri motu circulari, quia propter defectum loci, quo vltra ascendere non potest reflectitur, sicut flamma reflectitur in fumo. Quidam discipuli ipsius Platonis dixerunt, quod cœlum est corpus mixtum ex elementis, & tamen non corrumpitur, cuius causam volebant esse diuinam voluntatem, quæ præseruabat cœlum ipsum à corruptione: Et hanc opinionem narrat S. Tho. 1. par. q. 50. art. 5. in 2. argumento, vbi portat verba Platonis in Thymæo, ô Dij Deorum, quorum opifex idem paterque ego,

CONCILIATIO.

Quinque conditiones contrariorum sunt.

SED vt clarius habeatur veritas dictorum S. Thomæ, & quod nullo pacto est contradictio in locis supra citatis, sciendum est, quinque conditiones contrariorum esse: quarum prima est, (vt ab hac exordiar) quòd contraria omnia aut sunt in eodem genere, aut in contrarijs generibus, aut ipsa sunt genera contrariorum. Secunda conditio est, quòd contraria habent naturaliter fieri circa idem, scilicet idem subiectum numero, aut specie, aut genere, quod idem est cum eo, quod pluries in Philosophia dicitur, scilicet, quod eadem est materia contrariorum, sicut anima respectu virtutis & vitij: & ex hac conditione excluditur plenum, & vacuum non esse contraria, aut finitum & infinitum, quia non est eadem materia & subiectum ipsorum, quemadmodum albedo, & nigredo, vicissim & successiuè possunt inhærere eidem subiecto. Tertia conditio & proprietas contrariorum est, quod impossibile est, cum alterum contrariorum inest alicui, reliquum quoque illi inesse, hoc est, impossibile est ambo contraria alicui inesse, quia non se compatiuntur simul in eodem: si enim Socrates est sanus, impossibile est ipsum eodem tempore esse languidum, quia languor, & sanitas non possunt simul inhærere alicui. Quarta conditio est, quòd contrariorum alterum semper se habet vt habitus, & vt bonum, alterum verò vt priuatio & malum: hoc docuit Arist. 1. Phys. 44. & 45. contextu. Vltima conditio contrariorum est, quòd si vnum ipsorum est in natura, necessum est reliquum esse; & hanc expressit S. Thomas 2. cœli com. 18. vbi probauit terram esse immobilem, ex hoc quòd cœlum semper mouetur sempiterno, & circulari motu; & ex hoc, quod terra est grauis, probauit necessarium esse ignem, quia si datur vnum grauissimum in natura, necesse est dari & aliud leuissimum: quæ conditio contrariorum intelligitur de necessitate Physica, in disputatis autem in quæst. de malo, vbi probauit si datur summum bonum, non est necesse dari summum malum, alia via incessit, sicuti etiam Arist. in postpræd. vbi loquutus est secundùm considerationem Logicam, quæ est secundùm rationem, & simplex & abstracta: differt enim Physicus & Logicus in considerationibus suis, quia Physicus est artifex realis, & considerat res secundùm esse reale, & vt sunt ad perfectiorem vniuersi, nam vniuersum ipsum est omnibus modis perfectum: & propterea in contrarijs propriè dictis, sicut sunt formæ positiuæ contrariæ, quia tales sunt ad perfectionem vniuersi, si vnum fuerit, oportet quòd reliquum sit; hæc enim conditio, & proprietas contrariorum verificatur in naturali Phylosophia, quo ad necessitatem Physicam: imò ipsemet S. Thomas volens probare 1. par. q. 50. Angelum esse incorporeum, & non esse corpori vnitum, vsus est etiam hoc medio: Datur substantia intellectualis aliqua corpori vnita, vt est anima nostra; ergo ad perfectionem vniuersi debet dari aliqua substantia intellectualis à corpore separata: & hæc est Angelus. Sed Logicus considerans quantitatem in prædicamento quantitatis, dixit ei nihil esse contrarium, sic etiam & de substantia affirmauit, quod ei nihil est contrarium: sed 5. Physicorum tex. 18. concipiens quantitatem, prout est terminus motus, affirmauit ipsam habere rationem cõtrarietatis: sic etiam loquens 3. cœli de ipsis elementis & in libris de gen. & corrupt. dixit, elementa ipsa esse contraria ad inuicem, non obstante, quod sint substantiæ, quia in istis locis considerauit substantias, prout habent qualitates actiuas & passiuas, puta calidum, frigidum, humidum, & siccum, beneficio quarum elementa ipsa dicuntur contraria ad inuicem, licet sint substantiæ. Ex his ergo apparet Sanctum Thomam nec sibi, nec Aristoteli aduersari, imò 1. par. q. 2. art. 3. affirmauit, quod si vnum contrariorum fuerit infinitum, totaliter destrueret aliud: quæ propositio intelligenda venit, vt exponit Scotus 1. sent. dist. 2. quæst. 1. quando illud contrarium agit de necessitate naturæ, non autem per intellectum, & voluntatem: Vel vt exponit Caietanus, quod tenet de illo contrario, quod communicatur effectibus suis secundùm eandem rationem vniuocam, non autem Analogicam: & propterea non sequitur ex hoc, quòd Deus est summè bonus, ergo nullum malum est in vniuerso, quia Deus non participatur ab vniuerso vniuocè, sed analogicè, vt videre poteris in exposit. 3. art. 2. q. primæ partis.

Logicus & Physicus in considerationibus suis differunt.

CONTRADICTIONES D. THOMAE

IN ANIMAM.

CONTRADICTIO PRIMA.

SANCTVS Thomas lib. 1. de Anima lect. 1. exponens verba Arist. tex. 2. de vtilitate scientiæ de Anima, inquit, quod ad omnes partes Philosophiæ insignea dat occasiones: quia si ad Philosophiam primam attendamus, non possumus deuenire in cognitionem diuinarum, & altissimarum causarum, nisi per ea quæ ex virtute intellectus possibilis acquirimus: si enim natura intellectus possibilis esset nobis ignota, non possemus scire ordinem substantiarum separatarum: ex quibus vult, quod scientia de Anima est principium quoddam ad cognoscendum substantias separatas. Oppositum habet lib. 2. Metaphys. lect. 1. explicans Philosophum quando cognoscentis veritatis ex parte rei, vel intellectus cognoscentis difficultas consurgit, post explicatum modum essendi, & cognoscendi animæ humanæ prout secundùm naturam est actus corporis, & in cognoscendo obiectiuè expendat à corpore abstrahendo, eadem dicit, quod ex improportione substantiarum immaterialium respectu substantiarum sensibilium, impossibile est, quod Anima humana vnita corpori, apprehendat substantias separatas, vbi per apprehendere videtur excludere adhuc cognitionem imperfectam (& vt communiter dicitur) cognitionem, in qua cognoscitur quidditas, siquidem à sensibilibus tantùm huiusmodi animæ cognitio pro statu vnionis abstractum est.

CONCILIATIO.

HAnc contradictionem soluentes quidquid cum aduersarijs extra scholam Thomisticam esset disputandum; (& fortè in sensu Scotus à D. Thoma non dissentit, vt sentiunt aliqui Thomistæ) præmitto, quod de Anima pro statu vnionis controuertitur, & vt sic vera est doctrina, quam D. Tho. tradit lib. 2. Metaph. vbi supra, impossibile esse, quod Anima humana pro statu vnionis apprehendat substantias separatas immediatè per proprias species, tum cognitione quiditatiua & perfecta, tum verò cognitione imperfecta, & apprehensiua: quia naturalia semper manent, & anima humana, quæ vnanimum intellectiuæ virtutis gradum participat, cùm sit actus corporis & vt, sic connaturale est ei vt per abstractionē à sensibilibus cognoscat: (Subticentes modo quidquid pro statu separationis ei conuenit vel in statu beatifico; Neque quid Philosophi pro suo arbitratu quisque contenderit) Cæterùm quoad cognitionem qualitercumquè, seu cognitione abstractiua, non autem per propria phantasmata, aut species, potest anima nostra cognoscere substantias immateriales, & earum ordinem per seipsam magis quàm ex abstractione sensibilium, vt dicitur lib. 1. de Anima, & vt sic scientia de Anima est principium quoddam ad cognoscendum substantias separatas, pro statu præsentis vitæ non secùndùm seipsas, & quidditatiua seu perfecta cognitione, vt docet D. Th. 1. par. q. 88. art. 1. sed quo ad aliqualem cognitionem, eo quod similitudo seu propria species obiecti immaterialis, cùm defectiua virtute cognitiua intellectus humani naturam intellectualem in infimo gradu participantis, ad immediatam & propriam rei notitiam requisita, eidem intellectui imbibi pro tali statu nequeat, oportet enim vt sic intelligentem phantasmata speculari. Multa alia essent dicenda quæ suo loco lib. 2. Metaphy. iam diximus, & per hæc patet ad contradictionem, pro eodem statu vnionis quo ad immediatam cognitionem, quod nulla sit, secus autem ex connaturali modo cognoscendi Animæ nostræ, ita enim ex sensibilium abstractione apprehenduntur, non autem perfectè cognoscuntur substantiæ immateriales, etiam si quidquid est Animæ nostræ nobis innotescat: semper enim deficiens est, & incompleta substantia, tum in essendo, tum vero in repræsentando, respectu abstractorum immaterialium, per se completè, in suis quidditatibus specificis quod fortè non aduerterunt: Alioqui nō conciliant S. Th. cum Scoto: pro omni enim statu vnionis, & separationis (naturaliter loquendo) quidditatiua animæ no-

ſtæ notitia, abſtractorum notitiæ non adæquatur, ſicut obiectũ, & ſpecies, & actus vtriuſque cognitionis, ſingula ſunt improportionata.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas lib. 2. de Anima, lect. 14. explicans cùm Philoſopho quid ſit proprium ſenſibile potentiæ viſiuæ, inter multa, inquit, quod lumen habet eſſe naturale, & non tantùm intentionale, & conſequenter realiter eſt in aere. Oppoſitum huius docet in diſputatis de pot. quæſt. 5. artic. 1. ad ſextum. Non enim lumen eſt in aere ſicut quædam forma naturalis perfecta; prout eſt in corpore lucido, ſed magis per modum intentionis, veluti hominis ſimilitudo in ſpeculo.

CONCILIATIO.

HAnc contradictionem ſoluentes, præmittimus Petrum de Aluerina ex ordine Prædicatorum quol. 9. in ea perſtitiſſe ſententia, quod lumen habet eſſe reale, eo quod in medio habet effectum realem, calefacit, & incendit, ſicut radius ſolis refractus ſuper ſpeculo concauo incendit ignem; deinde ſuum ſubiectum denominat, ac ex lumine aer dicitur, & eſt illuminatus. Ægidius in Exam. par. 2. d. c. 8. vſque ad 12. & lib. 2. ſent. diſt. 13. q. 1. art. 1. 2. & alibi. Scotus 2. ſent. diſt. 13. q. 1. & alij, contendunt lumen in medio eſſe tantùm formam intentionalem, quoniam poſitum ſupra ſenſum non impedit ſenſationem id quod de reali qualitate experientia teſte, negatur, neque lumen ſicut realis forma ſenſibilis habet contrarium, & in inſtanti per totum medium multiplicatur. Dominus Caietanus in 1. par. ſuper art. 3. q. 67. vtrumque eſſe naturale & intentionale tribuit lumini, non ſecundùm proprium eſſe vtriuſque, prout vnum contra alterum diſtinguitur, ſed prout virtualiter præhabet in ſe, quod ad vtrumque ſpectat, ſcilicet ad eſſe naturale. Et intentionale: & conciliando S. Thomam cùm Ægidio, & Scoto, poſt multa concludit, & hoc modo omnes aliquo modo dixerunt verùm. Quare apud Caietanum, ex parte D. Th. circa hoc dixit verùm. Sed debebat animaduertere Caietanus, quod D. Tho. lib. 2. ſent. diſt. 13. art. 3. cor. vtrumque eſſe tribuit lumini, naturale, & intentionale, cùm ſit qualitas actiua in tertia ſpecie qualitatis primi corporis alterantis, & naturaliter tranſmutando effectum habeat: immo ſecundùm Auicennam, corpora cæleſtia, per lucem ab ipſis deriuatam, agunt in hæc inferiora. Deinde habet eſſe intentionale dat enim coloribus eſſe intentionale in medio, & poſitum ſuper organum viſus ſentitur. Neque D. Tho. 1. par. q. 67. art. 3. denegat lumini eſſe intentionale: nam, inquit, in reſp. ad tertium, quod lumen facit colores viſibiles actu, in quantum eſt qualitas primi corporis ſenſibilis, & conſtat quod coloribus in medio non dat niſi eſſe intentionale, ergo præhabet in ſe lumen eſſe intentionale: qua ratione vtitur D. Th. vbi ſup. lib. 2. ſent. Ex his patet nullam eſſe contradictionem in dictis Sancti Thomæ cùm vtrumque eſſe tribuat lumini, naturale, & intentionale, licet diuerſo modo: nam formaliter eſt naturalis, & realis qualitas actiua conſequens formam ſolis &c. & virtualiter habet, & dat eſſe intentionale. Et D. Tho. in diſp. vbi ſupra inſinuauit inquiens, Non enim lumen eſt in aere ſicut quædam forma naturalis perfecta, prout eſt in corpore lucido, ſed magis per modum intentionis, vbi ly, magis, ſe tenet comparatiuè, & ſupponit poſitiuum: & exemplum de imagine in ſpeculo aptiſſimum eſt in hoc dumtaxat, quo ad permanentiam imaginis in ſpeculo ad præſentiam imaginati, & luminis in aere, ad præſentiam corporis lucidi: cæterùm quoad eſſe vtriuſque, diſparratio eſt, vt ex dictis patet. Quæ vero Ægidius Scotus, Petrus de Aluerina, & alij in extremis ſententijs altercantes obijciunt, ex media ſententia quam tenet D. Tho. iam conciliata ſunt, & ex parte quodamodo omnes dixerunt verum.

Caietani opinio falſa de D. Thoma.

CONTRADICTIO III.

SANCTVS Thomas lib. 3. de Anima lect. 14. distinguit inter appetitum qui est voluntas, & inter appetitum sensitiuum partitum in concupiscibilem, ex hoc quod sequuntur diuersus modus cognoscendi intellectus, & sensus, quatenus ex obiectis petenda est potentiarum distinctio, estque bonum appræhensum appetitiuæ potentiæ obiectum, atque dispari modo bonum appræhendit intellectus, nimirum secundùm vniuersalem rationem boni, sensus autem sub limitata ratione &c. ex quibus vtriusque appetitus discrimen deducitur. Oppositum autem docet in Disp. de veritate q. 22. art. 4. ad primùm, quod voluntas ab appetitu sensibili non distinguitur directè per hoc, quod est sequi appræhensionem hanc vel illam, sed ex hoc, quod est determinare sibi inclinationem, vel habere inclinationem determinatam ab alio &c.

CONCILIATIO.

HAnc contradictionem quidam soluunt, quod D. Thomas in Disp. interpretandus est de distinctione inter vtrumque appetitum rationalem, & sensitiuum, quæ principalis est, & primo distinguit, sed lib. 3. de Anima loquitur de distinctione secundaria, & consequenter. Nam, inquit, in Disp. Vnde quasi ex consequenti accipitur distinctio appetitiuarum virium pœnes distinctiones appræhensiuarum, & non principaliter. Vel inquiunt ipsi, potentiæ distinguuntur per obiecta, obiectum autem dupliciter capi potest; quo ad rationem adæquatam, sub qua cōtinetur quidquid pertinet ad illam potentiam, & sic obiectum cuiuslibet potentiæ est vniuersale, sicut color respectu visus, quo pacto dicitur ex Philosopho, quod sensus est vniuersalium, sentire autem particularium; & ita vniuersale & particulare non diuersificant potentias; vel sumitur, quo ad quod fertur potentia vel habitus per vnum actum, & sic ratio est vniuersalium, sensus autem singularium &c. Solet & aliter interpretari D. Tho. quod in primo loco loquitur de distinctione respectiua & intrinseca, atque de materiali obiecto, in secundo vero loco de obiecto formali, & de distinctione intrinseca. Sed nonnihil difficultatis habent istæ solutiones ex eodem D. Tho. 1. par. q. 80. art. 2. vbi assignat distinctionem inter appetitum sensitiuum, & intellectiuum, quia est alterius generis appræhensum per sensum: & in resp. ad primum dicit, quod differentiæ appræhensi sunt per se differentiæ appetibilia; nam appetibile non mouet appetitum nisi inquantum est appræhensum, quare secundùm differentiam appræhensorum, veluti secundùm propria obiecta, potentiæ appetitiuæ distinguuntur: ex quibus patet confirmatio eorum quæ D. Tho. dixit in lib. de Anima, vnde propria & specifica distinctio formalis vtriusque appetitus desumatur. Secunda verò solutio genericam tantùm distinctionem tangit, quæ est inter sensum, tam interiorem, quam externum, & intellectum, penes modum tendendi in obiectum, &c. vt concedunt Thomistæ in procemio Metaph. Tertia verò solutio iam ex dictis contra primam solutionem demolita est. Superest ergo vt explicemus D. Thomam, quod in Disp. sibi non contradicat, & verè sibi non aduersaturi quia de diuersitate appræhensionum loquitur quæ per accidens ad vires appetitiuas se habēt, sed simul nectendo diuersitatem appræhensionum cùm diuersitate appræhensorum, quatenus intellectus cùm sit vniuersalium, bonitatem absolutam appræhendit, & sensus quia est particularium, hoc bonum tantùm appræhendit, desumitur formalis, & propria distinctio vtriusque appetitus, in ordine ad propria obiecta, sub formali ratione; veluti in quolibet appetibili est res, quæ appetitur, & ratio appetibilitatis &c. Ex his patet, quid sit dicendum cùm eodem D. Th. in Disput. de verit. q. 25. art. 1.

CONTRADICTIONES D. THOMAE IN METAPHYSICAM.

CONTRADICTIO PRIMA.

SANCTUS Thomas lib. 1. Metaphys. lect. 1. explicans, & triplici ratione (Cathegoricè tamen) ex parte habitus, actus, & obiecti probans, quod omnes homines natura ſcire deſiderant, de naturali duntaxat, & non elicito deſiderio axioma Phyloſophi interpretatur, ex naturali hominis inclinatione, ad intelligere & ſcire, ſicut graue inclinationem habet vt moueatur deorſum; & materia appetit formam, & hominis intellectus modo, vt eſt in potentia, omnia conſiderat: quæ omnia non niſi de naturali hominis inclinatione ad ſcire interpretari poterunt. Oppoſitum 2.2. q. 166. art. 2. docet, quod ſicut homo naturaliter concupiſcit delectationes venereas, ſecundùm naturam corporalem, ita ſecundùm animam naturaliter deſiderat cognoſcere aliquid: vnde Philoſophus dicit in principio Metaph. quod omnes homines naturaliter ſcire deſiderant, vbi D. Th. de appetitu ſecundùm animam, id eſt elicito & rationali, Ariſt. interpretatur. Hæc autem non cohærent, &c.

CONCILIATIO.

HAnc contradictionem quidam ſoluentes, in eam ſententiam adducunt S. Th. vt vtrobique & alibi, de appetitu naturali explicuerit Phyloſophum, eo quod ipſum ſcire appetere, commune eſt toti ſpeciei. Alij verò in oppoſitam ſententiam diuertuntur, quod de appetitu elicito & rationali perpetuo D. Th. fuerit interpretatus illam maximam, omnes homines natura ſcire deſiderant: ſupponunt iſti, quod actus elicitus potentiæ appetitiuæ rationalis, quamuis ſit liber quoad exercitium, determinatus autem quoad ſpecificationem, eſt naturalis: & vterque actus eiuſdem eſt potentiæ, cum formaliter per ſe non ſiat diſtinctorum obiectorum voluntatis, & voluntas in natura fundatur, & per conſequens modum proprium ipſius naturæ participat: itaque quia homo naturaliter appetit ſcire; eius voluntas quoad ſpecificationem ita ad ſcire, quod non ad eius oppoſitum eſt determinata, quàmuis reſpectu huius vel illius ſcire, libera reſpectu exercitij maneat. Ex his patet ad contradictionem, quod nulla ſit; etenim D. Tho. lib. 1. Metaph. in illis tribus rationibus de appetitu rationali, intelligit Ariſtotelem, nam dicitur in tertia ratione, quod homo coniungitur ſubſtantijs ſeparatis per intelligere; & in ſecunda habet, quod intelligere eſt propria operatio hominis; in prima verò quod ſcire eſt propria operatio hominis ſecundùm potentiam intellectiuam: quæ omnia non deſiderantur ab homine, niſi deſiderio rationali & intellectiuo. Ad illud verò quod Authores primæ opinionis obijciunt, quod appetere ipſum ſcire, commune eſt toti ſpeciei, ergo ex innato naturali deſiderio prouenit: explicatur autem, quod appetere ipſum ſcire, conuenit toti ſpeciei humanæ, ſecundùm appetitum fundatum in natura ſpeciei humanæ; & quia appetitus rationalis non eſt inclinatio præcisè appetitiuæ potentiæ in ſuum obiectum, vt vult Scotus, quem nonnulli ex noſtris imitantur, propterea negatur conſequentia, ergo ex innato appetitu, & naturali deſiderio &c. ſed, ergo ex appetitu rationali naturali quo ad ſpecificationem actus, libero verò quo ad exercitium: & ſufficit ad naturalitatem vt verificatur in omnibus, vel in pluribus. Hæc autem ſolutio quamuis acuta, & communior ſit inter Doctores, difficultatem tamen implicat & rationes D. Th. lib. 1. Metaph. vbi naturale deſiderium ad ſcire explicat, pro ea propenſione, atque inclinatione appetitiuæ potentiæ rationalis, in ſuum obiectum, conſiderando intellectum, vt eſt potentia omnia, & naturaliter inclinatur ad intelligere, & ſcire, ſicut graue tendit deorſum, & materia appetit formam, quæ de appetitu elicito non poſſunt interpretari. Quare ſuppoſito, quod actus ſit naturalis, quia ad ipſum inclinat natura; hoc autem dupliciter contingit, vt docet D. Tho. 12. q. 41. art. 3. cor. Primò quod totum perficitur

Verior huius contradictionis conciliatio.

citur à natura absque appræhensiuę virtutis operatione. Secundò quia ad ipsum natura inclinat, & non perficitur nisi per appræhensionem: priori modo leue tendit sursum, & graue deorsum; posteriori verò modo, motus & actus, tùm appræhensiuæ, tùm verò appetitiuæ virtutis dicuntur naturales, quia in ipsam naturam sicut in primum principium reducuntur. Ex qua distinctione liquet, quod actus appræhensiuæ & appetitiuæ virtutis, in natura rationali, vt intelligere & scire verùm, & velle bonum in communi (quidquid sit in particulari quoad exercitium actus ob innatam libertatē prænia indifferentia in-ditij rationis in quo fundatur) sunt naturales initiatiuè, ex innata propensione, & inclinatione naturæ rationalis ad scire: completiuè verò per actum elicitum perficiuntur. D. Tho. ergo lib. 1. Metaph. de desiderio naturali ad scire initiatiuè interpretatus est Philosophum, ex naturali appetitu, indito ex proprijs principijs toti speciei humanæ: sed in secunda secundæ, de appetitu & desiderio rationali, prout est actus elicitus, quo inclinatio naturæ rationalis ad scire perficitur. Et ita omnia sunt consona: Neque Magister Aquarius Dilucid. 2. in lib. 1. Metaph. dissentit, dum distinguit de scire confusè &c.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas lib. 2. Metaph. lect. 5. ostendens, quantùm vim habeant leges ait, quod lex diuinitus data ordinat hominem ad veram fœlicitatem, & penes hoc distinguitur ex legibus ab hominibus ad inuentæ, quæ ad conuersationem ciuilem sicut ad vltimum finem ordinantur. Oppositum huius docuit 12. q. 98. artic. 1. ad 1. argum. vbi exponit verba Ezechielis c. 20. Dedi eis præcepta non bona, & iuditia in quibus non viuent, quod Dominus loquitur de præceptis cerimonialibus, quæ quidem dicuntur non bona, quia gratiam non conferebant &c. Et tamen ista fuerunt diuinitus data à Deo, vt patet in lib. Leuit. per totum. Non ergo omnis lex diuinitus data, ordinat ad veram fœlicitatem, sicut dicitur lib. 2. Metaph.

CONCILLIATIO.

AD quod respondentes, dicimus nullam esse penitus contradictionem, quia præcepta legis erant bona in se, eo quod erant contentiua iustitiæ, vt inquit Rabbi Salomon; sed non erant bona transgressoribus, qui puniendi erant grauius post agnitam Domini voluntatem; & iuditia in quibus non viuent, idest morientur, quia præcepta iuditialia in pluribus casibus decebant mortem inferendam trãsgressoribus. Aliter dicitur, quod quamuis hæc lex præceptorum cerimonialium immediatè non ordinaret ad veram fœlicitatem, mediatè tamen ordinabat. Non enim habebat vim medij perfecti ad beatitudinem; quod est proprium nouę legis, quę iustitiam & gratiam continet; sed solummodo, vt inquit Apostolus ostendebat peccatum, ipsum prohibebat, & disponebat ad Christum venturum. Cæterum non iustificabat attestante Apostolo Rom. 4. capite si Abraham ex operibus legis iustificatus est habet gloriam, sed non apud Deum. & loquitur de lege, quę comprehendit pręcepta cerimonialia de diuino cultu, & iuditialia de iustitia obseruanda inter homines, & moralia de actibus virtutum, vt docet S. Th. 1. 2. q. 100. ar. 11. Vel potest dici, quod Ezechiel Propheta Ironice in istis verbis in persona Dei loquitur, sicut ex antecedentibus, subsequentibus verbis patet, Exacerbauerunt me domus Israel in deserto, & in pręceptis meis non ambulauerunt, & iuditia mea non custodierunt, & sabata mea violauerunt, & comminatus sum, vt effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis, vt dispergerem in nationes, & ventilarem in terras, ergo; & ego dedi eis pręcepta non bona, & iuditia in quibus non viuent quasi dicat, non quia pręcepta bona dedi eis, sed ipsi noluerunt ea obseruare, vt viuerent in eis, & boni fierent. Sed secunda solutio magis est ad propositum, & contradictionem enervat.

CONTRA-

CONTRADICTIO III.

SANCTVS Thomas lib. 3. Metaphys. lect. 3. in calce, inquit, falsum est, quod in Mathematicis non sit bonum sicut Philosophus infra lib. 11. lect. 8. probat, & quidem Mathematicalia realia entia sunt atque realia in primo certitudinis gradu scientię obiectum: Oppositum affirmat 1. par. q. 5. art. 3. ad 4. quod Mathematica non subsistunt separata secundùm esse, quia si sic subsisterent, esset in eis bonum, scilicet ipsum esse ipsorum.

CONCILIATIO.

HAnc contradictionem quidam soluunt, distinguendo de bono in ratione boni, & de bono, quod est esse, & ipsum quodquid est: & priori modo in Mathematicis non reperitur bonum, sicut neque finis, sub ratione finis, posteriori verò modo est in eis id, quod est bonum, cum habeant esse, & quodquid est. Vel distinguendo, quod Mathematica dupliciter considerantur; Primò secundùm esse; Secundò prout sunt abstracta secundùm rationem, & hoc secundo modo nullum est inconueniens in Mathematicis non esse bonum: nam cum ratio entis sit prior cæteris, à ratione boni pręscindi potest. Verùm hę duę solutiones sicut inter se contradicunt, ita contradictionem in dictis D. Tho. non conciliant. Dicitur in prima solutione, quod in Mathematicis est, id quod est bonum, id est esse, & ipsum quodquid est, vt ipsi explicant: hoc autem esse Mathematicalium formaliter loquendo, non est nisi illud esse abstractum secundùm rationem, non enim à parte rei subsistunt, neque habent esse nisi in sensibilibus, iuxta Peripateticam doctrinam (quidquid Pitagorici, Platonici, & Herculei falso fuerint arbitrati) sed in secunda ratione negatur bonum reperiri in Mathematicis, prout abstrahuntur secundùm rationem. Igitur cõtradictio in solutionibus auget difficultatem in contradictione S. Tho. prę sertim cum secunda solutio deducatur ex dictis D. Tho. 1. par. vbi supra. Potest tamen defendi vtraque prędicitata conciliatio, explicando D. Th. cum D. Thoma in prima parte, vbi supra, qui assignans rationem, quare in Mathematicis, quia sunt separata à materia secundùm rationem, & non secundùm esse non est bonum, inquit, non esse inconueniens, cùm ratio entis sit prior quam ratio boni, quod in aliquo ente, secundùm rationem, non sit ratio boni, ac si dicat D. Tho. quia abstrahentium non est mendacium in prima intellectus operatione, & ratio entis sicut est prima, & vniuersalior, quã ratio boni, ita in abstractione, & consideratione Mathematica poterit esse obiectum, & terminus, non considerata ratione boni, & hoc modo non est inconueniens secundùm rationem, id est, secundùm eam abstractionem, & considerationem Mathematicam, quod in aliquo ente non sit bonum: cæterùm secundùm esse Mathematicalia cùm sint vera entia realia, bona sunt. Verùm hæc interpretatio poterit etiam applicari ad Metaphysicalia, & Naturalia, scilicet considerando rationem entis, quæ prior est, non considerata ratione boni. Nam bonum est passio transcendentalis entis, & cùm eo cõuertitur, adhuc in abstractione Mathematica, in qua habetur conceptus formæ, & actus, & vt sic necessario habet rationem entis, igitur in omni scientia absq; mẽdatio poterit considerari ratio entis, vel talis entis, non considerata ratione boni, vel talis boni, cæterarumque passionum entis. Deinde verba S. Tho. non ad rationem, id est intellectus considerationem, prout ipse super Boetium de Trin. satis explicat referenda sunt (non enim de modo abstrahendi, vel cognoscendi controuertitur) sed ad formalem rationem Mathematicalium, quæ verè entia sunt, & ipsi se obiectiuè duntaxat cùm fundamento in re non habent, sicuti Logicalia entia, igitur in seipsis formaliter loquendo an bona sint, quia controuertitur, & ita disputat D. Tho. sermone formali controuersię, & conditioni est faciendum satis. Dicamus igitur, quod cum Mathematicalia non sint entia abstracta secundùm esse, immo in sensibilibus posita, sed tantùm secundùm rationem, vt patet lib. 6. Metaph. tex. 2. consideramus in ipsis illud quod naturale est, & existens, atque hoc, quod secundum rationem est abstractum, & Mathematicum. Deinde in eadem abstractione, quæ neque fictitia est, aut remotum fundamentum habens in re, immo directè per proprium conceptum terminatiuè est intellectus nostri obiectum, vera entitas eius realis concipitur, cui à patre rei conceptus obiectiuus

Abstrahentium non est mendatium in prima intellectus operatione.

permis-

permissiuè correspondet, vt aliqui sentiũt. Vel melius dicamus, quod sunt entia, & bona, bonitate transcendentali, non autem bonitate per motum cum causa Phisica habita, vt nec enim, & si causam agentem habeant, non tamen secundum habitudinem ad causam agentem sub Mathematica consideratione cadunt: quippè, quod secundum, quod esse habet vnicuique conuenit habere causam agentem, ergo Mathematicalia in se considerata, & entia realia sunt, & realis scientiæ obiecta, & consequenter bona. At quoniam inquantum Mathematica sunt specificatiuè quoddam esse secũdum rationem abstractum connenit eis, hinc fit, vt non bona dicantur ea ratione, qua entia abstracta, sunt præter sensibilia, & infra intelligibilia: & hac ratione D.Th.1.par.q.44.art.1.ad tertium argumentum negat in Mathematicis causam efficientem, & supra q.5.art.3. bonitatem, & causam finalem: sed lib. 3. Metaph. quiditatem Mathematicalium à parte rei considerauit minimè, quod aliquod indiuiduum in esse subsistentiæ in rerum natura eis correspondeat, & in quo existant. Quare breuiter dicamus, Mathematica secundum esse reale bona sunt, ita enim existunt sicut cætera accidentia, non autem secundum esse intentionale, quo à materia, & motu præscinduntur, ratione cuius præcisionis dicuntur non bona, quatenus per abstractionem, quæ fit ab intellectu non includunt hanc proprietatem: considerat enim Mathematicus figuram, secundum puram suam quidditatem, nihil curando an terminos præscribat subiecto, & ita de alijs &c. Si quis plura desiderat consulat Magistrum Aquarium lib. 3. Metaph. Dilucid. 2.

CONTRADICTIO IIII.

SANCTVS Thomas lib. 4. Metaph. lect. 1. affirmat cum Philosopho, ens multis modis dici, non æquiuoce, nec vniuoce, sed analogice, idest, secundum rationes, quæ partim sunt diuersę, prout important diuersas habitudines, & partim non diuersæ, idest per respectum ad vnum numero, & non solum vnum secundum rationem, ad quod diuersæ illæ habitudines referuntur. Oppositum docet cum eodem Philosopho lib. 2. Metaph. lect. 2. vbi probat sempiternorum principia esse verissima, quia vnumquodque est maximè tale, per quod alijs inest vniuocatio, vt patet de igne. Quæ Philosophi consequentia vim habet ex hoc, quod principia illa sempiterna sunt causa vniuoca veritatis in alijs, alioquin si principia illa esse æquiuoca, vel analoga assumeret, repugnaret exemplum de igne. Deinde maior propositio in vniuocis verificatur: & tandem in syllogismo Philosophi essent quatuor termini.

CONCILIATIO.

HAnc contradictionem soluentes dicimus, quod Philosophus lib. 2. Metaph. probans, quod cognitio veritatis maximè, & principaliter ad scientiam Metaphysicam pertinet, inter alias rationes ex eo deducit, quia considerat maximè vera, veluti est prima causa, ex qua veritas in alijs causatur: & assumit illud principium, Vnumquodque est maximè tale inter alia ex quo causatur in alijs, aliquod vniuocè prædicatum de eis, sicut ignis est causa caloris &c. vbi D. Thomas exponit Philosophum de vniuocatione mentionem fecisse, quia quandoque contingit, quod effectus non peruenit ad similitudinem causæ secundum eandem rationem speciei, propter excellentiam ipsius causæ, sicut sol est causa caloris in istis inferioribus: non tamen inferiora corpora possunt recipere impressionem solis, secundum eandem rationem speciei cum non communicent in materia: vnde non dicimus solem esse calidissimum, sicut ignem, sed dicimus solem esse aliquid amplius quam calidissimum. Quare propositio illa assumptes ex Philosopho ita explicatur, & duplici sensu verificatur, Vnum quod est maximè tale ex quo causatur in alijs, &c. vel quia in eo aliquid excellentius reperitur, vt patet in sole respectu calidorũ, Vel quia est causa vniuoca, sicut ignis, &c. cum ergo nomen veritatis alicui speciei non sit proprium, sed communiter se habeat ad omnia entia, & prima causa veritatis tantum in nomine, & ratione communi communicet cum his quibus est causa veritatis, non autem in ratione speciei, sequitur, quod in se sit verissima. Vbi D. Thomas euidenter explicat seipsum, quid intelligatur per illam communicationem

in ratione communi, scilicet in conceptu analogo secundum attributionem, quæ analogia stat cum vniuocatione communiter dicta, prout medium, sicut est analogum, participat de extremis, nimirum de æquiuocatione, & vniuocatione, ob vnam eius rationem inæqualiter participatam. Aliter ex translatione Arabica solet responderi, in qua legitur, Vnumquodque principiorum propriè est causa eorum, secundùm quod sunt aliæ res, quę conueniunt in nomine, & in intentione, & exponit Cõment. quæ conueniunt in nomine, & diffinitione: & vt sic Deus est causa entitatis, & veritatis, in alijs secundùm idem nomen, & intentionem, quia esse illud cui conuenit ratio, quæ est diffinitio entis, est communis omnibus. Sed verior est explicatio S. Tho. iuxta latinam translationem, de vniuocatione, quæ ad analogiam propendit: non enim verùm in eodem gradu reperitur in Deo, & in creaturis, neque est eiusdem rationis formalis, secundùm speciem, sed participate conuenit creaturis (vsurpando modo veritatem pro rei entitate) & per attributionem ad Deum: & cùm veritas in Deo formaliter reperiatur, prout per essentiam, & independenter verus est, & increata veritas: Et in creaturis adhuc reperitur veritas formaliter, licet creata, dependenter & participata; & vtraque veritas, tam in Deo, quam in creaturis, communicat in ratione communi entitatis. Hinc est, quod de vniuocatione prout recedit ab æquiuocatione in qua ratio est omnino diuersa in æquiuocatis, Philosophus mentionem fecit: nihil enim absurdi est, analogum comparatiuè ad æquiuocum vt sic, dici analogum. Ex quibus patet nullam esse contradictionem in dictis Sancti Doctoris, nisi proteruientes Philosophum de vniuocatione propriè dicta intelligamus, & eam Arabicam translationem (quæ D. Tho. minimè latuit) aliter velimus interpretari, quam præter intentionem iuxta triplicem modum analogiæ ex eodem S. Tho. lib. 1. sen. dist. 19. traditum, & explicatum, & vt mihi videtur ad Arabicam translationem confugientes, D. Th. noluerunt intelligere.

Veritas in Deo formaliter reperitur, in creaturis participatiuè.

CONTRADICTIO V.

SANCTVS Thomas lib. 5. Metaphys. lect. 1. inquit ea ratione Philosophum de principio inchoasse sermonem in hoc libro de quotiens, qui ex peritis seminarium scienciarum nuncupatur, quia principium communius est quam causa. Aliquid enim ita principium, quod causa non est: veluti terminus à quo principium, & non causa est motus. Itaque principium, & causa inconuertibiliter se habent. Oppositum iam scripserat supra lib. 4. lect. 2. quod ens, & vnum conuertibiliter se consequuntur, sicut principium, & causa: quod totaliter destruit primùm dictum.

CONCILIATIO.

CIrca hanc contradictionem multi multa dicunt. Quidam enim distinguunt de causa, quod dupliciter consideratur, primo propriè, & secundùm rationem causæ; alio modo communiter, vt se extendit ad omnem agendi modum: & primo modo principium, & causa distinguuntur: nam causa omnis est intrinseca, vel extrinseca, & influit ad esse causati, cum temporis prioritate, & inæquali perfectione in causa, & effectu. Principium verò communius est, cor enim in animali principium est, non autem causa: & punctus respectu lineæ: & Pater in diuinis est principium, non causa filij, quorum idem est esse absque prioritate vel diminutione in altero, sed tantùm cùm ordine originis. Secundò vero modo principium, & causa conuertuntur, extendendo nomen causæ ad omnem modum agendi, simul nectendo causam per se, & per accidens, & ita principium, & causa cum distinctione rationis, & identitate in subiecto sunt idem conuertibiliter, vt dicitur lib. 4. Metaph. Sed repugnat hæc conciliatio Philosopho, & Sãcto Tho. qui lib. 5. Metaph. de principio, & causa, considerant secundùm communissimas eorum rationes, & cap. 2. de causa, assignat causas per se, & per accidens, immo omnes modos, & proprietates causarum aliter, quam de principio distincta consideratione. Neque sufficit distinctio rationis ad euadendum, cum infra limites vtriusque principij videlicet, & causæ præcise standum, secundum quod Philosophus, & D. Thomas loquuntur Metaphysica consideratione, ex oppositis eorum proprietatibus, & separabilibus realiter

disti-

distinctio potius deducitur. Alij, præmisso quid Philosophus senserit de principij ratione, ita soluunt contradictionem, quod principium productiuum, & causa productiua, & effectiua, sunt idem conuertibiliter, cum veriusque productio fit secundùm distinctionem essentialem, inter producens, & productum: Itaque principium in specie sumptum, & causa, conuertuntur, sicut habetur lib. 4. Metaph. sed principium, vt principium, communius est, quam causa, quæ se habet per additionem ad ipsum, est enim aliquod principium idem essentialiter cum eo cuius est principium, sicut patet in diuinis, &c. Hæc solutio non euadit difficultatē; Primò, quia Philosophus assignans modos quib. diuiditur principium, inter cæteros assignat principium realiter productiuum, & assumit illud vt distinctum à causa secundùm rationem principij, secus modi principij (formaliter loquendo) confunderentur cum modis causæ. Secundò, & si principium productiuum, & causa productiua conuertuntur (vt ipsi contendunt) non licet inferre vniuersaliter, ergo principium, & causa conuertibiliter se habent. Etenim Philosophus, & D. Th. vtrobique vniuersaliter loquūtur de principio, vt principio, & de causa in ratione causæ. Alij conciliant, quod D. Tho. cum Philosopho distinguit principium à causa lib. 5. Metaph. tanquam magis commune à minus communi, & lib. 4. Metaph. dum dicit, quod ens & vnum conuertuntur, sicut principium, & causa, fortassis loquitur Arist. ex sententia illorum Authorum Græcorum, qui opinabantur causam conuerti cum principio, non autem ex propria sententia. Vel potest dici, quod exemplorum non requiritur veritas, vt inquit Soncinas, & post eum Bannes. Potest & aliter dici cum ipsomet D. Tho. quod principium, & causa, non tanquam Synonima, sed sicut ea, quæ sunt idem subiecto, & diuersarum rationum, conuertibiliter se consequuntur, & vt ipsemet Phylosophus lib. 5. Metaphys. tex. 1. post explicatos modos huius nominis principij, quod lib. 4 præmiserat, declarat; Toties autem causæ quoq; dicuntur: omnes namque causæ principia: vbi D. Thom. His etiam modis, & causæ dicuntur quædam principia: nam omnes causæ sunt quædam principia, ex causa enim incipit motus ad esse rei, licet non eadem ratione causa dicatur, & principium: ac si diceret, quia causæ omnes principia sunt, vel suo modo possunt dici principia, prout etiam importat quendam ordinem, secundùm eam acceptionem, vnde incipit Motus, idcirco omnes que causæ principia, & conuertibiliter se consequuntur, vt sic. Verumtamen ex diuersis eorum rationibus, cum non sint synonima, communius est hoc nomen principium quam causa. Nam aliquid est principium sicut terminus à quo, ita est motus principium, quod non causa, quo pacto loquutus est Philosophus lib. 5. Metaph. & post eum D. Tho. Et per hæc patet ad contradictionem.

CONTRADICTIO VI.

SANCTVS Thomas lib. 6. Metaph. lect. vltima, exponendo dictum Philosophi tex. com. 8. non est enim verum, & falsum in rebus, vt quodquid bonum, & verum, &c. inquit, quod verum, & falsum, quæ sunt obiecta cognoscitiuæ virtutis, sunt in mente, bonum autem, & malum, quæ sunt obiecta virtutis appetitiuæ, sunt in rebus: ex quibus verbis liquet, verum formaliter, & per se fore intellectus obiectum. Oppositum huius colligitur 1. par. q. 16. art. 3. ad tertium quippe quod, verum non est per se obiectum intellectus, sed quędam obiecti intellectus adæquata passio, quoniam ens absque ratione veri apprehendi potest, licet non apprehendatur ens, nisi ratio veri consequatur rationem entis, quoniam cognitio per assimilationem cognoscentis ad rem cognitam perficitur, & id Capreolus defendit lib. 1. sent. dist. 1. q. 1. cont. 2.

CONCILIATIO.

DE obiecto nostri intellectus, non vno modo est dicendum, quemadmodum & multiplex apud S. Thom. constitur. Est autem primum, & per se obiectum nostri intellectus ens, cum ratio, & conceptio entis prima sit inter omnes, & in eam omnes aliæ soluantur, quod & Auicenna 1. lib. suæ Metaphys. affirmat, est enim ens primum, idest adæquatum nostri intellectus obiectum, propterea quod primo illi imprimitur, & vnumquodque quatenus actu ens, intelligibile est lib. 9. Metaph. tex. 20. immo

non ans, sub ratione entis apprehenditur, quo pacto negationes, & priuationes, entia dicuntur, & de eis ens dicitur lib. 4. Met. tex. 2. & vt docet S. Tho. in disputatis de veritate q. 1. art. 1. sicut in demonstrationibus oportet fieri reductionem in aliqua principia per se, intellectui nota; ita in inuestigando, quid est vnumquodque, ne detur processus in infinitum, & omnis scientiæ ratio demoliatur. Quare primum, quod intellectui notissimum occurrit, & in quod omnis intellectus conceptiones resoluuntur, est ens, ac per hoc, vt Capreolus interpretatur, tam temporis, quam adæquationis prioritate, ens nostri intellectus est obiectum: Fundamentalis autem huius dicti ratio est, & supponitur modo entis conceptus vnus, tam formalis, quam obiectiuus, siue formalis sit præcisus, & distinctus, & conceptus obiectiuus qualitercunque vnus assignetur proportionaliter, siue confusus, aut distinctus primi analogati, cum confusa, & implicita alterius representatione, ita quod sub se omnes differētias, & species entis possibiles comprehendit, tam prædicatiuè, quam repræsentatiuè, habens essentialem ordinem cum cæteris quidditatibus, & prior illis saltem quoad nos, quod dico propter conceptum diuini esse in se. Assignatur aliud obiectum materiale nostri intellectus pro isto statu, quo à sensibus omnis nostra cognitio oritur, & hoc est quiditas rei materialis, quæ connaturale, ac proportionatum nobis dicitur obiectum, in quod intensiuè, & extensiuè, potest intellectus suum actum exercere, & intelligitur per quidditatem rei materialis, quidditas substantiæ compositæ, ex materia, & forma, in seipsa cognoscibilis, cuius phantasma haberi potest, & tandem immediatè vtraque species intelligibilis impressa, & expressa, perfectè ipsam representans. Huiusmodi ergo quidditas non formale, & adæquatum ac per se primum est nostri intellectus obiectum, sicut materiale primum, & proportionatum, non simpliciter pro quocunque statu, sed intellectui coniuncto, ac per hoc potest intellectus coniunctus intelligere pro præsenti statu proprium obiectum, & oppositum eius, eo quod talis quidditas est materiale obiectum, & primum, idest primo cognitū non autem formalis ratio obiecti: dicitur quoque verum obiectum nostri intellectus. Pro quo notandum, quod verum potest sumi dupliciter, Formaliter, & materialiter, pro re vera, & pro adęquatione, siue commensuratione intellectus ad rem, nunc autem formaliter loquimur de vero, & dicimus ipsum verum esse formale, & per se obiectum nostri intellectus, distinguendo de formali obiecto, vt quo, & vt quod, quemadmodum liquet in obiecto sensus visus, præsupposita re visibili, tanquam materiali obiecto, concurrunt in ratione formalis obiecti lux, & color, lux autem tanquam in quo aliquid visui obiicitur, color vero, vt id quod videtur. Et hac obiecti distinctione in materiale, & formale, quo, & quod, in omnibus potentijs, & habitibus, ac scientijs, vt inductiuè in sua doctrina patet vtitur S. Tho. & præsertim in doctrina diuinitus reuelata, præ oculis est habenda, quoniam inde vnitas, & distinctio potentiæ, & habitus, siue scientię habetur: Et ad nostrum propositum redeuntes, dicimus, quod verum formaliter sumptum, quod est in re causaliter, & subiectiuè ac obiectiuè in intellectu, vt est quædam cognitio, siue representatio intellectus, rei intellectæ conformis, vt ab actu secundo, & conformitatis relatione distinguitur, tanquam causa illius adæquationis, est obiectum quo intellectus nostri, cùm intellectus in intelligendo per conformitatem ad rem intellectam, qua cōstituitur, ratio veri perficiatur; vnde verum est id, quo aliquid fit intelligibile, non autem quod, quia intellectus intuitus, ad ipsum, sicut ad ens, directè non terminatur, vt primo eius ratio sit intellecta. Nec tantùm formale quo, per se obiectum dicitur, verùm quoniam antecedenter concomitanter, & consequenter ad actum secundùm intellectua se habet præter id, quod formaliter dicit, nam motus cognoscitiuæ virtutis ad animam terminatur, cuius oppositum est in appetitiua virtute, terminatur enim eius motus ad rem, quare veritas, siue verùm, secundùm D. Augustinum est id, quod est: & vt inquit, Auicenna secundo suæ Metaph. veritas cuiuslibet rei, est proprietas sui esse, & sic antecedenter ad actum intellectus se habet, nam ab eo, quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa: & cùm inter intellectum, & rem intellectam quædam adæquationis relatio consurgat, concomitatur ille respectus veri rationem, quæ intellectus perfecto inditio perficitur: & sic verùm dicitur intellectus commensuratio, siue assimilatio ad rem intellectam, sumendo commensurationem pro respectu. Adhæc, quia veritas est id quo res cognoscitur, & esse rei declarans, sequens omnem intellectionem, addens super eos relationem ad intellectum, hinc verùm consequenter ad intellectionem se habet: sed formaliter verùm, tunc dicitur conformitas non, pro conformitatis relatione sumpta intellectus ad rem intellectam, aut pro cognitione, & rei representatione, vt diximus, sed

pro illa repræsentatione conformi, ad quam concurrunt intellectus, actus intelligendi, vtraque species impressa, & expressa res extra, vt obiectiuè relucens in intellectu, cùm respectu inter cognoscentem, & cognitum, & sequitur actum cognoscitiuę virtutis, vt cognitum per eam, cùm reflexione supra seipsam, cognoscendo naturam suam, necnon sui actus quidditatem, & eius proportionem ad res: Et sic verùm, est quædam passio primi obiecti intellectus, quod est ens, sequitur ad appræhensionem entis, secundùm S. Thom. 1. par. q. 16. art. 3. ad 3. Ex quibus quid sit dicendum ad contradictionem patet, videlicet, quod verùm est obiectum formale quo, nostri intellectus, vt dicitur 6. Metaph Et si alibi hoc negauit, tunc de obiecto formali, quod illud non affirmabat solùm considerando verùm, vt entis conceptionem consequitur, vt iam est declaratum, & ingenioso lectori prolixa dictorum applicatio relinquatur.

CONTRADICTIO VII.

SANCTVS Th. lib. 7. Metaph. lect. 1. dicit cùm Philosopho, quod accidentis esse, est alteri inesse, & non est possibile aliquid eorum separari à substantia simul in concreto, & in abstracto, quo ad rem significatam nectendo accidentia: tùm quia sunt entia propter substantiam, & significant concretum substantiæ: & prout in ordine ad ipsam significantur, entia dicuntur, tùm quia sunt entia, secundùm quid, & præsupponũt ens simpliciter, tùm verò, quia sunt substantiæ affectiones, quam sequuntur, & afficiunt: & quoniam quidditas rei materialis est proportionatum, & materiale obiectum primi nostri intellectus, pro præsenti statu, absque ea, qua mediante nunc cognoscuntur omnia, intelligi nequeunt, cùm cognitum quodcumque à potentia, sub eius obiecto cadat, quod primo cognoscitur. Oppositum huius lib. 4. sent. dist. 12. q. 1. artic. 1. ad primùm exprimit, quod inesse non dicit esse accidentis absolutè, sed magis modum essendi, qui sibi competit ex ordine ad causam proximam sui esse.

CONCILIATIO.

DE accidente sicuti Philosophus considerat lib. 7. Metaph. dicimus ipsum inter entia realia collocari, negando, quod solummodo sit substantiæ affectio, quod verùm est, & probatur de accidente in concreto, & in abstracto sumpto, quoniam accidens concretum est terminus motus lib. 5. Phys. & accidens abstractum reponitur in Prædicamento reali: quare habet accidens essentiam, & existentiam, quæ realiter inter se, & à substantia distinguuntur, tùm quia est alterum membrum substantiæ, condiuisum in diuisione entis per se, tùm quia de ipso accidente, & substantia verificatur propositio immediata negatiua, tùm vero, quia essentiæ prædicamentorũ sunt impermixtæ: quod si accidens est actu ens, necessario sibi essentiam, & existentiam determinat, à substantia distinctam, tum quia accidens est terminus actionis realis, vt patet de calore recepto in aqua, tũ quia assumitur accidens pro instrumento in actione reali (generat enim pater potentia generatiua) tum verò quia accidens recedit ex natura materiæ primæ, ac per hoc non habet essentiam purè potentialem. Et supponendo, quòd communiter Thomistæ dogmatizant, in omni ente creato, esse distingui realiter ab essentia, plana fiunt quæ præmisimus, non quod simpliciter, sicuti secundùm quid, vt Philosophus docet, accidentia essentiam sortiantur, & existentiam, solummodo enim substantia simpliciter est ens, & existit. & hac ratione accidens est ens, eo quod taliter entis, ob incompletam essentiam, & existentiam, substantiam supponentem quam habet. Et propterea per se non existit, inhæret autem substantiæ, & sic definitur accidens, quod est natura cui debetur esse in alio ob dependentiam quam habet à subiecto, in essendo, saltem aptitudine, & in cognoscendo. Cuius dependentia cum actuali vel aptitudinali inhærentia est realis relatio, minimè de genere ad aliquid, ad termini relata, eiusdem generis vel alterius: vel autem transcendens alis respectus à termino haud à subiecto absolutus, nec quid superadditum naturæ accidentis dicit, ex eo enim quod accidens essentiam, & existentiam incompletam, & secundùm quid importat ad subiectum in quo sua natura completur, intrinsecum dicit respectum. Diuiditur verò inhærentia accidentis in actualem, & aptitudinalem,

dinalem, ita vt actualis inhærentia sit, quando actualiter accidens inhæret subiecto, & existenter denominat illud: Aptitudinalis autem inhærentia est, quando accidens secundùm intellectum, vel per diuinam potentiam actu separatur à subiecto, ad quod habet dependentiam. Dixi secundùm intellectum, quo ad cognitionem confusam accidentis, abstrahendo ab hac, vel ab illa substantia, dummodo non sint accidentia copulata: vtraque inhærentia cùm accidente identificatur, nullum penitus additum dicens super illud, & hoc est esse, in quod omne accidens circuit: & est modus essendi accidentis, licet non sit de cõceptu quidditatiuo accidentis, quoniam conceptus accidentis abstrahit ab esse per se, vel in alio, & est natura cui debetur esse in alio, & cum non sit suum esse, quemadmodum & substantia, in genere potest intelligi, quo ad quid sit, ignorato an sit, ita & de accidente dicendum est. Sed hoc vltimum dictum, quod Dominicus de Flandria opinatur de aptitudinali inhærentia, quod non sit de conceptu quidditatiuo accidentis, omnino est absurdum: vnumquodque enim sicuti est, ita cognoscitur, est autem accidens natura cui debetur esse in alio, ergo habet essentialem dependentiam ad illud tale, sine quo non est cognoscibile. Amplius, inhærentia est modus essendi accidentis, vel intrinsecus, aut extrinsecus: si secundùm, tunc significat, quid superadditum naturæ accidentis, & erit respectus de genere ad aliquid, quod ipse negat, nam transcendentia non addunt aliquem gradum supra quiditates genericas, specificas, & indiuiduales. Si primùm admittitur, igitur importat quid identificatum cum natura accidentis, & tunc accidens absque eo non est intelligibile. Præterea, sicut substantia est natura cui debetur esse per se formaliter, licet effectiuè conueniat sibi esse ab alio, ita accidens est natura cui debetur esse in alio formaliter, & non superadditum, atqui ex seipso vt sic dependentiam habet ad substantiam. Vlterius, quælibet quidditas incompleta, & imperfecta, ex seipsa respicit, & habet dependentiam ad id, ex quo suum complementum sortitur, & perfectionem, vt patet de materia respectu formæ, & de commensuratione animæ nostræ ad corpus, est autem accidens quidditas secundùm quid, & perficitur in essendo, & cognoscendo ex subiecto, igitur ex se respicit illud. Sed inde prouenit deceptio, quoniam non fuit distinctum de actuali accidentis inexistentia, quæ ab eius essentia realiter distinguitur, cùm incompleta accidentis in se quidditate, quæ licet in abstracto quoadmodum significandi non significatur vt inhærens, est tamen quo ad rem significatam inhærens, sicut D. Tho. in eodem lib. & eadem lect. dicit, & affirmat. Quare aptitudinalis inhærentia, est de quidditatiuo conceptu accidentis, sine qua non est intelligibile, & si in 4. lib. sent. inesse accidentis modum eius expresserit, quia tunc de sanctissimo Eucharistiæ sacramento erat sermo, in quo accidentia sine subiecto remanent, & nouum modum essendi induunt, ob alterationes, generationes, & corruptiones, quæ in speciebus sacramentalibus apprehenduntur, idcirco inesse actuale accidẽtis, est eius modus intrinsecus, in ordine ad causam proximam, extrinsecus vero in ordine ad causam primam, quæ in genere causa efficientis effectum siue causa secunda conseruare potest: sed non ex hoc accidentis inesse formale mutatur, quia tunc non esset accidens, mutatur vero modus essendi, & de hoc verificatur inesse non dicit esse accidentis absolutè: & sic diuersimodè considerato inesse opposita S. Thom. protulit in Metaphys. & in sentent.

CONTRADICTIO VIII.

SANCTVS Thomas lib 8. Met. lect. 1. dicit, quod materia non est separabilis à forma secundùm rationem, & intellectum, cùm sit pura potentia in genere entium, & nonnisi in potentia ad formam apprehendi potest: quod etiam Philosophus lib. 1. Phys. dixit Materia secundùm proportionem, & analogiam ad formam cognoscitur, quod absque ratione non est dictum, cùm intelligibilitati actu ens subijciatur. Oppositum huius scripsit in Disputatis de verit. q. 3. art. 5. ad 3. quod materia prima, quamuis secundùm se considerata esse non possit, potest tamen secundùm se considerari, eo quod prius sine posteriori intelligi potest, & materia generatione præcedit formam, & quod per indifferentiam, ac successiuè respicit multa, abstrahit ab eis, & tunc intelligi non repugnat.

CONCILIATIO.

MVltæ, & quasi innumeræ, de materia extiterunt quæstiones, de eius essentia, de potentia, & de actu essendi, quæ omnia in tractatu de principijs naturæ absoluemus. Dicamus solummodo, qualiter ad actum intellectus materia se habeat, an respectu eius rationem obiecti mouentis, & terminantis habeat, & ab ipsa immediatè sit abstrahibilis species, qua intellectus operatione, proprius formetur conceptus; & si actu directo, vel reflexo; & an per speciem alterius: non parum enim difficultatis hæc examinare afferunt, nec absque nimia prolixitate contingit. Subijciatur ergo nobis cum Arist. lib. 7. Metaph. tex. 8. materiam per seipsam, neque quid, neque quantum, nec aliquid aliud quippiam dici, sed puram fore potentiam: quod clarius expressit lib. 8. Metaph. tex. 3. Materiam autem dico, quæ cum non quid actu sit potentia, est quodquid. Nec euadit aduersarius, distinguendo de potentia obiectiua, & subiectiua, vel de actu entitatiuo, & formali, siue de esse actu, in actu, & esse actus: & materia est actu, & in actu potentia subiectiua, & actus entitatiuus, non autem formalis: hoc enim voluntariè dicitur, quoniam omnis actus apud Arist. est primus, vel secundus, 2. lib. de anima tex. 4. & omnis potentia est actiua, vel passiua, lib. 9. Metaph. Quare huiusmodi distinctiones sunt extra scholam Peripateticam; cùm nullibi eas Phylosophus expresserit, secundùm communem Græcorum, Arabum, & Latinorum comentationē: quare vt sic, intelligibilitas per se materiæ repugnat; quod enim non est actu ens per se, intelligibile non est. Nec à materia nudè considerata species est abstrahibilis, quamuis vniuersalis sit in repræsentando, est tamen distinctè repræsentans, hanc vel illam quidditatem genericam, vel specificam. Nec materia per se, est determinatè actualis quidditatis: & ob id S. Tho. 1. par. q. 15. art. 3. ad 3. retractauit dictum alibi de Idæa materiæ primæ, in intellectu diuino, quia secundùm se non est cognoscibilis, & vt sic, quia materia non est creata sine forma, habet Idæam in Deo, non tamen aliam ab Idæa compositi: disconuenit enim ei secundū se esse, & per consequens intelligi: oportet enim quod per se intelligitur, esse distinctum, & actu quidditas. Et cùm intellectus noster intelligat, abstrahendo à singularibus, & materia est fundamentum naturæ, atque vltimum in genere substantiæ, vnius rationis, negatiuè in omnibus generabilibus, & corruptibilibus existens, Tunc quæritur, quid est illud quod abstrahitur, & à quo fit abstractio? semper enim eiusdem rationis materia, vt materia consideratur: quod si in re non est, determinatæ rationis, nec apud intellectum poterit distinctè repræsentari: repugnat ergo materiæ cognitio directa, quæ ad rem obiectiuè actu extra existentem terminatur, & directè nihil est in intellectu, quin prius non fuerit in sensu, & materia per se non cadit sub sensu; præuenit enim vt Philosophus dicit lib. 2. de gen. tex. 6. omnes naturas elementorum (nisi sit sermo de materia nigra, & informi, quam assignat Bernardinus Thelesius.) Sed mirum, quod materia actu existat affecta nigredine, sub colorato, quod est obiectum visus, & in aliqua parte vniuersi non sit locata, nec ab aliquo sit reperta. Quod si ipse Thelesius reperit ipsam; Dicat nobis, in qua parte sua magnæ Græciæ? quod si non reperit, & sensu attentauerit, quare sensui philosophari permisit? annuens modo rationi, quod sic suadeat: nisi se somniauerit quando de materia est philosophatus? Abeat ergo Thelesius cùm secta cucurbitantium. Dicamus ergo nos, cum Peripateticorum Principe, materiam per Analogiam ad formam cognosci, quoniam vnumquodque sicuti est, ita cognoscitur: substantia completa, per proprium genus, & propriam differentiam cognoscitur: accidens, siue simplex, siue copulatum, per subiectum, quoniam accidentis esse est inhærere: forma partis includit totum in sui diffinitione, vel id à quo in entitate completur: relatiuum diffinitur per correlatiuum: & tandem, cùm essentia, & quidditas materia sit potentialis, & in primo signo secundùm propriam entitatem suam incompletam, dicatur in ordine ad formam, propterea absque forma non est cognoscibilis. Vbi notandum, quod materia non est ens absolutum tantùm, neque ens respectiuum de genere relationis, sed medium quoddam inter ens absolutum & respectiuum, quia materia est substantia, vt dicit Arist. lib. 7. Metaph. & 8. sed per se habens esse determinatum, vel quod sit existens, sicuti est subiectum generationis, quod sub vtroque termino manet, & nonnisi propter formam habens esse, & idcirco est potentia ad actum ordinata. Nec dicas, materiam esse ens sub respectu: ordinatur autem secundum totum, id quod primo dicit ad formam, & idcirco nonnisi per formam cognoscitur: atqui

Materia vt materia semper eiusdē rationis consideratur.

Materia est medium ens, inter absolutum & respectiuum.

vt sic,

vt sic, conceptum proprium de materia in cognitione directa implicat haberi, vt patet ex supradictis. Quibus addes, quod in quacunque cognitione, siue præsupposita formæ conceptus cognitione, siue non præsupposita, nullus de materia in se conceptua haberi potest immediatè (vt patet) nec mediatè, quoniam non per speciem propriam, cùm non sit actualis quidditas, neque per conceptum formæ, cùm opponantur adinuicem in ratione actus, & potentiæ. & species siue habitus alterius contrarij oppositum eius nonnisi priuatiuè, vel negatiuè repræsentat. Quare cognoscitur materia, per speciem compositi substantialis, & de ipsa habetur conceptua interpretatiuus, siue arguitiuus, dum talè compositum nonnisi ex materia, & forma constitutum concipitur; & cùm compositum, cuius est esse propriè, fiat lib. 7. Metaphys. & substet vtrique generationis termino materia, sic arguendo de generatione compositi, & resoluendo ipsum in partes, interpretamur materiæ quidditatem, quæ sine forma vnquam existit, nec cognoscitur, licet interpretatiuè, & arguitiuè ad ipsius considerationem non primò deueniat intellectus. Et oportet sic esse; secus primo, vel secundo formando conceptum proprium de materia suæ quidditatis species apud intellectum est reponenda, sed habere speciem, vt dictum est, sibi repugnat, igitur &c. Et per hoc patet, quid sit dicendum ad contradictionem in dictis S. Tho. quod quæ in disputatis dixit, de conceptu arguitiuo, & interpretatiuo materiæ intelliguntur, cùm quo verificatur, quod materia in esse cognoscitiuo nunquam à forma denudatur, & eius conceptus arguitiuus, vel interpretatiuus, in conceptu compositi substantialis fundatur, & ab ipso oritur, & ad materiam in se, non præter ipsum terminatur.

CONTRADICTIO IX.

SANCTVS Th. lib. 9. Metaph. lect. 8. determinans cùm Philosopho, qualiter opus, vel operatio, aut vsus potentiæ sit actus, & finis potentiæ, inquit, quod quando per actionem potentiæ constituitur aliquod operatum, illa actio perficit operatum, & non operantem: vnde est in operato, sicut actio & perfectio eius, non autem in operante. Ex quibus verbis colligitur, de mente S. Th. actionem transeuntem, quia est perfectio passi, subiectiuari in passo formaliter, vt actio eius, & non tantùm materialiter, pro relatione & motu sumptam, aut concomitanter pro re acta. Oppositum huius affirmat in Disputatis de Potentia q. 7. art. 9. ad septimum, vbi ait, Actio ex eo quod actio, consideratur vt ab agente, inquantum verò est accidens, consideratur vt in subiecto agente. Et ibidem infra q. 8. art. 2. Cor. dicit. Nihil prohibet aliquid esse inhærens, quod non significatur vt inhærens, sicut & actio non significatur vt in agente, sed vt ab agente. Quæ verba repugnant his quæ in Metaph. scripsit.

CONCILIATIO.

DIfficilis admodum & ardua est quæstio, determinatè cognoscere, in quo actio transiens subiectiuatur in mouente, vel in moto, siue in agente vel in passo: Nequdum enim cùm cæteris, verum inter se altercantur Thomistæ, iniurijs primum se afficientes, & extra Doctoris sancti Scholam se facientes. Nos autem in tot tantisque diffidijs, malumus cùm Caietano circa hanc materiam errare, quam cùm cæteris plus sapere, quam oporteat sapere: & statuimus in primis, prædicamenta esse entia realia, atqui vt modi essendi reales realiter inter se distincti ponere id quod propriè addunt ad ens: & cùm omnium accidentium genera, id quod sibi commune est vendicent, videlicet inesse, quoniam accidentis esse est inesse, ex parte in ordinem dependentiam & transcendentalem respectum ad receptiuum dicunt, secus naturam accidentis subterfugerent. Quod vero singula accidentium genera præcisè important, aduenit eorum inesse, minimè vt superadditum, sicuti est modus intrinsecus, ac per hoc sex vltima genera, neque absolutum neque respectiuum tantùm, sed absolutum sub respectu dicunt; quod etiam Cap. lib. 2. sent. dist. 2. q. 1. defendit. Et oportet sic esse, quoniam accidentium genera conueniunt in vna ratione communi accidentis, cùm eius prædicationem in recto suscipiant, & distinguuntur rationibus proprijs: quare proprium & commune in ipsis est accipiendum, & illud commune oportet esse absolutum à termino, non autem à receptiuo; se-

Duo ante solutionē contradictionis prænotantur.

tio, secus vltima sex genera dicerent respectum, sub respectu, quod est ridiculum. His prænotatis, addo aliud, quod vt actio sit completa, isthæc omnia concurrunt: Agens quod, vt ignis calefaciens: potentia, qua potest agere, & præcedit actum 9. Metaph. tex. & concurrit vt instrumentum. Et quia de actione prædicamentali sermo est (quicquid sit de creatione & gubernatione respectu Dei) agente disposito & passo debitè approximato, antequam actu agat, oportet vt mediante potentia eliciat actum secundùm, qui est agere, & postmodum sequitur motus, cum potentia actiua sit principium transmutationis in alia, prout aliud est, 9. Metaph. tex. 2. qui motus subiectiuè recipitur in mobili lib. 3. Phys. & in termino motus consurgit completa relatio, inter agens, & passum, quia tunc perficiuntur adinuicem, præsertim quando agens, & passum sunt eiusdem ordinis: & patet in inchoato, exemplo de igne calefaciente aquam, qui habet potentiam calefaciendi, & elicit actum secundùm, dum approximatur aquæ, & postea motus alterationis subiectiuè in aqua recipitur, & tandem in fine alterationis, consurgit inter ea actiui & passiui relatio: & hoc affirmabat Philosophus lib. 7. Phys. tex. mouens & motum oportet esse simul: quod D. Thom. in doctrina sua, de mouente incorporeo, & mouente corporeo exponit, præsertim prima part. quæst. 8. art. primo. Cor. quare requiritur illa immediatio, vt ille actus secundus, inter potentiam, & motum, ac relationem, medius eliciatur, tanquam potentiæ perfectio, & id quo operatum producitur; non sufficit enim potentia absque actu secundo, ipsam determinante & specificante. Hinc D. Thom. pluries dicit, quod relatio paternitatis fundatur super genuisse, & relatio filiationis, super genitum fuisse: & constat, quod sunt relationes actiui, & passiui, & tamen non fundantur super potentiam generandi actiuè, vel passiuè, sed super illum actum secundùm, genuisse, vel genitum fuisse, quæ nec generatio cùm præuia alteratione, nec relationes sunt. Quare actio prædicamentalis (nisi proteruire velimus) distinguitur à potentia agentis, à motu, & à relatione, si Thomisticè incedere cupimus. Quod rõne adhuc conuincitur, eo q agens, ab actione denominatur agens. Nec sufficit denominatio extrinseca, aut principij à quo, quoniã potentia agendi realiter est in agente, & per consequens actus potentiæ, cùm finis potentiæ (vt modo sermo est de his quæ agunt per motum) sit actus, 9. Metaph. & vt sic est intrinsecus potentiæ, in ratione finis specificantis à priori, intrinsecè, tanquam id quod est eiusdem generis, sicuti actus & potentia sunt. Quod si actio fluit ab agente, tanquam ex principio à quo, peto ab ipsis, qualiter agens ad passum fundet relationem? non enim reperitur relatio sine fundamento, neque immediatè fundatur huiusmodi relatio in substantia, cùm non sit relatio identitatis: nec etiam in potentia agentis fundatur, quoniam inquit Phylosophus lib. 5 Metaph. tex. 20. Actiua vero & passiua, secundùm actiuam & passiuam potentiam, & potentiarum actiones, vtpute calefactiuum ad calefactibile, &c. Vbi nota (potentiarum actiones) vult enim ibi huiusmodi relatiuorũ fundamẽta explicare Philosophus, quæ sunt potentiarum actiones, præter potentias. Hæc satis sint pro nunc ad propositum nostrum, cùm in Metaphysicis quæstionibus quæsitum vndequaque absolnerimus, cùm Caetani defensione, ex quorundam calumnia. Quod si authoritatem S. Thom. præsertim lib. 9. Metaph. pro se afferunt, quod actio præter relationem, & motum, nihil aliud importat; Sciant D. Thom. prout opus erat de actione transeunte, fuisse loquutum, modo ex parte agentis, modo vero ex parte passi, & quandoque ex parte vtriusque: & primo modo dixit in disputatis, quod relatio est inhærens licet non sic significetur: secundo modo explicuit actionem in lib. 9. Metaph. quoniam de opere, qui est finis potentia, erat sermo, & idcirco in passo subiectiuari dixit; sed si ex parte vtriusq; consideremus actionem dixit lib. 1 sent. dist. 40. q. 1. ar. 1. Quædam sunt actiones, quæ transeũt in materiam exteriorem, & in talibus actio est recepta in eo, quod fit per modum passionis, secundùm quod motus est in moto, vt in subiecto, & in talibus est inuenire actionem in re agente, & passionem in patiente: & infra in eadem resp. ad primum inquit S. Thom. quod operatio agentis, quædam est vt transiens in effectum, & hæc propriè actio vel passio dicitur, & tali actioni semper respondet econuerso passio: vnde inuenitur calefactio actio, & calefactio passio: & loquitur ibi S. Tho. de actione Physica, quæ realis cùm sit, in aliquo agente, cum sit accidens, subiectiuatur, non autem in passo, quia non est actio passio, igitur in agente. Et per hanc distinctionem respondetur ad ea, quæ ex aduersarijs obijciuntur, falso opinantibus, præter relationem & motum nihil aliud actionem prædicamentalem significare; cui fundamento innixi, argumentantur contra Caetanum: immo patet, quid

Mouens & motum oportet esse simul.

Authoritas D.Th. adducta ab aduersarijs dissoluitur.

f sit dicen-

sit dicendum ad ea, quæ in contradictione sunt opposita, diuersimodè considerando actionem.

CONTRADICTIO X.

SANCTVS Thomas lib. 10. Meaphys. in principio, & in fine expositionis tex. 24. explicans post Philosophum, quomodo contraria se habeant ad hoc, quod differant genere, & specie, & in fine lect. 10. quod conuenientia in genere non sunt idem, aut diuersa specie, cùm ipso genere, ait, quod genus est materia: & verba Philosophi sunt, Nam materia negatione ostenditur, genus autem materia. Oppositum defendit supra lib. 7. Metaph. circa tex. 43. lect. 12. vbi probat, quod genus non est materia, quia genus prædicatur de eo cuius est genus, materia vero non prædicatur, non enim dicimus quod homo sit caro, aut os, &c.

CONCILIATIO.

SEd respondentes ad hanc apparentem, immo nullam contradictionem, neque in verbis Sancti Thom. dissonantiam dicimus, imo vtroque loco eandem doctrinam docere; nam lib. 7. dixit, licet idem secundùm nomen possit esse genus, & materia, non tamen idem eodem modo acceptum: & dat duplex exemplum, alterum de corpore quod potest accipi, ut materia animalis, & vt genus; si enim in intellectu corporis intelligatur substantia, completa vltima forma, habens in se tres dimensiones, sic corpus est genus, & species eius erunt substantiæ perfectæ, per has vltimas formas determinatas, sicut per formam auri, vel argenti, aut oliuæ, aut hominis: Si autem in intellectu corporis, non accipiatur nisi hoc, quod est habens tres dimensiones, cùm aptitudine ad formam vltimam, sic corpus est materia. Secundùm exemplum est de voce; si enim in intellectu vocis intelligatur ipsa vocis formatio in communi, secundùm formam, quæ distinguitur in diuersas formas literarum, & syllabarum, sic vox est genus; si autem in intellectu vocis accipitur solum, cui possibile est aduenire prædictam formationem, sic vox erit materia literarum. Libuit eadem verba Sanctis Thom. referre aduersus conciliantes, vbi non est contradictio, ex aduerso modo, vnum idemque considerando: Vnde D. Thom. lib. de ente & essentia, idipsum confirmãs inquit, quod animal consideratur dupliciter; Primò, vt indistinctè significat totum quod est in suis inferioribus, & sic significat totum, & prædicatur de illis vt genus: Alio modo potest significare inferiora, cùm præcisione differentiarum, & sic se habet per modum partis; & se habet vt materia: & homo componitur ex animali & rationali, tanquam ex materia & forma: & lib. 10. Metaphys. vbi supra dicit, quod genus est quodammodo materia, non autem quod sit simpliciter materia: & subdit, quod de genere nunc loquimur, quod in rerum naturis inuenitur, & non de genere quod in hominibus, vt est genus Romanorum &c. ergo nulla est contradictio. Vel dicamus cùm Philosopho lib. 10. Metaphys. Genus autem materia est; id est habet in suo abstracto conceptu consideratum, respectu differentiarum, & specierum, proprietatem materiæ, idest possibilitatem & contrahibilitatem: cæterum secundùm suam quidditatem consideratum genus, distinguitur omnino à materia, & de genere naturæ loquentes modaliter tantùm potest dici materia. Et ita nulla est contradictio, etiam in Philosopho, ne dum in D. Thom. prout in suo conceptu præciso negatiuè concipitur genus.

Anima dupliciter consideratur.

CONTRA-

CONTRADICTIONES D. THOMAE IN DOCTRINAM THEOLOGICAM.

CONTRADICTIO PRIMA.

SANCTVS Thomas, prima parte, quæstione prima, articulo primo dicit, præter Physicas disciplinas necessariam esse aliam doctrinam reuelatam, ad humanam salutem consequendam: hoc etiam voluit in prolog. 1. sent. quæst. 1. arg. 1. & primo contra gent. cap. 4. & 5. Huius tamen oppositum scripsit 2.2. q. 2. artic. 3. quod sola fides est necessaria ad salutem, quia ad hoc, vt homo perueniat ad beatitudinem supernaturalem, sufficit vt credat Deo. Hoc idem scripsit de Veritate, q. 9. artic. 10. ex sententia saluatoris nostri, apud Marcum, capite vltimo. Qui non crediderit, condemnabitur. Nec dici potest ad hanc contradictionem, quod idem intelligit per doctrinam, & fidem; tum quia doctrina fit ex præexistenti cognitione, vt habetur 1. Post. tex. 1. non autem fides; tum quia doctrina de qua loquitur in 1. Poster. est scientia, & sapientia, & argumentatiua, non autem fides: vnde acquiritur studio & labore, impediturque propter multiplicationem inutilium quæst. articulorum, & argumentorum, vt affirmat S. Thom. in prologo primæ partis, quæ omnia de fide dici non possunt: Vnde apparet in his dictis expressa contradictio.

CONCILIATIO.

QVidam soluentes hanc contradictionem, dixerunt S. Thomam, per doctrinam, in prima parte, intelligere cognitionem reuelatam à Deo, quæ cognitio, & dicitur doctrina, & disciplina, & non est præcisè scientia, neque fides, sed abstrahit ab vtrisque: & sic abstractiuè dixit in prima parte, talem cognitionem esse necessariam; secunda autem secundæ, voluit fidem esse necessariam, in qua fide clauditur doctrina Theologica, sicuti animal in homine: & sic nulla est contradictio. Sed pace istorum dixerim, per hanc solutionem non tollitur contradictio, quia omnis habitus cognoscitiuus reponitur sub aliqua specie specialissima, sed cognitio reuelata, abstracta à fide & scientia, non ponitur sub aliqua specie specialissima, puta sapientiæ, aut scientiæ, aut prudentiæ, vel artis, aut opinionis, igitur chimerica est talis cognitio reuelata, vt sic. Adde, quod S. Thomas hic per hunc terminum (doctrinam) intellexit illum habitum cognoscitiuum, quem probauit esse necessarium, vltra habitus naturali lumine acquisitos; hic autem habitus non est cognitio abstracta à ratione crediti, & sciti, vt patet ex probatione quam adducit S. Thom. ex verbis Apostoli secunda epist. ad Timoth. c. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum, ad iustitiam; scriptura autem diuinitùs inspirata non pertinet ad Physicas disciplinas, quæ sunt secundùm rationem humanam inuentæ, vnde præter Physicas disciplinas necesse est esse aliam scientiam diuinitus inspiratam. Vide quæso, quomodo S. Th. exponens seipsum, per doctrinam positam in titulo articuli, intelligit scientiam in probatione: non ergo cognitionem reuelatam abstractam, vt isti voluerunt. Propterea alij dixerunt, quod doctrina, & fides, non distinguatur realiter, sicut res à re, sed sunt vna res, & vna qualitas, & essentialiter idem, distinguuntur autem realiter, accidentaliter, per intrinseca connotata, importata in rationibus eorum, & de hoc habitu potest aliquid quæri in genere, prout est doctrina, & in specie prout est fides: Primo modo intellexit hic S. Thomas: secundo vero modo, secunda secundæ. Quibus stantibus, nulla apparet contradictio. Sed hæc, quæ isti dicunt, non sunt ad mentem S. Thomæ; tum quia falsum est, fidem & scientiam non distingui realiter, sicut res à re, cum fides possit esse sine Theologica scientia, vt patet in pueris & rusticis. Adde etiam, quia illi habitus sunt realiter distincti, qui habent obiecta realiter distincta, modo fides & scientia Theologica sunt huiusmodi, obiectum enim fidei, sunt principia, seu articuli; obiectum scientiæ sunt conclusiones,

ex illis deductæ, & quia principia & conclusiones sunt realiter distincta, ergo &c. Præterea docet S. Thomas, sacram doctrinam esse argumentatiuam, ex verbis Apostoli ad Titum, c. 1. de Episcopo amplectente eam, qui secundum doctrinam & fidelem sermonem potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere: fides autem non est argumentatiua, quomodo ergo doctrina sacra, & fides erunt vnus & idem habitus realiter? Ex quibus patet solutionem datam in genere, & in specie, ab istis non esse ad propositum, præsertim cum S. Thomas proposuerit, præter Physicas disciplinas esse necessariam aliam doctrinam, & non dixit aliam disciplinam, vt verbum verbo responderet. Doctrina autem duplex est, vt scripsit Sadoletus vir eloquentissimus 1. Poster. tex. 1. Altera, quæ ore docentis emanat, Altera verò, quæ librorum monumentis & lucubrationibus tradita praescribitur: hoc autem de fide dici non potest, cùm sit consensus non aquisitus, vt docuit Damas. 1. lib. fidei Orthod. c. 2. non ergo stare potest istorum responsio. Propterea pro salute veritatis, Sciendum est Primò, quod eadem cognitio potest dici doctrina, & disciplina sed diuerso respectu: nam vt est à Magistro docente discipulos dicitur doctrina, (est enim doctrina actus docentis) vt autem recipitur in discipulis à docente, dicitur disciplina: vnde doctrina & disciplina se habent, vt calefactio actiua, & calefactio passiua; & sic omnia misteria pertinentia ad nostram salutem ex parte Dei reuelantis, dicuntur doctrina; ex parte illorum, quibus facta est reuelatio, dicuntur disciplina. Secundò sciendum est, quòd à prima origine mundi, vsque ad legem scriptam Moysi, tradita fuit doctrina reuelata in Ecclesia, licet non scripto, sed verbo: & postquam Deus cæpit loqui Moysi, tradendo ei doctrinam, Moyses ipse tradebat populo, vt habetur Exodi 14. & Deut 6 Narrabis hæc &c. & Deut. cap. 32 Interroga patrem tuum, & dicet tibi, & maiores tuos & annunciabunt tibi; & Iob. 8. Interroga &c. & Psal. Quanta audiuimus &c. Tertiò est sciendum, quod aliquid est necessarium in aliqua Republica, quod nõ est necessarium singulis hominibus illius Reipublicæ; verbi gratia, in Republica Christiana sunt necessarij Prælati, non tamen est necessarium, vt omnes Christiani sint Prælati: sic etiam doctrina reuelata (supposita diuina ordinatione) est simpliciter necessaria in Ecclesia, pro eius conseruatione & salute, siue sit verbo, siue scripto tradita, non tamen est necessaria singulis hominibus: præsertim doctrina scholastica, quæ cœpit à tempore Magistri sententiarum, vsque ad nostra tempora. Fides verò, de qua loquitur S. Thomas 22. q 2 art. 3 est simpliciter necessaria singulis hominibus, ipsa enim est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium. His stantibus, nunc sedatur contradictio: quod in 1. par. S. Thomas loquutus est de doctrina necessaria in Ecclesia: 2. 2. autem locutus est de fide: cuius signum est, quod probat ipse conclusionem suam ex verbis Apostoli ad Hæbreos cap. 11. Sine fide impossibile est placere Deo: quæ verba de singulis hominibus intelliguntur, qui duo credere debent; Alterum, quod Deus est; Alterum verò, quod inquirentibus se remunerator sit: propterea subdebat, Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit: hæc duo credere necessarium fuit omni tempore à principio mundi, singulis hominibus volentibus consequi eorum salutem: Alia verò, vt Deum esse trinum, & vnum, & mysterium incarnationis, & cætera huiusmodi, non fuerunt omni tempore necessaria credere, sed prout Deus successiuè reuelauit: vnde sicut creuit explicatio fidei, creuit & extensio credendorum. Propterea notanter apposuit S. Thomas in titulo articuli; An credere aliquid supra rationem naturalem sit necessarium? scilicet singulis hominibus ad salutem &c. Et in tit. art. 1. par. ait, An sit necessarium præter Physicas disciplinas aliam doctrinam habere? scilicet in Ecclesia. Ex quibus patet solutio contradictionis &c.

Doctrina est duplex secundùm Sadoletum & cæteros.

Nota primo.

Nota secũdo.

Nota tertio.

Definitio fidei.

Quilibet homo duo debet reddere.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas dicit 1. par. q. 1. ar. 1. in resp. ad secundum argum. Theologia, quæ ad sacram Scripturam pertinet, differt secundùm genus, ab illa Theologia, quæ pars Philosophiæ ponitur. Oppositum huius habet 1. 2 q. 54 ar. 1. ad primum argumentum, vbi scribit, quod omnes illi habitus, qui sunt in eadem persona, sunt eiusdem generis, licet differant secundùm speciem: modo Theologia reuelata, & Theologia naturalis, sunt habitus existentes in eadem persona, scilicet intellectiua, igitur erunt eiusdem generis. Et augetur difficultas, quia vt ipsemet S. Thomas citat

Arist. 5. Metaphy. tex. 17. ibidem, Illa sunt diuersa genere, quorum materia est diuersa, sed Theologia reuelata, & Theologia naturalis versantur circa eandem materiam, quæ est Deus benedictus, igitur erunt eiusdem generis, & non diuersi.

CONCILIATIO.

Respondent aliqui ad hanc contradictionem secundam, distinguentes de genere, quod est duplex; Alterum remotum, vt substantia est genus remotum ipsius hominis, & leonis; Alterum verò est genus propinquum, vt animal. Qua distinctione stante, Volunt S. Thomam in prima parte loquutum fuisse de genere propinquo; in prima vero secundæ, de genere remoto: & sic existimant contradictionem esse nullam. Sed hi sic dicentes, meo iudicio, valdè hallucinantur: quia cum ambo isti habitus, nempe Theologicus, & Metaphysicus, reponãtur in prædicamento qualitatis, & in prima specie, sequitur, quod conueniunt tàm in genere remoto, quod est qualitas, quàm in genere propinquo, quod est prima species qualitatis: quæ quidem species non est specialissima, sed subalterna, vt exponunt Simplicius, Ammonius, & Boëtius, & præsertim Caietanus, qui ait, quod Arist. enumerauit species subalternas qualitatis, quando dixit, quod prima species qualitatis est habitus & dispositio; secunda, naturalis potentia & impotentia; tertia, passio & passibilis qualitas &c. Propterea alij dixerunt, Genus esse duplex; Logicum, & Physicum, & quod in prima parte loquutus fuerit Sanctus Doctor de genere logico; in pri. secundæ de genere physico. Sed nec ista responsio stare potest, quia genus logicum est genus prædicamentale, modò tam qualitas, quã habitus, prædicantur de Metaphysica, & de Theologia, igitur conueniunt in genere logico: ergo dictum Sancti Thomæ in prima parte, non potest intelligi de genere logico. Ob hoc alia est meditanda responsio. Pro cuius intellectu est sciendum, Primo, quod distinctio habituum est triplex; Alia numeralis, alia specifica, alia generica: prima sumitur à distinctione subiectorum, vt Theologia Scoti, & Theologia Diui Thomæ, distinguuntur numero, quia sunt in intellectibus numero distinctis: distinctio specifica sumitur ex distinctione rerum, vt scientia libri de Cœlo, & scientia de generatione, distinguuntur specie, non genere: tertia sumitur ex distinctione rationum formalium, vt physica & mathematica genere distinguuntur, quia habent distinctas rationes formales. Secundo est sciendum, quòd ratio formalis est triplex; Vna ex parte scientis, per quam sciens venit in notitiam obiecti; & hæc est species intelligibilis existens in intellectu scientis: Secunda est ratio formalis obiecti, vt res est, per quam insunt passiones ipsi obiecto, vt mobilitas est ratio formalis subiecti physicæ, entitas subiecti metaphysicæ, Deitas subiecti Theologiæ; Tertia est ratio formalis obiecti, in ordine ad habitum, & denominat obiectum, vt obiectum est, & est diuersa abstractio, vt in philosophia naturali, est abstractio à materia sensibili particulari; in metaphysica ratio formalis est abstractio à materia sensibili & intelligibili. Has rationes formales vocauit Auerr. 60. metaphys. com. 2. diuersos modos diffiniendi: hinc in definitione naturalium accipitur natura, in diffinitione diuinorum Deus, in definitione voluntariorum voluntas. Tertiò est sciendum, quod genus est duplex. Alterum genus rei, quod quidem non est materia, sed est simile materiæ, vt scripsit Auerr. primo metaphys. com. 17. quia sicut materia contrahitur & perficitur per formas, ita genus per differentias; Alterum verò dicitur genus scibile, vt ens mobile abstractum à materia sensibili particulari, dicitur genus scibile physicum; ens quantum, abstractum ab omni materia sensibili, est genus scibile in mathematica; ens abstractum ab omni materia sensibili, & intelligibili, est genus scibile in Metaphysica; ens scibile Theologicum est genus in Theologia. Istis sic iactis, nunc sedatur contradictio: quod quando ait S. Thomas, Theologiam & Methaphysicam distingui genere, loquitur de genere scibili: quando verò affirmat omnes habitus existentes in vna potentia esse eiusdem generis, loquitur de genere rei: Quod manifestum fieri potest ex titulo quæsiti, vbi dicitur, num diuersi habitus possint esse in vna potentia? & concludit, quod sic, quia Physica, Mathematica, Moralis, Metaphysica, & Theologia, sunt habitus distincti secundum genus scibile, & tamen sunt in vno intellectu, tanquam in vna potentia: idcircò necesse est intelligere omnes hos habitus, eiusdem generis, rei subijcibilis, & prædicabilis. Et sic etiam soluitur confirmatio contradictionis, quod Metaphysica & Theologia versantur circa eandem materiam, quæ est genus rei, non autem genus scibile, & speculabile. Ex his patet responsio ad formam contradictionis.

Distinctio habituũ triplex.

Ratio formalis triplex.

Genus est duplex, rei, & scibile.

CON-

CONTRADICTIO III.

DOCTOR Angelicus vult prima parte quæst. 1. ar. 2. Sacram doctrinam esse scientiam: cuius oppositum dicere videtur in prologo primi sent. quæst. 1. art. 3. quia cum sacra doctrina sit habitus infusus, & reuelatus, scientia esse non potest, quandoquidem scientia per studium acquiritur.

CONCILIATIO.

HÆc contradictio turbauit mentem plurimorum Theologorum, ita vt traheret ipsos in diuersas opiniones; vnde Scotus cum suis sequacibus absolute negauit, ipsam Theologiam esse scientiam, quia Arist. primo post. text. 5. vult ad rationem scientiæ quatuor concurrere, videlicet, vt sit de cognito necessario, causata à causa euidente, intellectui applicata ad cognitum, per discursum syllogisticum, quia dixit, Scire est, rem per causam cognoscere, quæ illius est causa &c. & cum hæc non conueniant Theologiæ, potius erit dicenda fides acquisita, quam scientia. Alexan. Alen. 1. par. summ. q. 1. memb. 1. tenet esse sapientiam, quia perficit animam secundum affectum, mouendo ad bonum, per principia timoris & amoris. Albertus Magnus, quem sequutus est Henricus Gandauensis. vult esse scientiam. Marsilius in prologo q. 1. ait, esse scientiam, non absolute, sed per attributionem ad veram scientiã. Durandus in prologo q. 2. & Gregorius, eam volunt non esse scientiam propriè sumptam, sed impropriè. Thomas Argentina q. 2. narrat duas opiniones in prologo: quarum prima distinguit Theologiam esse triplicẽ: Primam, qua docentur, quæ sunt in scriptura, & talis est fides; Aliam, qua defenduntur ea, quæ habentur in scriptura, & talis dicitur defensiua; Tertiam, qua deducuntur conclusiones sacræ scripturæ ex articulis fidei, & talis Theologia dicitur elicitiua; modo nulla istarum Theologiarum potest vera dici scientia. Secundam opinionem narrat, quæ vult Theologiam esse scientiam consequentiarum, seu consequentium, & non rerum. Tandem ipse, ex propria opinione, asserit Theologiam esse verè scientiam; non tamen sicut natura rei scibilis patitur, sed sicut natura scientis. Antonius Andr. in recognitione, quam habet super quatuor lib. Scoti, ait, quod Theologia in se, vt est in intellectu Dei, est verissima scientia quantũ ad aliquas conditiones, & sic est Theologia beatorum, non tamen Theologia viatorum; distinguit etiam de Theologia necessariorum & contingentium: & tandem concludit, non esse veram scientiam. Sic etiam tenet Franciscus de Mayronis, Ricardus, Ioannes Maior, Nicolaus de Nisso, & multi alij. S. vero Thomas, in Disputatis de Veritate, dicit Theologiam esse scientiam imperfectam. Propterea, vt sedetur contradictio, Sciendum est primò, quod Theologia dupliciter considerari potest; Vno modo secundum se, & absolutè; & sic est euidentissima scientia, quia est de his, quæ sunt maximæ veritatis & euidentiæ; Alio modo potest considerari, prout est in nobis viatoribus, & sic potest etiam dici, quod sit scientia, sed non ita perfectè vt primo modo, & hoc non ex defectu rerum scibilium, sed potius viatorum. Secundò est sciendum, quod scientia est duplex; Altera subalternans, vt Geometria; Altera subalternata, vt scientia perspectiua; Theologia, vt est in nobis viatoribus, non est scientia subalternans, sed subalternata scientiæ Dei, & beatorum, in qua articuli fidei, qui sunt principia Theologiæ viatorum, sunt euidentes & certissimi. Tertio sciendum est, quod Theologia viatorũ potest dupliciter considerari; Vno modo respectu principiorum, & sic est habitus infusus & reuelatus, quemadmodum cognitio principiorum in scientijs naturaliter inuentis, dicitur habitus principiorum à natura; Alio modo respectu conclusionum deductarum ex articulis fidei, & talis cognitio non est habitus reuelatus, sed acquisitus per studium & laborem: & sic loquutus fuit S. Thomas prima parte, quod talis habitus est scientia, primo modo loquutus fuit, primo sent. Et in hac decisione conueniunt omnes Thomistæ, & Cap. & Caiet. & Siluest. & Chrisostom. Iauellus, & Dominicus Bannes in expositione huius articuli, vt clarius est videre apud illos.

Quatuor ad rationẽ scientiæ concurrũt

Notandũ primo Theologiã dupliciter considerari posse.

Notandum secundo Scientiã esse duplicem.

Notandũ tertio Theologiã viatorum dupliciter considerari.

CON-

CONTRADICTIO IIII.

SANCTVS Doctor prima parte quæst. 1. art. 5. in corpore: & secundo contra gent. c. 4. dicit Theologiam esse digniorem omnibus scientijs. Oppositū huius docet 2. sent. dist. 24. & primo metaphys. lect. 3. vbi asserit, Metaphysicam esse digniorē cunctis alijs scientijs, quandoquidem ipsa Metaphys. dirigit omnes scientias, vt ratio superior dirigit inferiorē: & primo post. lect. 1. loquens de ipsa logica, affirmat, quod est dignior cæteris scientijs, cum sit ars artiū, & scientia scientiarum: quibus in locis aliqua discrepantia esse videtur.

CONCILIATIO.

RESPONDENDO dicimus, quod si quis rectè contempletur mentē S. Doctoris in his locis, nulla apparet contradictio, quia prima par. & 2. contra gent. loquitur comparando Theologiam ad omnes scientias humanitus inuentas includendo etiam Metaphysicam, & Logicam, & sic dicit, quod theologia transcendit omnes, tum propter dignitatem subiecti, de quo considerat, quod est ipse Deus; tum propter certitudinem diuini luminis, quod errare non potest, sicut lumen humanæ rationis; tum propter altiorem finem, ad quem Theologia ordinat suam considerationem: nam scientiæ humanitus inuentæ, considerant res suas secundum illa, quæ conueniunt eis ex propria natura, sicut igni ferri sursum, & quod substantiæ conuenit subijci accidentibus: *Theologia in quo ab alijs scitijs differt.* Theologia verò considerat res suas, prout referuntur ad Deum, & prout in eis relucet diuina omnipotentia, sapientia, & gloria: vnde theologia primò considerat Deum, & deinde alias res: & ex hoc etiam sequitur, quod sit perfectior, quia similior cognitioni Dei, qui seipsum cognoscens alia intuetur: propterea de ea dicitur Deut. cap. 4. Hæc est sapientia vestra, & intellectus coram populis: Metaphysica verò est nobilior alijs scientijs inferioribus ipsa; in quibus verbis non clauditur Theologia, quia theologia est etiā præstantior ipsa Metaphysica. Et hoc voluit S. Thomas 2. sent. dist. 24. art. 2. in resp. ad 4. argumentum, vbi ait, quod diuersitas regulantis, & regulati, nō demonstrat diuersam potentiam, sed diuersum habitum: vnus enim habitus est regulatiuus alterius, sicut patet in scientijs speculatiuis, quod metaphysica, quæ est sapientia, dirigit omnes scientias, *Vnus habitus est regulatiu' alterius.* & sapientias, scilicet in genere rerum humanarum; & hoc pacto ratio superior inferiorem dirigere dicitur: quod latius ostendit Alex. Aphrodisæus in prologo 1. Metaphys. vbi assignat conditiones; quibus Metaphysica, sapientia dicitur & nominatur. Logica verò dicitur etiam nobilior alijs scientijs, non ratione materiæ consideratæ, aut certitudinis, aut finis, sed quia est adminiculum quoddam scientiarum, habens viam cognoscendi earum principia, hinc dicitur excellentior cæteris scientijs vsu sui subiecti, & applicationē eius ad acquirendum alias scientias &c.

CONTRADICTIO V.

SANCTVS Thomas prima parte, quæst. 1. arg. 5. in respon. ad secundum arg. ait, quod scientia imperat alijs scientijs, & vtitur eis tanquā inferioribus & ancillis. Oppositū huius dicere videtur prima 2. quæst. 17. art. 1. in corpore, quod imperare est actus rationis, & non scientiæ, quia imperans ordinat eum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vel denunciando; sic autem ordinare per modum cuiusdam intimationis, spectat ad rationem; vti quoq; pertinet ad voluntatem, & non ad scientiam, vt docet ipsemet S. Thomas p. 2. q. 16. art. 1. de mente Aug. 10. de trinit. cap. 6. Vti est assumere aliquid in facultate voluntatis. Vnde contradicere sibi videtur in his dictis.

CON-

CONCILIATIO.

AD rationem imperij tria concurrunt, ſcilicet, ordinatio, intimatio, & motio: quando præcipitur aliquid à Prælato, vt puta ſilentium: ordinatur aliquis, vt non loquatur, & intimatur hoc ei, & mouetur ad hoc ab imperante: ordinatio autem, & intimatio ſpectat ad rationem, tanquam ad principium directiuum, quo ad eſſe rei imperatæ; motio autem ad voluntatem: & hinc eſt, quod actus rei imperij, componitur ex eo, quod eſt intellectus, & ex eo, quod eſt voluntatis, ideo in imperando voluntas concurrit, vt ſuprema potentia, vt primum mouens ad exercitium: intellectus verò vt ordinatiuus, & intimatiuus; & quia intellectus eſt etiam ratio, (cum non diſtinguantur realiter) propterea dicitur, quod imperium eſſentialiter eſt actus rationis, vt ſcripſit Gregorius Niſſenus in Homilia de Epiphan. quod appetitus: obedit rationi: ponitur etiam in intellectu, ſapientia, ſcientia, prudentia & ars: hinc ad omnes hos habitus aliquo modo ſpectat imperium, quia imperare eſt regere, & gubernare, & regere eſt opus ſapientiæ, iuxta illud, Per me Reges regnant, & legum conditores iura decernunt: ad ſcientiam quoq; ſpectat imperare, quo ad bene eſſe rei ſcitæ, vt ſcita eſt: & hinc Theologia reuelata dicitur imperare omnibus alijs ſcientijs, tanquam principalis omnium. Dicitur etiam vſualis, quia vtitur omnibus ſcientijs in obſequium ſui, vt patet in omnibus artibus ordinatis, quarum finis vnius eſt ſub fine alterius; ſicut finis pigmentariæ artis, quæ eſt confectio medicinarum ordinatur ad finem medicinæ, quæ eſt ſanitas, vnde medicus imperat pigmentario, & vtitur pigmentis ab ipſo factis ad ſuum finem: ſic etiam cum finis omnium ſcientiarum ſit infra finem ſcientiæ theologicæ, & ordinetur ad ipſum, ſcientia theologica debet omnibus alijs ſcientijs imperare, & vti eis tanquam ancillis, reſpectu eorum, quę in eis traduntur. Ex his etiam apparet, quomodo imperare attinet quoq; ad prudentiam, qua reguntur, & gubernantur opera humana; quomodo etiam ars gubernatoria, ad quam ſpectat vſus nauis, qui eſt finis nauis, & dicitur architectonica reſpectu nauis factiuę, quæ ei famulatur; ſic & equeſtris reſpectu freni factiui &c. vnde apparet manifeſtè quomodo imperare ſpectat ad ſcientiam, & rationem, & voluntatem, ad quam ſolam ſpectare non poteſt niſi apud illos, qui dicunt, ſic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.

Scientia Theologica omnib. alijs ſcientijs vtitur, & ipſis imperat.

CONTRADICTIO III.

DOCTOR Angelicus, loquens de ſubiecto totius Theologiæ, p. p. q. 1. art. 7. conſtanter affeuerat, Deum benedictum eſſe ſubiectum huius ſcientiæ. Oppoſitum huius expreſsè habet 1. ſent. in prologo q. 1. ar. 4. vbi narrat, tres opiniones Theologorum de ſubiecto Theologię. Quidam dixerunt, Deum eſſe ſubiectum: quidam opera reſtaurationis: quidam ens credibile. Quibus reprobatis, affirmat ipſe, quod ens diuinum cognoſcibile per inſpirationem, eſt ſubiectum theologiæ: & aſſignat rationem, quia hoc comprehendit omnia ſupradicta. Vide apertam contradictionem, quod enim affirmauit in ſententijs, negat hic.

CONCILIATIO.

DIcunt aliqui reſpondentes ad hanc contradictionem, quod S. Thomas in primo ſent. loquutus eſt, vt Baccalaureus, ſecundum opinionem aliorum, quibus noluit derogare; in prima autem parte loquutus eſt ſecundum propriam ſententiam, & vt Doctor & Magiſter Theologiæ. Sed hæc reſponſio ſtare non poteſt, quia ſi S. Thomas loquutus fuiſſet ad mentem aliorum, non impugnaſſet ipſos, modò videmus quòd ipſe impugnauit omnes alios, & propoſuit nouam opinionem, igitur non valet iſtorum reſponſio. Quod autem impugnat aliorum ſententias, patet ex verbis eius, ait enim ipſe, Quia ſubiectum habet ad ſcientiam ad minus tres comparationes; Prima eſt, quod quacunq; ſunt in ſcientia, debent contineri ſub ſubiecto: vnde conſiderantes hanc conditionem, poſuerunt res & ſigna eſſe ſubiectum huius ſcientiæ; & hæc opinio eſt Mag. ſent. ex Aug. cap. 1. de doctrina Chriſtiana, vbi dicit, Omnis doctrina, vel eſt

Subiectum ad ſcientiam habet tres comparationes. Prima.

rerum,

rerum, vel signorum: narrat secundo opinionem Cassiodori super psalmistam, vbi vult, quod Christus Dominus tanquam caput cum membris est subiectum. Secunda comparatio est, quod subiecti cognitio principaliter attenditur in scientia: vnde quia ista scientia principaliter est ad cognitionem Dei, posuerunt Deum esse subiectum; & hanc sententiam sequuntur Arabes, inter quos fuit Alpharabius. Tertia est comparatio, quod per subiectum distinguitur scientia ab omnibus alijs, quia secantur scientiæ, quemadmodum & res, vt dicitur in tertio de anima tex. 58. & secundùm hanc considerationem posuerunt quidam, credibile esse subiectum huius scientiæ: hæc enim scientia in hoc differt ab omnibus alijs, quia per inspirationem fidei procedit; & hanc opinionem sequitur D. Bonauentur. in prologo quæst. 2. vbi dicit, quòd propriè loquendo, credibile est subiectū in theologia. Quidam autem posuerunt opera restaurationis; & hanc sententiam docuit Hugo de Sancto Victore, vt scribit Alex. Alens. prima par. q. 1. membro 3. Demum S. Thomas omnes has quinq; opiniones recitatas improbat, assignando sextam, tanquam propriam, dicens: Si autem volumus inuenire subiectum, quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quod ens diuinum cognoscibile, per inspirationem, est subiectum huius scientiæ: vide quomodo non sequitur opiniones aliorum, sed propriam suam. Propterea alij dixerunt subiectum esse duplex; Alterum materiale; Alterum verò formale: & quod in prima parte loquutus est de subiecto formali, in primo autem sent. de subiecto materiali. Quæ, etiam responsio stare non potest, quia in secunda comparatione erat opinio Arabum, asserentium Deum esse subiectum in Theologia, & hanc inter alias impugnat, & Deus per istos est subiectum formale; ergo impugnat opinionem de subiecto formali, non autem materiali Nec valet, quod dicit Dominicus Bannes Hispanus, p. p. q. 1. ar. 7. quod S. Thomas in sententijs sequebatur opiniones vulgares scholasticorū, quia quinq; opiniones impugnauit, & nouam, vt propriam adduxit. Præterea, quando Doctores assignant subiectum proprium in scientia, loquuntur de subiecto formali, & non materiali, vt patet apud Thomam Argentinam q. 1. prologi, tenentem subiectum Theologiæ esse verum summè diligibile, vt proportionatum est rationali animæ, nondum perfectæ per habitum luminis luminis gloriæ: & apud Henric. Gand. asserentem Deum esse subiectū, sub ratione absoluta, & abissali suæ infinitæ Deitatis: & apud Guilhelm. Varr. in prolog. q. 6. ponentem, Deum sub ratione qua bonus, quæ est ratio accidentalis: apud Ægidium quoq; lib. 3. ponitur, Deus sub ratione redemptoris, vel glorificatoris, quæ est ratio respectiua. Apud Scotum q. 2. ponitur Deus, sub ratione propriæ essentiæ, & quidditatis, tam in theologia in se, quam Beatorum, & viatorum. Apud Dur. ponitur actus meritorius, Apud S. Thomam ponitur Deus, sub ratione Deitatis, essentialiter, vel participatè. Omnes isti Doctores loquuntur de subiecto formali, & non materiali. Propterea oportet alterum istorum dicere, ad hoc vt tollatur contradictio, vel quod S. Thomas retractauit se hic de eo, quod dixit in primo sent. quod non est inconueniens, cum hoc Authores grauissimi fecerint, vt patet de Augustino lib. retractationum; & ipsemet S. Thomas expressè in quibusdam locis se retractauit, vt habetur 3. p. q. 70. art. 4. vbi loquens de circumcisione ait, quod quidam dixerunt, quod in circumcisione conferebatur gratia, sed non ad implendum mandata legis, quod etiam aliquando mihi visum est: Deinde subdit, Sed diligenter consideranti apparet, hoc non esse verum; ideò aliter dicit, quibus apertè se retractat; Et ideò non est inconueniens dicere, quod hic etiam implicitè se retractat; vel quod loquatur hic de subiecto primo, primitate principalitatis, & in sententijs de subiecto primo, primitate adæquationis. Additur & subiectum primum, primitate attributionis, & tale est Christus Dominus, vt Saluator: quemadmodum in Logica principale subiectum est, demonstratio; adæquatum, ens rationis; attributionis, syllogismus: & in Physica subiectum principale est, primus motor; adæquatum ens mobile; attributionis, corpus mobile: & in Metaphysica principale subiectum est, genus abstractorum; adæquatum, ens in quantum ens; attributionis, substantia; de qua re latius egimus in nostris dilucida: Metaphys.

Secunda.

Tertia.

Opinio vna D. Thomas

Caiet.

Grauissimi Doctores sæpissime se retractauerunt

CONTRADICTIO VII.

SANCTVS Thomas prima parte loquens de esse Dei, dicit Deum esse, est per se notum, & non est articulus fidei, sed præambulum quoddam ad articulos fidei. Cuius oppositum scripsit 2. 2. quæst. 16. art. 1. in corpore, vbi ait, Deum esse, est primum & principale inter omnia credibilia; si igitur connumeratur inter credibilia, ergo inter articulos fidei, ergo non est per se notum.

CONCILIATIO.

QVatuor ventilantur opiniones circa hoc. Prima est Rabi Moysis 3. lib. de misterijs Ægyptiorum cap. 3. volentis Deum esse, sola fide teneri, & esse articulum fidei, quia vt habetur Deut. 20. Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est. Hoc etiam scripsit Apostolus ad Hæbreos c. 11. Accedentem ad Deum credere oportet, quia est. Secunda opinio est Damas. lib. fidei ortho. c. 1. asserentis oppositum primæ opinionis, quod Deum esse, non est articulus fidei, quia cognitio eius est nobis naturaliter impressa: quam opinionem sequutus est Anselmus lib. Monolog. cap. 4. & Aug. lib. 1. Soliloquiorum; vbi ait, Si veritas non est &c. & Vgo lib. 1. c. 25. de sacramentis part. 3. vt recitat Alex. Alens. p p. suæ summæ. Tertia est opinio Boetij lib. de Heb. distinguentis aliquas propositiones esse per se notas omnibus, vt Omne totum est maius sua parte; aliquas verò apud sapientes tantū, vt in corporalia non sunt in loco, & Deus est; propterea Dauid in Psal. protulit, Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: quia diuina essentia ab insipiente potest ignorari, & cogitari, non esse. Quarta est opinio S. Thomæ hic, & primo sent. & primò contra gentes cap. 11. & in Disputatis de Vero; quā communiter sequuntur Doctores scholastici, vt Ægidius, Thomas de Argent. Durandus, asserentes, quod Deum esse est per se notum secundum se, quia prædicatum est de intrinseca ratione subiecti; & tunc est, quod cognita natura Dei, statim intelligitur ipsum esse, non tamen est per se notum nobis, quia de his, quæ sunt nobis per se nota, nullus dubitare potest, neq; oppositum opinari: modò fuerunt non nulli, qui dubitarunt & contrarium tenuerunt, vt scripsit Cicero de natura Deorum, de Protagora; & D. Aug. lib. 3. contra Petilianum, qui dicebatur Atheus, id est negans Deum. Quibus stantibus, dicitur ad punctum contradictionis, quod vtrumq; dictum stare potest: in p. enim p. dixit S. Thomas, quod Deum esse, & alia huiusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, vt dicit Apostolus ad Rom. cap. 1. non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos fidei, id est priora articulis, vt credantur à nobis, quia fides supponit naturalem cognitionem, sicut gratia supponit naturā: in 2. 2. autē dixit, Deus est remunerator eorum, qui quærunt ipsum, est primum & principale inter omnia credibilia, quo supposito, humana mens Deo subijcitur, & dantur ei præcepta de alijs credendis: ad hanc enim veritatem, quod humana mens subijciatur Deo remuneratori, nulla scientia speculatiua attingere potuit, & ideo sola fide tenetur. Est igitur verissimum, Deum esse quod sit per se notum, & quod Deus est vnus remunerator sit articulus fidei, inquirentibus eum &c.

CONTRADICTIO VIII.

SANCTVS Thomas prima par. quæst. secunda ar. secundo ad secundum argumentum dicit, quod quæstio quid est, sequitur ad quæstionem an est. Oppositum huius docuit 3. lib. senten. dist. 24. quæst. vnica. ar. primo, ad secundum arg. vbi clarissimè ostendit, quæstionem quid est, esse principium demonstrandi, quæstionis an est simpliciter, & quia est. Si ergo quæstio quid demonstrat quæstionem quia, quomodo sequitur eam? & si ipsam sequitur, quomodo erit principium demonstrandi illam? vnde in his locis apparet manifesta contradictio.

CONCILIATIO.

Nisi dicamus cum Arist. 2. post; quod quæstiones sint æquales numero his, quæ verè scimus ordinatè per artem demonstratiuam: & quia quatuor tantum scimus per artem demonstratiuam; vnum scilicet formaliter, scilicet inhærentiam passionis in subiecto; aliud scimus concomitanter, vt propter quid tale accidens inhæreat subiecto; tertium elicitiuè, puta quid est subiectum; quartum suppositiuè, seu antecedenter, scilicet subiectum esse, quia omnis quæstio est quæstio medij: aut ergo est ipsius medij absolutè, aut medij inferentis; si primo modo, aut quærit de entitate, & sic datur vna quæstio dicta an est, & est prima: aut quærit de quidditate, & sic est quæstio, quid est, & dicitur secunda: si verò erit quæstio medij inferentis, vel quærit de causa inhærentiæ passionis ad subiectum, & sic est quæstio propter quid; vel est de ipsa inhærentia, & sic est quęstio quia est. Quibus stantibus dicitur, quod quęstio de quidditate, sequitur quęstionem de entitate subiecti; & hoc voluit p. p. sed 3. sent. loquitur de inhęrentia ad subiectum, & sic quæstio quid, est principium demonstrandi, quęstione an est simpliciter, & quia est, scilicet ipsius passionis. Et ex his tollitur contradictio. Vel dicamus, quod duplex est quęstio Quid; nempe altera quid rei; altera verò quid nominis: prima sequitur quęstionem an est, secunda verò antecedit, præsertim quando demonstratur causa per effectum, in qua re oportet vti effectu loco diffinitionis causę; & hoc maximè contingit in Deo, quia ad probandum aliquid esse, necesse est accipere Quid, si significet nomen, nomina autem Dei imponuntur ab effectibus, vnde demonstrando Deum esse per effectum, accipimus pro medio quid significet hoc nomen Deus.

Quatuor scimus per artē demonstratiuam.

Quæstio quid duplex, quid rei, & quid nominis.

CONTRADICTIO IX.

In solo Deo, esse & essentia, suppositum & natura, sunt idem realiter, scripsit S. Thomas p. p. quęst. 3. art. 3. & 4. & multis alijs locis habet istam propositionem tamquam famosam, quia Deus est purissimus actus, & simplicissimus; & ideò est sua Deitas, & sua vita. Oppositum huius docuit primo sent. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad tertium argumentum, vbi dicit, quod in simplicibus, cum nulla sit additio secundum rē, non est realis differentia naturæ vt sic, significatæ ad personam, sed solum quantùm ad modum significandi: & in disp. de potentia Dei q. 9. art. primo, in fine corporis art. ait, In substantijs immaterialibus, essentia & persona est omninò idem secundum rem, & differt tantum ratione &c.

CONCILIATIO.

Diuersimodè Thomistæ soluunt istam contradictionem. Aliqui enim dicunt, quod in supposito materiali duo includuntur, quo ad eius rationem, quæ sunt extra essentiam, scilicet principia indiuiduantia, & omnia accidentia, etiam non indiuiduantia: de ratione enim personæ est comprehendere omnia, quę sunt in re, & eadem ratio est de supposito: in supposito autem immateriali sunt quidem accidentia, sed non principia indiuiduantia: si ergo loquamur de supposito, quantùm ad essentiam suam, & illa accidentia sola, quæ essentiam limitant, & designant; sic in rebus materialibus differt natura & suppositum, sed non in spiritualibus, siue simplicibus, quia illa indiuiduantur per se ipsa, cum sint aliqua talia accidentia: si vero loquamur, quantùm ad essentiam, & accidentia, absolutè etiam, quæ non indiuiduant, sic in omnibus creatis differt natura & suppositum, & in solo Deo sunt idem, quia in eo nullum est accidens, in creatis verò quibuscunq; est aliquod accidens inuenire. Aliqui verò dicunt, quod in substantijs materialibus suppositum & natura distinguuntur realiter, intrinsece & extrinsece, & secundum rationem, vt Sortes, & humanitas; in substantijs verò spiritualibus distinguuntur suppositum & natura, non intrinsecè, sed extrinsecè, secundum rem, & secundum rationem, vt Gabriel, & Gabrielitas; in Deo verò sunt omninò idem secundum rem, non tamen secundum rationem, Deus enim & Deitas sunt idem realiter, sed non ratione; & hinc fit, vt hæc sit vera, Deus generat; hæc autem hæretica, Deitas ge-

rat. Sed isti sic dicentes aduersantur sibi ipsis, hic & in 3.p.q.4.ar.2. vbi disputant de personalitate Angeli, quomodo addit aliquid perfectionis supra naturam ipsius angeli: Primi verò, nihil applicant ad rem ipsam. Propterea alij dixerunt, quod in rebus simplicibus alijs à Deo, suppositum distinguitur realiter à natura, quia suppositum in eis dicit naturam & subsistentiam, & complementum personale, sed natura (puta Angeli) dicit tantum formam, qua Angelus est: vnde ista propositio est falsa, Angelus est sua essentia, quia aliquid reale includitur in subiecto, quod nullo modo, nec formaliter, nec virtualiter continetur in prædicato. Sed isti nihil de nouo dicere videntur, sed coincidunt cum secundis. Propterea aliter philosophandum mihi videtur, quia Arist. 3. de Anima tex. 9. & septimo Metaphys. tex. 20. & 41. disputat hoc quæsitum, & determinat, quod solum in entibus per accidens, quod quid est distinguitur ab eo cuius est, in omnibus entibus per se sunt idem: quod intelligendum est, logicè, quia definitio & definitum sunt idem in genere, & in specie; in particulari verò aliud est magnitudo, & magnitudinis esse. Metaphysicè etiam loquendo in materialibus distinguitur, quod quid est, ab eo cuius est, quia ipsum quod quid est constituitur ex prædicatis substantialibus; id cuius est, quod est suppositum, claudit existentiam & prædicata accidentalia, propterea distinguuntur in rebus materialibus; in rebus autem immaterialibus secundum Auer. ponentem ipsos actus puros, sunt penitus idem; & est vulgata propositio apud Auerroistas, vt scribit Zimarra in theoremate 39, In conceptis cum materia, aliud est quodquid, est ab eo, cuius est; sed theologicè loquendo in solo Deo sunt idem: quia cum omnis natura creata sit assumptibilis, etiam natura Angelica, vt disputant Sententiarij, 3. sent. dist. 2. præsertim Gabriel, Marsilius Almainus; suppositum autem est inassumptibile, propterea in omnibus creatis distinguitur suppositum & natura. Et quando S. Thomas dicit aliquando, quod in simplicibus natura & suppositum sunt idem, loquitur secundum suum genus, hoc est in genere simplicium, & substantiarum separatarum, est vnum, scilicet Deus, in quo suppositum & natura sunt idem; & hic modus loquendi est familiaris Philosophis, vt patet 7. Metaphys. texta 4. de substantia, quæ est prior accidente tempore: quæ propositio intelligitur secundum suum genus; in genere enim substantiarum datur vna, quæ est immunis ab omni accidente. Et sic conciliantur diuersa dicta Sancti Thomæ.

DE

DE MEMORIA, ET REMINISCENTIA.

DEfinitio Naturalis memoriæ est; quæ nostris animis est insita, & simul cum cogitatione nata, Vel est, per quam animus reperit illa, quæ fuerunt. Vel est imaginatio eorum, quæ à sensu communi, & exteriori percepta fuerunt. Et ista est sita in tertio ventriculo cerebri in occipite, cui porrigitur ab alijs cellulis spiritus vitalis purissimus ac tenuis, quæ claritate, & subtilitate gaudet.

PRIMO: A Natura, id est, ex vtero: nam integritatem complexionis aliqui contrahunt ex matre tam valida, vt non solum memoria, sed & ratio lædatur; atq; ita stultitia fiat, cuius inter cætera signa sunt pergrandes, & erectæ aures. *In genere.*

SECVNDO. Ex prauo conuictu, est frequens cerebri temperatura, quandoq; ex insalubri aëris circumambientis constitutione, ita vt vbi siccior aër, ibi & anima prudentior, meliorq; fit.

TERTIO Ex casu, ex percussione, collisione capitis, (præsertim occipitis) ex morbo, infirmitate, & alijs iniurijs naturæ, sæpius tota deperditur memoria.

QVARTO. Ex crassa & supina ignorantia, quæ vocatur siue dispositionis, qua aliqui aut nolunt, aut non possunt studere, & quicquam recordari.

QVINTO. Quando sic constricti sunt spiritus, vt non possint transire ad puppim cerebri, nihil homo reminiscetur; E contra, qui velocem habent huiusce viæ apparitionem, prudentes sunt, & velociter respondent, vt sunt Colerici: qui vero pigram illam & tardam habent, sunt tardi ad discendum, & respondendum, vt sunt Flegmatici, & Melancolici crassioribus cibis vtentes.

PRIMO. Frigiditas, & hæc vel sola, vel cum humiditate coniuncta: ea siquidem confundit, impeditq; motum necessarium ad memoriam; frigiditatisq; est filia obliuio, quæ humores & spiritus congelat, ita quod spectrum siue species imprimi non valeat. *Causæ.*

SECVNDO. Humiditas verò, retentiuæ contrariatur, quæ sicco proportionato confortatur, nam siccitas superflua nocet appræhensioni; dum impedit, ne sigillentur formæ; frigidi est sistere, calidi mouere: retentionem verò impedit humiditas.

PRIMO. Quorum intellectus, & memoria perit, somnos obseruare oportet, vtrum vehementer, an modicè sint somnolenti; aut omninò non sint somnolenti, sed suam naturam habeant. Signa autem temperaturæ hęc sunt; Ex multo somno humiditas obest, ex vigilia siccitas: temperaturę autem qualitas optima est. *In specie.*

SECVNDO. Attendendum est: Vtrum excernat quippiam ex naribus, vel ex ore, quod à capite defluat, an excidat ex toto, vel vt plurimum illę partes sint; & sic cito causam cognosces.

TERTIO. Vbi prædominatur cerebri humiditas, multa somni cupiditate tenentur, oris plurima saliua, & in naribus, oculisq; pituita frequens, omnes motus hebetes sunt, tales præsentia recordantur, & nuperrimè gesta: dudum verò facta, aut difficulter, aut nequaquam recordantur, nam humidum cerebrum facile admittit, & dimittit quaslibet impressiones.

QVARTO. Siccitate dominante, quæ contraria humiditati est, capitis vigiliæ, frequentes leuitates, rarissima superfluitatum excreatio, tam ex naso, quam palato, & oculis citò calui fiunt, cum abundabit cerebrum, præsentia difficulter recordantur, sed manifesta diutius tenentur, dudum facta recordantur, præsentia autem non recordantur, aut confundunt, vt patet in senibus, qui potius antiqua gesta, quam noua recordantur ob duriciem sensuum.

QVINTO. Si dominatur frigiditas, his facies albet, lumina languent, Venæ inconspicabiles, fiunt somnolenti, partes capitum parum calidæ nec rubicundæ, stupida mens, caput vertiginosum; quare plurimum obest cerebro, inertesq; ac immemores facit.

SEXTO. Prædominante caliditate, caput calidum, & rubicundum cernitur, oculi versatiles, venæq; oculorum apparentes, capilli crescentes, nigri, robusti, crispi, somnus breuis nec profundus, motuum velocitas, & recordationis inest, Si augetur innaturalis caliditas, erunt vigiles, hic nimius calor animales spiritus excoquit, in fumos & fuligines

nes diripit, & succos spiritibus generandos terrefacit, & sic memoriam perdit, ex his verò quatuor qualitatibus simul se superantibus cognosces, quantum quis plus, vel minus ingenio, vel memoria polleat.

PRIMO. Quis. Esto vir bonus, maximo labore sequere temperantiam, sobrietatē, continentiam, virtutem omnem; ocium verò, ebrietatem, voluptates, libidines fuge tanquam pestem, & Deum Opt. Max. sedulus exora & dabit tibi sapientiam.

SECVNDO. Quid. Discenda sunt plurima ex scriptis nostris, alienisq; ad scientiæ, virtutis, sapientiæ, eloquentiæq; perfectionem pertinētia. cum maximo exercitio, & labore multa cogitare, nam sæpe recordari medicamine fortius omni.

TERTIO. Vbi in omni loco, in scholis, in templo, in mensa, domi, foris, in plateis sedendo, ambulando, sed potissimum se sequestrando ab omni fabulosa, ociosa, & perniciosa societate hominum.

QVARTO. Quoties. Memoriter tenenda sæpius & frequenter reponenda, ex sensu enim nascitur memoria, ex memoria sæpius reposita experientia, ex frequenti verò experientia, nascitur ars & scientia, vsus, & diligentia legendi, cogitandi, reperiendi cogitata, audita, lecta, alioq; modo percepta omnia ad gloriam Dei, & sapientiam consequendam, ad propriam, & ad aliorum salutem, præsertim, quæ coram alijs pronunciare debemus, animum à curis & cogitationibus auocando, & in rem addiscendam inferendo, nam pluribus intentus minor est ad singula sensus.

PRIMO. Optima rerum dispositione : nam facilè retinemus concionem, vel orationem benè dispositam, quam malè dispositam. Oportet igitur artes methodicas addiscere, atq; secundum eas omnia disponere, & alijs communicare. Si diligenter principalem conclusionem, aut totius confiderimus, & si quæstio plures habeat partes, vt fit, & facilè animaduertitur in apertè facta diuisione, partes singulas obseruare, tum argumenta videre, quibus ordine probetur quæstio vel diuisionis pars, vel caput, propositio aliqua generalis vel singularis.

SECVNDO. Dispositio argumentorū, & rerum videnda, qua aliud primo, aliud secundo, & ita deinceps ponitur, obseruare argumentationes, expositionem, ratiocinationes, primorum propositionem, postea assumptionem, tertio conclusionem vel alio modo.

TERTIO. Quibus, ordine temporum, natura dignitatis, aut firmitatis probationibus singulæ argumentationis partes comprobantur.

Iuuat obseruare seriem & catenam argumentorum, causarum, ratiocinationum, affectuum, factorum, dictorum, partium exemplorum, locorum, temporum elementorum, causarum, virtutum, vitiorum,

QVARTO. Iuuat memoriter confectati locos dialecticos, rhetoricos in singulis partibus orationis, argumentationis, figuras amplificationis, distributionem, subiectionem, prosopopœam.

QVINTO. Fabulæ, quorundam memoriam iuuant, præsertim quæ methodum obseruant, & singula suo ordine disponunt, sic & fictitia carmina, quibus res breuiter recolligunt, vt tabulæ Bibliæ, sic prohibent, peccant, & librorum bibliæ, quæ circa biblias reperiuntur, tam veteris quàm noui testamenti.

SEXTO. Quomodo : Quando, Seruiunt erecto pectore, capite in aurora, & vesperi vt plurimum accommodatissimum tempus est.

Regulæ quæ ad reminiscentiam. PRIMO. Ex ordine, & reminiscibilium consequentia, cum enim didicerimus ordinatim aliqua connexione, & de prudentia quadam ordinata; facilè oblita reminiscemur ordine repetito, cognito enim antecedenti facilè deperditum consequens reperiemus, facile enim gesta recensemus, cum eo ordine in oratione collocantur, quo facta sunt; quoniam fient se habent res gestæ ad inuicem, ita se habent, & monendo animum.

SECVNDO. Vt Vno simili in consimile pronehamur, vt si Homeri non recordamur, latinorum principem poëtarum Virgilium memoramur. Ex quo facile enim in Homerum Græcorum poëtam primarium descendemus, vt de Cicerone in Demosthenem.

TERTIO. Vt aliquorum contraria recogitemus : qui enim memor erit Hectoris, recordabitur Achillis; peccati & vitij : Iustitiæ & iniustitiæ.

QVARTO. Loci ac temporis recordatio, in quo res facta est. Locus enim & tempus facilè adducit memoriam, sunt etiam tres argumentorum sedes, videlicet : A similibus, Contrarijs & Propinquis.

QVIN-

QVINTO. Res omnes à proprietate repetere, vt si Epulones, diuitem epulonem, si auari Lucę 12. Si proditores, Iudæi: Si superbi pharisæi, Lucæ 18. Si humilis Christi Domini, Matth. 11. recordemur.

PRIMO. Iudicato studia, quæ sequeris esse præstantissima, & rem felicem, si consequeris sapientem audias præceptorem, quem etiam cogaris admirari, plurimum enim memoriæ conducunt, si ea, quæ audiantur, vel leguntur cum admiratione, ac voluntate incidant.

SECVNDO. Scientiam, quam studes iudicato difficilem, & per paucis bene cognitam, attenteq; lege, quod legere, & audi, quod audire desideras, quia ex diligenti attentione maior fit motus, ac impressio firmior.

TERTIO. Cum multa sis collecturus, quo ac potes ad paucitatem, breuitatemq; reducas, vel genera in species secando vsq; ad specialissimas, vel multitudinem in vnũ, vel saltem in pauca redigendo, tum & ordo seruetur. in diuisione corporis in membra, totius in partes, & capita in conclusiones membratim secando, ne sit confusio, quæ confundit memoriam.

QVARTO. Singula sæpe repetenda, ita vt vnum caput, & sequens didiceris, & primum, & secundum, rursus omninò repetes, & cum tertium didiceris, rursum à primo inchoandum erit, & sic successiuè, de eadem re frequenter cogita, disputa, alteri declara, nec te timor & pudor abstrahat, nam tenatius tenebis, quæ cum pudore didiceris, quæ verò vis memorari, intelligere, satage, & plura intelligere quam legere cures, aut paucæ, multum legas, non nugas, sed proficua, plus quoq; studeas mente possidere, quam libro, non solum quoq; audienda, sed videnda sunt, quæ vis recordari, visa enim tenacius hærent memoriæ, quam audita, de interrogatis non confestim, sed præmeditatus respondeas, ne confundaris.

QVINTO. Procuranda cibi concoctio, & nociua fugienda, proficua memorię quęrenda, liberandusq; est animus ab ijs, quæ studium impediunt; Metire vires ingenij tui, & memorię ne ingeras illi plus quam semel capere possit: sicut enim stomachus oneratus cibo plus obest, quam prodest, sic & memorię obest multitudo, & varietas lectionis; Ad certum ergo pondus tuam astringe memoriam, horamq; certam statue studio tuo, illam pręcipuè quando stomachus est vacuus, serò ante cœnam, & in galli cantu, & nunquã deseras tempus studio determinatum, vesperi quoq; quotidiè quid discendo lucratus fueris, repetes, à iuuentute stude, in qua omnia noua & mirabilia faciunt fortem impressionem.

SEXTO. Ne discedas à præceptore tuo, antequam benè didiceris, plures enim pudet esse discipulos, quam sapere valeant, proderit tibi alios docere, dictare, declarare, interrogare, respondere, dubitare de aliquibus, sed non sine ratione, illum infelicem esse diem puta, quo aliquid non didiceris, aut aliquid boni egeris.

SEPTIMO. Ad animi vacationem, viriumq; reparationem, non ad obscœna confugies, alternis vicibus, sed non mutato animo post studia grauia ad historias, non ad fabulas confugiendum; ad exercitia musicalia, ad quietem tempestiuam palmariæ, pilæ, ludus schaccorum vel alearum, sed non pro cupiditate non sit diuturna recreatio, sed frequens, deambulatio prodest capiti, post hæc omnia ad incœpta studia conuolabis, ne tempus, quo nil carius, depereat.

PRIMO. Cauere oportet in vniuersum omnes cruditates tanquam rationi infestissimas, & toti corpori.

SECVNDO. Vini potentis potio est pessima, vehementer enim humectat caput, & quam maximè obliuionem inducit.

TERTIO. Exterior frigiditas præsertim nocturna excedens propter malã capitis copercuram lædit memoriam, similiter & caliditas intensa valde, quandoq; totam rationem perturbat, & memoriam lędit.

QVARTO. Ciborum fumosorum commestio, & potus, vt aliorum ... cepparum, casei, & leguminum vitetur. Potus post commestionem, dum cibi fiet concoctio, eam interrumpens, præsertim à cœna plurimum nocet, crudæ herbæ comestę perdunt memoriam, acerosa omnia, & acetum, sunt, qui dicunt gallorum ossa.

QVINTO. Quies superflua calorem debilitat, superfluitates retinet, & aggrauat, atque lædit memoriam, somnus cibo propinquus, anteaquam descenderit ad ventriculi fundum. maximè infestissimum dormire calzatis pedibus cum sotularibus memo-

memoriam impedit, propter refluxum vaporum, somnus immoderatus, vomitus, laboriosus, coitus frequens, destruunt memoriam.

SEXTO. Videre, vel audire non placentia animo, & huiuscemodi animi symptomata, metus perimit memoriam, vel tristitia perseuerans.

PRIMO. Fructuum stipticorum ex natura, vel arte, moderata sumptio, prohibendo fumos eleuari, memoriam valde iuuat, temperatorum quoq; ciborum, & potus sicut gallinarum, perdicum, præcipuè cerebellorum eorum temperata refectio, non tantum memoriam, sed totum corpus confortat. Gallinæ cerebrum adeò iuuat memoriam, vt qui delirare cœperint, resipiscere fecerit.

SECVNDO. Ante cibum moderatè, & conuenienter exerceri, stare pedes post commestionem, vel suauiter deambulare, quo cibus ad fundum ventriculi descendat, multum memoriæ, & corpori prodest.

TERTIO. Superfluitatum per intestina, per nares, palatum, per os, aures, vrinã, capitis frictionem cum pectine conueniens, & debita expulsio confert plurimum, si post somnum & ante exercitium fiat. Sæpe quoq; lauare pedes in aqua calida, in qua bullierit Melyssophilon, folia lauri, Ganæ melon, & similia, capiti memoriæ, oculisq; prodest: Item abluere caput decimo quoq; die cum lixiuio, in quo parum bullierit Camemelon, vel assatum Melyssophilon, salua, amaracus, siue samsutus, lauri folia, vel similia, additis in æstate rosis, memoriam corroborat, & confirmat.

QVARTO. Corriandi penè præparati zaccaro obducti, post cibũ assumptio fumos prohibet ad caput ascendere, iuuatq; memoriam. Item facit Diacoteneon Masticatio masticis cum modico zinzibere facto ieiuno stomacho ab humiditate flegmatica, sine molestia, caput purgat, & præpedita confortatur memoria. Item thus albissimum terræ in puluerem, pone, in pura, & simplici aqua frigida, bibe in augmento lunæ in ortu diei, in meridie, solisq; occasu facie bonam memoriam, acutum sensum, exciccans cerebrum, & ventriculum. Idem facit granum thuris albi degluticum, cum lectum petis, nam capitis humiditatem exsiccat, & ventriculi, fac hoc post purgationem bis terq; in hebdomada, si multa adsit humiditas. Item fel perdicis arterijs temporum illitum, vt penetret semel in mense memoriam confirmat.

QVINTO. Melisophylon, quocunq; modo comedatur, ingenium industriamq; parit similiter nasturcium. Item Melissa tranquillitatem, & soporem capiti inducit. Item semen ocimini, seu selareæ domesticæ, si in puluere sumatur in aliquo cibo, aut potu mirabiliter restaurat memoriam. Item eboris limitatura, si parum de ea in vino modico sumatur mane. Item plices sarchoticum confectio duarum drachmarum pondere, hora somni assumpta, vel myrrobalanus chebulus conditus sumptus in aurora horis quatuor ante cibum, beneq; mansus semel in hebdomada memoriam restaurat, ab humido læsa intellectum roborat, & iuuentutem conseruat.

SEXTO. Visorum, auditorumq; frequens recordatio, gaudium temperatum, & honesta delectatio, non solum memoriam, sed etiam virtutem intellectiuam, cæterasq; partes corporis augmentat, nam nihil æquè, aut cura angetur, aut negligentia intercidit, ac ipsa memoria, quæ nisi excolatur (sicut ferrum, aut ager fertilis) inertia sicuq; corrumpitur; in materia humida, quæ potissimum est debilitatis memoriæ causa, prius fieri, euacuationes oportet.

Ratione accidentium infirmitatum.

PRIMO. Obliuio à natura reportata non facile remouetur, nec quæ à causa calida vel sicca fuerit sano in cæteris corpore.

SECVNDO. Si præter consuetudinem fuerit abolita memoria, tunc timendum est de peiori ægritudine, nisi ocyus succurratur, scilicet Letargia, Epilepsia, Apoplexia, paralysi, cæterisq; id genus, quæ à flegmate in cerebro fieri solent. Si etiam ob extremam senectam memoria perierit, frustra laborandum admouendis remedijs, non est cibi ratione conueniente contentos esse oportet, dentur cibaria; & fructuaria humectantia, & restaurantia, siccitatemq; arcentia.

TERTIO. Si propter vehementes purgationes, cæterasq; immodicas innanitiones, vel à siccitate memoriæ noxa superuenerit, victu tamen reficiente succurrere oportet, corroborato siquidem corpore, collectisq; viribus memoria reparatur. Cibi cõferrent succulenti, & boni succi, qui facile concoquantur in ventriculo. Vinum sit rubrum maturum, dilectum, exercitia moderata, & citra fatigationem, caput clementer fricetur, prolixi dormiant, molliter cubent, tepidæ aquæ balneis vtantur, sudores vitent, capiti

piri abraso epitemata infundantur, vel fomentationes ex decocto florum Camæmeli, meliloti, seminis lini, hordæi decorticati, aut ex lacte recenter mulcto, inungatur oleo amigdalino, dialthea, butyro non salito, si mane conseruam boraginis, bugiossæ cortices cithri conditas &c.

QVARTO. Si à frigida cerebri intemperie malum ortũ fuerit, sine materia opponatur caliditas frigiditati, humiditati siccitas, idq; temperatè, nec minus calefaciendũ, nec minus exsiccandum cerebrũ. Qui igitur corruptionē memoriæ patiuntur, ex intenso calido & sicco, quam coniunctionē freneses, & delirium sequuntur, ijs ex irodinum capiti infundantur, & alia quæ refrigerant & humectant; si vero ex nimia frigiditate adnixa intensæ siccitati fuerit, quod accidit, vel ab extrinseca frigiditate, vel propter longos morbos, vel ob vehementes labores, aut validas animi affectiones, humectantia, & mediocriter calefacientia admoueantur; & cum adfuerit humorum copia, euacuatio conueniens præmittenda erit. Si sanguinis copia venæ postulat sectionem, cum medici consilio humeraria, id est, cephalica incidatur; si solum caput grauatur: si verò totum corpus, aut interna aut media secetur. Si bilis flaua abundauerit, consilio medici cum educentibus bilem, purgetur, vt cum reumbarbaro, manan, cassia, succo rosarum, electario rosato, syropo rosato solutiuo, tamarindis, vel aureis vocatis pillulis. Si atra bilis, consilio medicorum præsidijs conuenientibus educatur, vt sine infusione epytimi (veratri in forcioribus) diasenæ pillulis indisq;.

QVINTO. Quod si fuerit causa frigida, & humida sic curandum. Maneat in luminoso aëre non ventoso; euitet quæ flegmam multiplicant, omniaq; frigida, & vaporosa vt cæpa, multam repletionem, satietatem, cruditatem, multum potum, crudorum fructuum commestionem, cibi grauis concoctionem, ablutionem cum nimis aqua calida vel frigida, potationem aquæ vel vini nimiam. Fugiant medullas ossium, grumas carnes, pisces viscosos & lacunales, olera frigida, lác, caseum, præcipue multum aut prauũ, somnum prolixum diuturnumque, nec super micham vel super nimiam repletionem fiat: à superflua vigilia plurimum caueat, exercitium cibos præcedat, & succedat cum fricatione partium capitis, facta primum purgatione, cum pannis asperis, & pedum, & manuum & dorsi.

Circa flumina, vertiginosaq; loca non versentur, austrinos & pluuiosos flatus deuitēt, lucidam, & altam domum ne habitent. Cibi autem conferendi sunt, calidum & spumosum sanguinem gignentes, veruecina, hædina, capi phasiani, perdices, quorum sunt oua optima, pepiones, turtures, passerculi, galeritæ, turdi, merulæ, anseres, parentur cum hysopo satarcia, tymo, sansuco rosmarino, gariophilis, macere, zinzibere, pipere, cynamomo, iunipero, pręsertim in hyeme, cerebrosum animalium excepto gallinæ, quod plurimum laudatur, & recenter natæ carnes plurimum sunt cauendæ. Caput, conuenientibus oleis infra describendis, vngatur, & à multo coitu, & frequenti abstineant: si igitur piruita fuerit lenta & crassa, fiat eius pręparatio ad eductionem cum aximelle composito vel scyllitico, vel de quinq; radicibus, scilicet, de sticade, dezaphani radicibus, facto melle rosato, prout opus fuerit, & aquis decoctis conuenientibus. Exhibeantur quoque pillulę hierę galleni addito modico castorei & nucis myristicę: addatur etiam pręparata colocynthis secundum consilium medici; vel detur hiera magna cum nuce muscata, vel hiera ruffi. Conueniet etiam hierogladij, & alia, quę conueniunt dolori capitis ex flegmate, deinde fiant gargarismi, fomentationes, vnctiones, sacculi, clisterę si opus fuerit, ex his, quę conueniunt capiti. Demum sternutationes cum pipere struttio siue condisi eleboro albo. Conferunt etiam, si pituita vlterius exundat, quæ saliuam moueat, seu apophlegmatismi odoramenta, cubebe masticatæ seu commansæ modis omnibus auxiliantur, auribus molatur oleum Castorei, lauandulę spicæ. Et quia est cerebro frigidior, cauendum ne frigescentia, quæ forinsecus inducuntur, in occiput cadant: calida igitur temperata intus, & extra proderunt, extrinsecus inunctiones capiti ex oleo calido, idq; æstate adhibendæ, vt rutaceo, anetino: Hyeme verò, irinum, in quo incoctum sit scepillum, vel calamentum, piper, baccę lauri, addendo acetum modicum ad penetrationem. Vtile etiam erit, castoreum occipiti illitũ, vel olea inferius descripta; Intrinsecus quoq; conferunt acorus conditus, quem calamũ aromaticum crebro, vel galangam saccarum florum bettonicę, rosmarini, lauandulæ, spicanardi, melysophili, adiectis longo pipere, gariophilis, cinamomo, nuce muscata, & id genus alijs odoratis. Valde etiam confert memoriæ zinziber conditum ad auellanæ

h quan-

quantitatem, præsertim in ventriculo frigido, & humido, sumptum mane in temporibus non calidis, horis quatuor ante cibum. In hyeme comedant synapim, allium, pulejum, capatos, Vinum bibant album, aquam non nisi cum aliquibus radicibus coctam.

In primis Olea, & vnguenta.

Recipe. Olei de lateribus de Castoris ana vnc. medi. radic. acori, phu. seu Valerianæ an. scrup. 2. piretri, rutæ ana. scrup. med. cum cera, quantum sufficit, fiat vnguentum, quo rasum occipitium inungitur, & subinde sacculus imponatur, qui recipit florum rosmarini, melysophili, lauandulæ, singulorum manipulum medium, florum sambuci manip. vnum sticadis, drachmę tres, nucis muscatæ, ligni aloes, maceris ana scrup. 1. contusa in sericum dimittantur, formeturq; sacculus.

Item aliud contra obliuionem.

Recipe olei sambuccini vnc. 1. olei de been vnc. 2. olei euforbij Castorei an. vnc. semi. aceti drachm. 3 misce inungatur locus.

Item oleum philosophorum occipitio inuncto memoriam restaurat.

Item, recipe radic. rutæ buglossæ, phu cum radicibus an. vnc. 4. Castorei duorum, vel trium annorum linguæ auis, quam semen fraxim vocant, an. drach. 2. rediganeut in puluerem & misceantur, postea recipe succi eufragia ormini, quam salaream vocant verbenæ an. vnc. 4. medulæ anacandi vnc. 1. axungiæ vrsi quantum satis est, fiat vnguentum liquidum, & ponatur in vase cupri vel stanni, vt stet liquidum naturaliter, nihil valeret, vngaturq; occiput. Emplastrum quoq; de synapi bono valebit in effectu frigidiori, vel oleum de synapi.

Item probatissimum experimentum ad iuuandam memoriam quod ferunt esse Aristotelis.

Recipe. Vrsi pinguedinem quam habet in humero, seu spatula dextera, eamq; repone in vesica ipsius vrsi, simul cum eius vrina, & simul stent octo diebus, tunc extrahe, & accipe succum ormini siue selareæ domesticæ Eufragiæ, verbenæ, buglossæ, phu, seu valerianæ aloes omnium æqualiter, & simul misce cum prædicta pinguedine, super igne cum lignea spatula agitando, quo ad fiat vnguentum spissum, ex quo cum volueris, accipe quantitatem paruæ fabæ & vnge frontem, & tempora fricando aliquantisper, & audita recordaberis.

Item optimum remedium, sed longè difficilius apparatu.

Recipe florum Citrulorum siccorum, Buglossę Rosmarini an. drach. 2. Camomilli violarum, rosarum an. drach. vna. & med. secelli drach. 2. sem. viti, Rutę campestris an. scrup. 4. foliorum lauri viridium, Maioranæ elicadis, saluiæ, sambuc. Artemisiæ drach. 3. contundantur optime, & infundantur in lib. 3. aquæ vitæ optimæ & vnc. 6. Aceti albi scilitici fortissimi, ac simul quiescant duobus diebus in vase vitreo benè cooperto, & postea distilla ad cineres cum suaui igne. Deinde recipe olei de tribentina distillati optimi vnc. 18. olei de ben distillati vnc. 8. prędictæ aquæ distillatæ vnc. 24. loco olei de ben; potes accipere olei distillati de adipe vrsino, seu melius est, si de vtroq; acceperis partem mediam: si verò neutrum repereris, recipe oleum sambucinum, adde prædictis rebus capillos hominis benè adustos (nam à proprietate vigilare faciunt, & excitant letargicos,) misceantur & distellentur in vase vitreo vsq; ad exactionem totius aquæ, & aquam ipsam seorsum serua. Deinde Recip. Euforbij drach. 4. piperis longi drach. 3. & med. Cumini drach. 3. thuris masculi clari vnc. 2. & drach. 2. Mastrę Mirrę electæ an. vnc. 1. Anacardorum bene contusorum vnc. 1. & drach. 1. Carpobalsami drach. 4. pulpæ castorei drach. mediam, Mirabolanorum empelitorum drach. 4. & med. opopanacorum vnc. 3. Setici cruci munutim incisi drach. 1. & med. Costi, radicum peoniæ fœminæ, Cyperi electi an. scrup. 4. cadam drac. 3. sanguinis draconis. 1. gummi ob similitudinem dicti drac. due, & med. Clari drach. 6. puluerizanda, puluerizentur optimè, & omnia infundantur in prædicto oleo toto, & quiescant in balneo temperato simul in vase vitreo benè obturato diebus quinq; sed singulo die arundine sicca commouantur miscendo, postea colentur, & optimè exprimantur cum panno rudi prius infuso in aqua & bene expresso, & oleũ postea taliter expressum distilletur. Vel fiat, sicut in distillatione olei de cadano fit, scilicet primò incipe cum leui igne carbonum ad fornacem, donec leuiter ebuliendo incipiat, cōmuniter distillare, deinde procede cum leui & pauca flamma, & quandoq; interpollata, donec liquidum & subtile distilletur, quasi totum ex appositis oleis, id quod scire poteris ex visu, sed melius ex pondere olei distillati, postea procede cum igne carbonum

bonum mediocri omittendo omninò flammam, & distillatum seruetur in vase vitreo benè clauso. Demum recipe Galliæ moscatæ, Gariophilorum macis cubebarum, nucum muscatarum, cardamomi an. scrup. 4. spice calami aromatici, co,cti cum citrei exteriorum an. scrup. 2. ligni Aloes boni drach. 2. & med. Ambari electi drach. 2. & med. Moschi optimi drach. 1. & med. puluerizentur omnia subtiliter cum toto prędicto oleo distillato, sicq; simul quiescant duobus vel tribus diebus, in calore temperato, & postea iterum distillentur, & in subtilem substantiam reducantur, seruenturq; in vase vitreo forti, benè clauso cum cera, & est optimum. Vtendi modus talis est, vt prius, si oportet, facta purgatione totius, vel capitis, co ...aris incipiendo mense Nouembris per dies quinquaginta continuos, postea semel in hebdomada, postea solum quemuis memorari, capiendo illum in festo praecedenti ante mane, poteris recitare vel concionari.

Item Recipe Adipis vrsi capi, Gallinæ, Vaccæ, & Gumi Hederę ana pondus æquale, omniaq; in lambico vitreo distilla suaui igne, quo oleo, vnge tempora & pulsus manuum ter in hebdomada, & item optimum senties.

Item Recipe Talpæ pinguedinem, Vrsi, Mustellæ, Castoreiq; succi bettonicæ, & rosmarini an. ex omnibus confice vnguentum, & tempora vnges mediocriter tempore frigido.

Item nota, vt memoriam profunde teneas, & perpetuò velociterq; apprehendas: hoc vsi sunt multi magni viri.

Recipe. radicis linguæ bouinæ, radices valerianæ an. vnc. 4. rad. rutæ vnc. 2. fac inde pulueres subtilissimos, postea Recip. succum suffragiæ seamborę siue ocmini, verbenæq; an. vnc. 4. coletur benè succus per pannum, postea misce succo simul, ambo tamen separatim, postea Recip. medullam Anacardorum Vnc. 1. pondere, & fac puluerem, vt infra de anacardis. Item recipe linguam auis id est, semen fraxini, & fac puluerem subtilissimum, postea misce omnia prædicta simul, scilicet succos, & pulueres, & accipe sartaginem terrea vitreata, & pone ad ignem, intuiq; pone ex vrsi pinguedine, & liquefac paulatim, & impone hos pulueres cum succis, miscendo, semper apponendo de dicta pinguedine, donec fiat vnguentum subtilissimum, quo vnge tempora, & partem memoriæ, & frontem, & verticis partem, & hoc quater in anno, & continuabis vngendo plus vel minus, vt oportebit, & valet super omnia alia.

Item si quis ex debilitate, vel vertigine amisisset memoriam, valet etiam vertigini.

Recipe rosmarini, id est, libanotidis, boraginis, famomeli, violarum, rosarum. an. vnc. 1. sticadis, foliorum lauri, maiorana, saluię an. vnc. 2. omnia incide, & pone in optimo vino, & postdiem distilla per alembicum vitreum aut vitreatum, & distillatum serua, in quo pone terebintine odoratę lib. 1. Thuris albi vnc. 8. masticis mirrhæ anacardorum an. vnc. 4. omnia vero, & dimitte sic stare per dies quinq;, cum distillatione cooperta, postea distilla in tantum cum igne fortiori, donec ex eis oleum subeat, quod serua benè clausum in ampulla vitrea, benè cum cera, & pargameno obstructa, Recipe ex eo quantum cortex auellanæ capere possit per os, & vnge etiam partes memoriæ, scilicet, occiput & tempora, & optimum experieris. Pillulæ.

Recipe thuris masculi, mirrhæ electæ, zinziberis an. drach. 1 & med. Castorei colocinthidis an. scrup. med. confice cum bona terbenta, & cum serapio de sticade, & fiat pasta, denturq; pillulæ, numero paucæ, sed crassæ supra leuem cænam.

In lectum descendenti possunt etiam auferri ea, quæ soluunt, vt tantum confortent: hæ pillulæ ferunt principatum in hac causa, scilicet memoriæ.

Item ad corroborandum fiat electuarium. Recipe Melysophili an. vnc. 1. Enulæ conditæ, zinziberis viridi, vel conditi an. vnc. med. Corticis citrei conditæ drac. 6. Dyatricon piperion Diambaris an. vnc. med. cum modico aquæ vitæ in aquis vitreis semel distillatæ ex vino bono, vel cum aqua melissæ, aut florum lilij conualij commyxti, sumat horis duabus ante cibum in mane drac. vna. aut 2. & semidrachmam hora somni.

Item & hoc remedium non parum confert.

Recipe. Thuris ciperi, piperis longi, croci, mirrhæ. an. confice cum melle, & ex eo omni die sumatur drach. 1. horis supradictis, præsertim mane.

Item pro senibus. Rec. mellis anacardini, thuris albi, ciperi, acorineri, ana partes 2. rotundi piperis & longi an. partem vnam, mirabullanorum cepulorum, ceruleorum, an.

partes 2. cimini partem vnam, mellis quantum sufficit, dato fit drach. 2. singulo mane. Diambar etiam conuenit.

Item Acorus nutritus & coctus in melle, & reseruatus, & condiuntur nuces, ac radices, similiter piper longum mitratum coctumq; in melle & asseruatum; nam seruant & augent memoriam, dosis communis drach. 1. Experta est medicina. Item in forma pulueris expertum. Rec. thuris drach. 1. ciperi, piperis, croci, mirrhæ ana dra. 2. feruantur subtiliter, & per cribrum ducito, & fiat puluis, de quo omni mane, dum surgit, detur dra. 1. vel sero in ingressu lecti: & est expertum.

Item rec. cymini, piperis an. drach. 2. saccari albi dra. 4. terantur & fiat puluis; accipe dr. 1. omni die, mane.

Item expertum. rec. thuris albi drag. 1. piperis longi, vel albi scrup. 1. fiat puluis, qui mane totus vno haustu bibatur per plures auroras, cum tribus vncijs aquæ mellis, vel decocti cinnamomi modici, & gariophilorum.

Item certum & bonum. Rec. Cimini drach. 5. piperis noui drach. 1. Acoci veri, vel Galangæ, Cyperi, Mirabulanorum nigrorum an. drach. 2. Mellis anacardi, de quo infra dra. 1. mellis communis vnc. 3. sunt terenda, terantur & cum melle prius despumato incorporentur, & fiat coctum in prixide, detnrq; in omni mane drach. 2.

Item mirabiliter conferens memoriæ, letargiæ, obliuioni, ventriculum confortat, & omnia debilitata membra ex flegmate & frigore.

Recipe. Zinziberis, Galangæ, Masticis, Cymini, Origani, drach. 6. nucis moscatæ, calami aromatici, Asari, Carpesiorum, id est, cubebarum, ligni aloes, Maceris, seminis apij, Ameos, an. drach. 2. thuris albi, garophilorum, cardamomi, zedoariæ, piretri, castorei, piperis longi, & nigri, costi cyperi. an. drach. 3. mentæ siccæ vnc. med. terantur, & pulverizentur omnia, & cum penidiarum & mellis despumati quantitate sufficienti fiat clicma, cuius vsus sit, vt aliorum, præsertim tempore frigido, & non calido multum, & per interualla.

Item pillulæ, quæ languenti cerebro conueniunt, præsertim senioribus ac frigidis.

Recipe. Succini odorati, seu Ambræ delectæ drach. 1. ligni aloes scrup. 5. Cubebarum scrup. 2. cum vino meracissimo pill. confice quindecim, da binas ante cænam.

Item pomum odorandum pro memoria.

Rec. radicis Iridis drach. 1. & med. seminis feseli, id est sileris montani, sticadis an. drach 2. nucis muscatæ drach. med. mentæ drach. 1. ambari, vulgo ambræ, thuris calamenti, scyracis, ligni aloes an. drach. med. ladani quantum sufficit. fiat pomum secundum artem.

Item lixiuium pro ablutione capitis humidi, frigidiq; confortatiuum, & memoriæ conferens: Debet autem esse ex cinere sarmentorum, vel quercus, postea intus hæc bulliãt. Rec. arori, veri, sticadis, foliorum lauri, rosis marini, viæ saluiæ an. manip. 1. ex isto lauato caput, post verò ablutionem, aqua vitæ modico sinciput madefacito, & sequenti puluere aspergito. Rec. puleggij calamenti, gariophilorum, sandaracæ, macis, sticadis, mentæ siccæ, maioranæ an. drach. 5. misce, & fiat puluis subtilis, & post inspersionem superpone stupam canapis: alijs quoque diebus ingrediens lectum, pone super capitis bregmate ex puluere illo, etiam illoto capite, nam siccat.

Item lixiuium pro humido capite, quo bis, vel semel in hebdomada vtendum.

Rec. sene, rosarum, florum camomili, acori siccadis, foliorum lauri, nucum cypressi, saluiæ, v. æ, baccarum hederę partes æquales, hæc in hyeme bulliant pro lotione capitis, at in æstate remoue sticadẽ, & rosas adde, & aliqua mirthi gran. ; & minus calido vtere.

Pro Memoria aliud remedium, quo vtebatur Picus Mirandulanus, & Cardinalis Caietanus Bononia.

Recipe octo calices aquæ communis, foliorum hederæ, sticadis an. lib. 1. & med. ponatur simul in aqua ad bulliendum ferè ad consumationem aquæ, postea coletur, beneq; exprimatur, & intus pone modicum Terebintæ lotæ cum rosacea, postea caput laua cum bono lixiuio, & post siccationem vnge isto liquore tempora & occiput.

Item pomum odoriferum ad confortationem cerebri frigidi.

Recipe. Ladani, ligni aloes, sticadis an. drach. 1. gariophilorum, nucis moscatæ, seminis ozini an. drach. med. cum aqua rosacea, in qua non nihil Moschi, & Ambari si modicum sit; fiat pomum.

Item

Item lixiuium ad confortandum caput, & memoriam.

Recipe. Hederam mutalem, rosmarinum, laurum, sticadem, marrubium, aut betonicam, & bulliant in lixiuio, quo caput laua; idem ferè operantur cupressi nuces frequenti vsu Anacardi.

Item prodest confectio Anacardina, si probè conficiatur, & post sex menses ea vtaris. Hæc enim acuit ingenium, & sensum & intellectum, clarificat mentem, reuocat sopita, letargiam curat, & arteticos, confertq; dolori ventriculi, & alui à frigiditate, &c. Sic vero fit.

Rec. Mirabulanorum Empeliticorum, belezicorum, piperis albi & longi an. drach. 12. zinziberis, mellis, anacardini an. vnc. 1. Castorei stiracis, gariophilorum. an. drag. 5. florum Camemeli, Baccarum lauri, Cyperi an. drach. 3. mellis quantum sufficit, misce in modum electarij, datur in sero in modum paruæ nucis auellanæ, id est, drach. 1. scilicet cum vino calido decoctionis seminum, anisy, pheniculi, potest & manè sumi. Caueat autem sumens à frigiditate, à cibis flegmaticis, ab ira, à coitu, & ebrietare.

Anacardi verò antequam in aliquibus medicinis ponatur, compositio debet sic præparari.

Recipe. Anacardos, & eos optimè tere in mortario, atq; in aceto fortissimo ponatur per dies septem, post lento igne in eodem aceto coquantur, quo ad aceti pars tertia remaneat, tunc percola fecem illam, quæ in fundo vasis permanserit, prius aceto leniter extracolata, eamq; colo fæcem transmissam in medicinis pone, neq; enim Anacardorũ fructus in medicinis per os sumendus misceatur, nisi prius hoc modo, vel simili præparentur.

Quod si mel Anacardinum facere volueris, pone cum ipsis anacardis, eo modo in aceto coctis, tantundem mellis despumati, ac simul ambo bulliant ad spissitudinem, & sic mel habebis anacardinum, quod in prædictis affectibus memoriæ operatur mirabiliter, si ex eo edes duas drachmas in aurora. Potest etiam confici sic.

Rec. Anacardos & pone in melle prius liquefacto, & permitte diu morari, & sic erit mel Anacardinum prius decoquendo in melle, id duas drach. sumendo, recuperat memoriam ex proprietate sua.

Hæc sunt extracta ex libello Guilhelmi Scataroti Bergomatis Itali, Doctoris Medicinæ, ad Maximilianum Imperatorem editi.

Cætera de eadem memoria idem auctor perquirere mandat ex libris Antonij Firmaneli Medici Veronensis, in opere suo de compositione medicamentorum.

Restat de memoria Artificiali siue Artificiosa aliquid dicere, de qua in alia parte faciam.

ARTIFICIOSA MEMORIA
EST EXTRINSECORVM OBIECTVM.

PRIMO. Memoria artificiosa constat locis: quæ loca dicemus regiones, Ciuitates, domus, templa, & partes eorum, & partes in homine, quibus locis idipsum cuius recordari volumus, veluti cartæ inscribimus, dum in illis locis imaginem collocamus. *In genere scilicet.*

SECVNDO. Imagines sunt simulachra rerum earum, quas recordari volumus, & sunt veluti lineæ, quæ cartis & tabulis depinguntur, verbi causa, res quas meminisse volumus, sunt equi, leones, aquilæ, Imperator, Rex. Harum rerum si meminisse volumus, imagines earum in certis locis constituemus. Itaq; si volumus recordari præcipuorum capitum Matthæi, vel Lucæ, vel Marci, vel Ioannis, constituemus loca in homine, in boue, in leone, in aquila. Primus locus in homine erit in capite. Secundus in pectore, Tertius in ventre, Quartus in pedibus; Quintus in manu dextera; Sextus in manu finistra.

His locis imagines, & simulachra, nos faciunt recordari eorum, quæ volumus. Vt quoniam Mattheus in primo capite sui Euangelij tractat de natiuitate Christi, & de nuncio Angeli, vt horum recordemur, constituam in primo loco hominis, in capite Christum puerum & angelum: In secundo loco hominis, id est in pectore, constituam

tres

tres coronas, quæ signabunt tres Reges adorantes Christum; In ventre hominis, scilicet tertio loco baptisterium, qui significabit Baptismum Christi: In quarto loco, id est in pedibus, Dæmonem, id est, tentationem Christi: In quinto loco facies octo, & librum, id est, beatitudines edoctas à Christo, Matth. 5. &c.

In specie. Cæterum hæc satis de hac structura dicta sunt: quoniam & absurda esse videntur, cū hominis membra alia pudica, alia impudica sint, & præsertim mulierum, quæ si pro obiecto habuerimus, quis non turpe existimabit præmentibus cogitationibus ad membra humana, præsertim muliebria (vt vult Isidorus, & alij de artificiosa memoria scribentes) memoriam suam alligare? cum & precepto Christi contradicat, & propter speciem mulieris multi periere. Adde quód hæc operosa, & inutilis ars, multos confusioni, atq; contemptui expponere, quoniam non solum in rebus laborandum esset, verum etiam in constituendis locis, & imaginibus rerum, quarum meminisse volumus; ita vt trium oporteat nos recordari, locorum, imaginum & rerum. Deniq; hæc impedit præcepta methodi naturalis, & prudentiæ, & artis Rhetoricæ, & Dialecticæ, maximè disputationem partium orationis, argumentationis, & singulorum argumentorum.

Si quis veró disputationem locorum Dialecticorum, & generum, causarum, amplificationum, cathenam, & connexionem rerum inter se, virtutum, vitiorum, & artium, dignitatum, & authorum Illustrium nomina & tempora ordine quodam memoria teneat, & eorum ordinem in dicendo, vel scribendo sequatur, non solum incredibilem rerum copiā gignet, sed etiam fidelem memoriam sine dubio consequetur.

Si quis voluerit artificiosam memoriam possidere, has duas manus memoriæ mandabis, quarum dextra sinistraq; alphabetum palmis continetur; Quapropter seduló curandum, vt tractaturus de aliqua materia ad lineam sive vocalem, sive consonantem reducat suā periodum. Nam vocales extremitatibus digitorum continentur, consonantes veró reliquis articulis, vt supra patet. Dextra manu omnia bona, sinistra veró omnia mala comprehendendo: verbi gratia.

Si oraturus tractabit materiam de fide, ad F. lineam recurret. Si de Charitate ad C. si de Humilitate ad H. & sic de singulis. Et sic in sua experta quicquid voluerit, occurret, tantum vt vocalem aut consonantem, dictum factumue redoleat.

PRIMO. Locuturus de medicina, prosequetur Alphabetum, Artemisia, Been, Carduus, Diazingiber, Eleborus, Feniculum, Galanga, Hissopus, Katabe, Lauanda, Melilotum, Nemphar, Oximel, Piper, Quocumer, Rapæ, Synapis, Timiama, Verbena, Xungia, Yera, Zingiber.

SECVNDO. Dicturus authorem Christianum, Augustinum, Ambrosium, Bernardum, Bernardum, Bedam, Chrisostomum, Chrisol. Dionysium, Eusebium, Filonem, Gregorium, Hieronymum, Ireneum, K, Leonem Papam, Mamertum, Nice; horum, O, P, Q, Ricardum, sententiarum magistrum, S. Theophilactum V, X, Y, Zozomenum.

Sic prophanos, Aristoteles, Cato, Demosthenes, Epimenides, &c.

TERTIO. Locuturus de vitijs: Auaritia, Bestialitas, Cupido, D, Ebrietas, Fideifractio, Gula, Heresis Iactantia Luxuria, Murmuratio, Nequitia, Odium, Pertinatia, Querelatio, Rixæ, Superbia, Tumor, Vanagloria, X. Y, Z.

QVARTO. Loquuturus de virtutibus, Abstinentia, Benignitas, Charitas, Dilectio, E. Fides, Gloria Dei, Humilitas, Ieiunium, Kastitas, Laus Dei, Misericordia, N. Obedientia, Paupertas, Resurrectio mortuorum, Stabilitas &c.

Primus Inuentor huius mirabilis artis localis reminiscentiæ fuit Metrodorus, Scepsius, & Simonides Medicus, vt placet Arist. Ciceroni, & Quintiliano, Qui dicunt fundatam fuisse super experientiam naturalem artem istam, & esse facilem, vt patet per exemplum illud de ciuibus, qui mortui fuerant, in illo conuiuio ex domo diruta, & erant adeo mutati cum effigie, & persona, vt parentes eorum non potuissent ipsos agnoscere, ad hoc vt possent ipsos in locis proprijs sepelire, sed Symonides Medicus attendens ad ordinem, quo sedebant in conuiuio, statim recordatus est eorum loca, in quibus iacebant, & eorū nomina, & quo ad personas, & quo ad omnia pertinentia ad illos: quia etiam ipse erat in conuiuio, sed vocatus exiuit foras, & tunc temporis diruta fuit domus, & mortui fuerunt conuiuantes, vnde difficile ipse recordari poterat.

Sed nota omnes quinq; sensus exteriores sentire sua propria obiecta, & non aliena, nisi per accidens; veluti gustus non sentit nisi saporem, Auditus sonum, Odoratus odorem, Tactus quatuor qualitates tangibiles, & repræsentant eorum species immaginatiuę, quæ

situatur

situatur in fronte, & transfert huiuscemodi species ad memoriam, vt statim possit vti ipsis quo modo voluerit: namq; quemadmodum quis inspiciendo aliquam picturam præsentialem intuetur ipsam, ita etiam imaginatiua intuendo species illas in memoria tanquam in quadam pictura animata, reminiscitur illorum obiectorum: Vnde memoria nil aliud est, nisi integra pictura custodita in tabella quadam animata, quam cerebrum appellamus, vt tangit Arist. in lib. de memoria, & reminiscentia; & hanc artem potius reminiscentiam, quàm memoriam dicere deberemus, quia memoria est pars ipsius animæ, hæc vero ars est, quidam habitus artificialis, per quem habet ipsa memoria, quæ est pars potentialis animæ, vt facilius operetur: sed ita vocatur communiter, propriè tamen non memoria, sed reminiscentia dici deberet. Hinc deceptus fuit Ioannes Baptista Porta vocans hanc artem memoriam, seu reminiscentiam naturalem, quia reminiscentia naturalis est bonitas cerebri. Adde quod nullum animal gaudet reminiscentia nisi homo: Vnde reminiscentia ista, quam localem dicimus, est quædam speculatio illarum rerum, quas homo vidit, aut intellexit alias, quæ esse non potest absq; fantasmatibus: & Aristoteles in libro de memoria, & reminiscentia, vocat eam syllogismum quendam prouenientem ex bonitate intellectus, & non reminiscentiæ naturalis, propterea Cirus, & Carneades Græcus, & nonnulli alij recitabant omnes libros quos viderunt in bibliothecis, ac si actu illos legissent, & hoc procedebat ex bonitate cerebri exercitati per huiuscemodi artem. Vbi nota, quod si vis hac mirabili arte vti, debes eligere aliquem locum vniuersalem continentem multa particularia, puta, eligere aliquam domum, in qua intueri debes superficies omnes illius domus, sic etiam & angulos, portas, fenestras & omnes alias conditiones illius domus, & sæpius eas intueri: vel aliquam ciuitatem, & considerare omnes vias illius ciuitatis, & palatia, in quibus habuisti aliquam satisfactionem, & delectationem, & sic considerando etiam diuersas cellulas existentes in illis palatijs, sic & columnas: quæ omnia se debent habere consequenter, & non confusè, quia loca illa debent esse delectabilia, & differentia, & sequentia sine aliqua interruptione & luminosa, & illis locis applicare sententias, vel carmina, vel nomina, vel quascunq; alias res, quarum reminiscentiam habere desideras, secundum quantitatem, & numerum orationum, aut prædicationum, seu lectionum, quas recitare volueris; puta habere centum millia loca, quæ sæpius in die deambulando, vel sedendo, vel iacendo reiterare debes in memoria tua, fabricando semper aliquid super illa loca; & sic videbis mirabilia de hac arte.

Nota etiam, quod inuentis huiuscemodi locis, poteris collocare illis personas, familiares, & amicas, puta mulieres, aut Prælatos, & Reges, & Principes, aliasq; personas nobilissimas omnibusq; cognitas, vel saltem tibi notissimas, & has personas debes collocare locis illis diuersimodè, puta stantes vel iacentes, vel pendentes, vt facilius possis eis accommodare actiones, quarum reminiscentiam desideras, & tales personæ collocatæ non debent esse odiosæ aut inimicæ, quia tunc turbarent animum, & nullam delectationem conferrent, ex consequenti neq; reminiscentiam. Nota adhuc, quod imagines, similitudines, locos, formas, & simulachra oportet esse simplices, vel compositas, secundum illa, quorum reminiscentiam desideras, vt puta, si volueris reminisci fabulæ Andromachæ, fingas personam aliquam in aliquo loco nudam, & ligatam ferreis cathenis semiuiuam, ac flentem: Sic etiam si volueris reminisci historiæ regum, & aliorum, quando expulsi fuerunt de Regno, fingas in aliquo loco personam aliquam habentem habitum regalem, ac tenentem in suis manibus ensem denudatum, nec non & flentem, & fugientem à propria domo, & sic de alijs.

Attende etiam circa hoc admirabile exercitium, quod habet duas partes; alteram stabilem, & immobilem, alteram vero instabilem, & mobilem: Pars stabilis atq; immobilis, sunt loca ipsa accepta, & stabilita; Pars verò mobilis, sunt imagines, conceptus, verba, nomina, orationes, prædicationes, & cætera huiuscemodi, quæ accommodari solent locis ipsis, quæ loca solent tenere rationem lapidis supra quem pictores solent trahere imagines: vnde personæ appositæ locis, sunt veluti notæ & imagines, ac signa quæ deleri possunt, & iterum aliud scribi, & millies ita fieri poterit, & semper lapis remanebit intactus, ita vt eo vti poterit, quoties voluerit: sic erit de locis ipsis, quia nos de his, quę recitamus, volumus vt aliqua firmiter remaneant in memoria, aliqua verò non curamus, sed eorum obliuiscimur, quemadmodum sunt nonnulla verba atq; nomina, & lectiones, & orationes, & comediæ, quibus iam actis parum curamus, vt remaneant in memoria, sed attendimus, vt loca remaneant vacua, & innitida, vt eis alias orationes, & prædi-

prædicationes approbpriare possumus: & in hoc similes efficimur pictoribus, qui, postquam designarunt aliquam imaginem super lapidem, vel rabellam, delent iterum ipsam, præparando eam ad recipiendam nouam picturam, ita etiam nos delemus orationes, & prædicationes appositas locis illis immobilibus, & applicare alias, pro vt nobis vtile, vel necessarium videtur, & sępius in die, vel in nocte, quando sensus quiescunt, debemus hoc exercitio vti, vt facilius ac promptius tali vtilissima arte vti possimus.

Attende etiam; quando aliquis vult reminisci aliquorum verborum particularium, vel nominum, debet obseruare regulam illam, quam ponit Arist. in tractatu de memoria, & reminiscentia, quæ consistit in tribus, scilicet, per propria, vel similia, vel contraria; Verba enim, quorum recordari debemus, aliqua habent imagines, aliqua non; illa, quę habent imagines, significant res materiales, vt puta tabula, atramentum aut calamum: Illa verò, quę non habent, sicuti sunt aduerbia, puta, Quia, Quoniam, Etenim, Tantum, Quantum, Quæ, aliqua dicunt quantitatem, aliqua verò quęrunt rationem: tunc enim recordamur verborum per propria, quando recordamur illorum verborum, quę habent suas imagines, & hęc est facilior reminiscentia: vnde si quis voluerit recordari alicuius auis puta lusciniç, imaginamur auem grandem & magnam, veluti aquilam.

Recordari verò per similia, est quando verba non habent proprias imagines, sed fingimus aliquas propinquas, & si non quo ad totum, saltem quo ad aliquid: verbi gratia, si quis voluerit recordari vnius relatiui, vt puta patris, imaginetur suum oppositum puta filium.

Recordari verò per contraria est, quando volumus ducere in memoriam aliquod nigrum, vel calidum, & imaginamus suum contrarium, putà album vel frigidum. Sic infirmitatem per sanitatem, & sitim per bibitionem. Hac arte vsi sunt sapientissimi viri, qui existimati sunt quasi miraculum in natura, ostendendo felicissimam memoriam, media hac arte. Sed qui vsurus est hoc exercitio, debet prius eligere, in quo genere debet vti, puta in genere prędicationis, aut lectionis, seu deliberatiui, seu demonstratiui vel huiuscemodi, & ad hoc propositum eligere diuersa loca, quibus possit applicare verba, vel nomina à simili, vel contrario, vel à proprio, vt dictum est: & sic vel diminuendo, vel transponendo, vel mutando, vel diuidendo: diminuendo à principio, vel à medio, seu à fine: quia poterit aliquis, quando habet loca fixa & stabilia, inchoare sententias, à principio locorum & ire vsq; ad finem, vel à medio, & proficisci ad finem, vel à fine eundo superius vsq; ad medium, vel usq; ad principium: vel transponendo ab vno, loco derelinquendo aliquem alium, & prosequi alium post illum, vel mutando ex vno loco ad alium, seu diuidendo sententias: & ex hoc apparet aliquis mirabilis tum legendo, tum prædicando, tum disputando, vt fecit Thomas de Vio Caetanus, & Picus Mirandulanus in quadam publica disputatione habita Ferrarię, vbi Picus ille ostendendo suum subtilissimum ingenium, centum difficilima argumenta proposuit, quæ omnia diuersis modis, vtendo hac regula supradicta, replicauit cum stupore, & admiratione omnium astantium: Sic etiam nonnulli alij fecere, vt Reuerendissimus ille Fr. Franciscus Panigarola ordinis fratrū Minorum: & admodum Reuerendus Francischinus Ferrariensis eximius prædicator; veluti etiam quidam magister Thomas Parisiensis Dominicanus, qui fuit admirabilis in hac arte. Sic etiam quibusdam medicamentis vsi sunt ad habendum memoriam retentiuam, quæ medicamenta superius posita sunt.

INCIPIT TERTIVS TRACTATVS FORMALITATVM,

De Contradictionibus in Doctrina S. Thomæ.

IN LOGICAM.

CONTRADICTIO I.

SANCTVS Thomas in prologo primi periher. dicit, quod Logica est ſcientia rationalis: ſic etiam & primo poſter. lect. prima. Huius tamen oppoſitum videtur aſſerere 4. metaph. lect. 4. vbi dicit, quod materia Dialecticæ eſt ens, & ea quæ ſunt entis, de quibus etiam Philoſophus conſiderat; modo ens, & ea quæ ſunt entis, de quibus Philoſophus conſiderat ſunt entia realia, quia Logica tractat de entibus realibus; ergo erit ſcientia realis, quia ſcientia ſpecificatur ab obiecto quod conſiderat. Et eò magis apparet hoc ex libro prædicamentorum, qui totus eſt realis; prædicamenta enim, vt ſubſtantia, quantitas, & qualitas, ſunt paſſiones entis realis, de quibus Logicus tractat, & Metaphiſ. 5. metaph. per totum.

CONCILIATIO.

Aliquã ſcientiam realem dici, intelligere poſſumus

HAnc contradictionem ſoluentes, dicimus, aliquam ſcientiam dici realem, multis modis intelligere poſſumus; *Primo.* Primò, quia ipſa ſcientia, eſt ens reale, quo pacto omnis ſcientia realis nuncupatur, cùm ſit in prædicamento qualitatis, & in prima eius ſpecie, quæ eſt habitus vel diſpoſitio. *Secundo.* Secundo, aliqua ſcientia poteſt dici realis, quia eſt in ſubiecto reali; & hoc etiam modo, quælibet ſcientia realis vocari debet, quia quælibet earum eſt in intellectu poſſibili ſubiectiuè, qui quidem intellectus eſt potentia animæ noſtræ, quæ eſt Ens realiſſimum. *Tertio.* Tertiò, ſcientia aliqua realis appellatur, quia habet cauſam realem, & ſic etiam omnis ſcientia realis nuncupari poterit, quandoquidem anima noſtra, quæ eſt ens reale, dicitur cauſa efficiens, & finalis, & materialis omnium ſcientiarum. *Quarto.* Quarto, ſcientia aliqua dicitur realis ratione obiecti, circa quod ſcientia illa verſatur, & tunc illa tantùm ſcientia dicitur realis, quæ habet obiectum reale, exiſtens extra animam, vt Philoſophia naturalis, quæ verſatur circa ens mobile; & Mathematica, quæ verſatur circa ens quantum; & Metaphyſica, quæ verſatur circa ens inquantùm ens; ſic & Theologia, quæ conſiderat Deum benedictum. Logica verò verſatur circa obiectum, quod eſt ens rationis: & propterea optimè dixit Sanctus Thomas, quòd Logica eſt ſcientia rationalis, intelligendo obiectiuè, quia obiectum ſuum eſt ens rationis. Nec contradicit ſibi ipſi ex hoc, quod 4. Metaph. affirmat, cum ait Ariſt. quod circa idem verſatur Logica & Me-

taphyfica ; feu materia Dialecticæ eft ens, & ea, quæ funt entis, quia hoc intelligitur fecundò intentionaliter, non autem naturaliter,& primò intentionaliter: nam ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinuenit in rebus confideratis, ficut intentio generis & fpeciei, & fimilium, quæ quidem non inueniuntur in rerum natura, fed confequuntur confiderationem rationis, & poffunt applicari omnibus rebus confideratis à Philofopho reali ; & fic etiam liber Prædicamentorum confideratur à Logico non in ordine ad paffiones reales,fed in ordine ad intentiones fecundas.Et ideo nulla eft contradictio in dictis Sancti Thomæ, & Ariftotelis.

CONTRADICTIO II.

SANCTVS Thomas primò Pofteriorum,lect.prima, dicit, Logicam effe artem, quia ficut ex hoc, quod ratio de actu manus ratiocinatur, adinuenta eft ars ædificatoria vel fabrilis, per quas homo faciliter & ordinatè hos actus exercere poffet,eadem ratione ars quędam neceffaria eft, quæ fit directiua ipfius actus rationis,per quã fcilicet homo in ipfo actu rationis, ordinatè,& faciliter, & fine errore procedat: & hæc eft ars Logica. Oppofitum huius fcripfit in prologo primi Periherm. vbi dixit, Logicam effe fcientiam. Confirmatur ex dictis Arift.in antepradicamentis, vbi vocauit Grammaticam effe fcientiam, quantò magis Logicam ? & ars diftinguitur contra fcientiam, intellectum, prudentiam, & fapientiam, 1.Pofter.lect.44.

CONCILIATIO.

Ars dupliciter fumi poteft. Communiter.

COntradictio hæc prouenit ex ignorantia huius termini ars, quæ dupliciter fumi poteft ; Primò communiter, vt continet fub fe omnes habitus intellectuales, & fic non eft habitus diftinctus ab alijs, continet enim fub fe fapientiam, quæ eft cognitio de primis caufis, & principijs complexis rerum ; continet etiam & habitum intellectus,qui eft cognitio principiorum indemonftrabilium,necnon & fcientiam, quæ eft firmus ac certus & euidens habitus conclufionum, acquifitus per demonftrationem; continet adhuc & habitum practicum, quia fi eft circa agibilia, vocatur prudentia, quæ eft recta ratio rerum agibilium à nobis, fi verò eft circa factibilia, tunc vocatur ars, quæ eft cognitio rerum factibilium. Cùm ergo ars ipfa communiter fumpta nil aliud fit, nifi collectio plurium præceptorum in vnum finem tendentium, quo modo prædicatur de omnibus habitibus intellectualibus,vnde fapientia,fcientia,& Grammatica, & Rhetorica artes dici poffunt ; ideo Logici diffiniendo Dialecticam, dicunt, quòd eft ars artium, & fcientia fcientiarum, ad omnium methodorum principia viam habens. Si autem capitur ars propriè fumpta, prout Arift. 6.Ethic. dicebat, quòd eft recta ratio rerum factibilium à nobis,fic diftinguitur contra alios habitus; & hoc modo diuiditur per feptem artes męchanicas,quæ ita dicuntur,quia faciunt intellectum męchari,ideft commifceri cum rebus exterioribus, & alienari à fua propria operatione, quæ eft fpeculatio: quemadmodum homo męchari dicitur, quando derelinquit propriam vxorem, & adhæret alienæ,fic & intellectus, qui habet quafi pro vxore fua ipfam fpeculationem, quãdo derelinquit fpeculationem, & exercet fe in operatione exteriori, dicitur męchari. Ex his ergo foluitur contradictio; quia quando dixit S.Thomas 1.Poft. Logicam effe artem, loquutus eft de hoc nomine Ars,communiter, vt continet fub fe cæteros habitus intellectuales,inter quos fcientia connumeratur, & propterea in prologo 1.Periherm. vocauit Logicam fcientiam,quia fcientia,& ars dici poteft.fic etiam Arift.in antepradicamentis loquens de fcientia, dixit, quòd eft in fubiecto .f. inhæfionis, & dicitur de fubiecto inferiori, puta de Grammatica, quia Grammatica fcientia etiam dicitur, cùm confideret de fermone congruo, vel incongruo; & Logica de fermone vero, & falfo ; & Rhetorica de fermone ornato & inornato ; immo dicuntur artes & fcientiæ triuiales iftæ tres,quia tribus vijs in vnum finem tendunt, videlicet in cognitionem fermonis, quemadmodum illæ aliæ quatuor artes, Mufica, Arithmetica,Geometria,& Aftrologia, dicuntur artes & fcientiæ quatriuiales, quia quatuor vijs tendunt in vnum finem, fcilicet in cognitionem quantitatis ; Arithmetica enim tractat de quantitate difcreta, hoc eft de numero, qui non eft contractus ad aliquam

Propriè.

Artes mechanicæ, quare mechanicæ dicuntur.

materiam

materiam ſenſibilem; Muſica tractat de quantitate diſcreta, contracta ad ſonum; Geometria verò diſputat de quantitate continua, ſed non contracta ad aliquam materiam ſenſibilem; Aſtrologia eſt illa, quæ diſputat de quantitate continua, contracta ad motum cœli. Ex quibus clarè habetur, artem continere ſub ſe ſeptem artes liberales, & ſcientiam communiter ſumptam.

CONTRADICTIO III.

SANCTVS Thomas in prologo 1. lib. Periherm. loquens de ſubiecto Logices, dicit, ſubiectum eius eſſe operationes intellectus; & probat hoc modo, Illud eſt ſubiectum, circa quod verſatur ars, vel ſcientia, 1. Poſt. tex. 179. ſed Logica verſatur circa operationes intellectus, ergo operationes intellectus ſunt eius ſubiectum: probat minorem, quia liber prædicamentorum tractat de pertinentibus ad primam operationem intellectus; liber Periherm. de pertinentibus ad ſecundam; liber Poſt. & conſequentes, de pertinentibus ad tertiam. Oppoſitum huius expreſsè docuit 4. Metaphyſ. in expoſitione tex. 5. vbi ait, Ens rationis eſt propriè ſubiectum Logices. Et propter hanc apparentem contradictionem Hierony. Balduinus inquirens de ſubiecto Logices, vocauit S. Thom. varium, &c.

CONCILIATIO.

LOgici ſcindunt tunicam Ariſt. in materia de ſubiecto Logices: Nam aliqui, vt fuerunt Nominales, voluerunt ſubiectum in Logica facultate eſſe terminum; hinc Paulus Venetus, & Paulus Pergulenſis omnia logicalia per terminos diffinierũt: Aliqui verò poſuerunt ſubiectum in Logica eſſe voces; nonnulli verò dixerunt eſſe res; & hinc Ariſt. de omnibus rebus in prædicamentis conatus eſt diſputare; Multi dixerũt eſſe argumentationem; aliqui ſyllogiſmum; aliqui verò demonſtrationem; aliqui modum ſciendi; aliqui inſtrumentum cognoſcendi; aliqui verò ſecundò intellecta, vt inſtrumenta notificandi, ſicut latius diſputauimus 4. Metaph. dilucid. 5. Sanctus verò Thomas ſemper fuit huius opinionis, ſubiectũ in Logica facultate eſſe ens rationis. Si autem 1. Periherm. ſicuti etiam & 1. Poſt. in prologo, diſtinguendo omnes libros Logicæ facultatis, affirmauit eos de operationibus intellectus ſufficienter pertractare, non habuit aliam intentionem ab illa, quando dixit, quod ens rationis eſt ſubiectum: quandoquidem operationes intellectus dupliciter conſiderari poſſunt; Vno modo in ordine ad paſſiones reales, & ſic nulli dubium eſt, quòd ſint entia realia, de quibus Ariſt. 3. de anima diſputat; Alio modo conſiderari poſſunt in ordine ad ſecundas intentiones, ſeu vt breuius dicam, ſecundò intentionaliter, & ſic nil aliud ſunt, niſi ens rationis. Ob hoc nulla eſt contradictio, dicere aliquando ens rationis eſſe ſubiectum, & operationes intellectus, ſecundò intentionaliter, eſſe etiam ſubiectum in Logica facultate: nam non loquitur Sanctus Thomas de ente rationis, vt genitiuus ille rationis, accipiatur effectiuè & ſubiectiuè, quales ſunt conceptus formales, quos intellectus in ſeipſo efficit, & producit: illa enim ſimpliciter non dicuntur entia rationis, quia verè ſunt qualitates realiter inhærentes ſubiecto, ſed accipitur ens rationis, vt eſt conditio in rebus, quæ conuenit illis ſolùm ex operatione intellectus: licet enim omnes res ſint ſingulares, tamen ex hoc, quòd intellectus cognoſcit hominem conceptu communi, abſtrahendo à conditionibus ſingularibus, res ipſa ſic concepta, ſit ſpecies; & ſi concipiatur concepto magis vniuerſali, vt animal ſit genus, & illa natura ſic abſtracta, vel reſpectu potius, quem habet ad conceptum abſtrahentem, dicitur conceptus obiectalis, & ens rationis, quia non hoc eſt eſſe diſtinctum à ſingularibus, niſi per operationem intellectus; & ſi concipiatur ea ratione, qua eſt commune pluribus differentibus numero, eſt ſpecies; & ſi cõmune pluribus differentibus ſpecie, eſt genus, quamuis ſint alia entia rationis in ipſis vocibus, inquantũm ſunt ſigna ſignificatiua ad placitũ; nam ly homo ex natura rei non habet, vt ſit nomen, ſed ex operatione intellectus imponentis, & ſic reſultant intentiones, propoſitiones, ſyllogiſmi, & hæc talia dicuntur entia rationis poſitiua, conſequenter ad operationes intellectus, & habentia fundamentum in rebus, mediatè vel immediatè, ad differentiam illorum entium, quæ nullum habent fundamentũ in re coniunctim, licet diuiſim, vt mons aureus, & hinnocerus; his enim modis

Diuerſa ſententia Philoſophorum de ſubiecto Logicæ recenſetur.

nedum operationes intellectus,sed cætera entia realia in ordine ad intentiones secundas, entia rationis dici possunt; & sic S.Thomas loquutus est 4.Metaph.lect.4.& opusc.42. de natura generis cap.4.& Auic.1.Metaph.quando dixit, quòd Logica est de secundis intentionibus adiunctis. & Caiet.lib.prædicab. cap.de genere. Errat igitur Hieronymus Balduinus tribuendo S.Thomæ quod ei non conuenit.

CONTRADICTIO IIII.

SANCTVS Thomas 1.Perihermen. lect.4. dicit; Sunt autem differentiæ entis possibile & necessarium; quibus verbis apertè ostendit,ens habere differentias. Oppositum huius scripsit Metaphys.lect.7.vbi probat, ens non habere differentias,quia differentia est extra essentiam illius,cuius est differentia, sed nihil potest esse extra essentiam entis; nam quid est extra essentiam entis?nihil:hoc autem differentia esse non potest;& propterea Arist.probauit 3.Metaphys.tex.10.ens non posse esse genus, quia non habet differentias, quomodo autem possibile & necessarium sunt differentiæ entis? erunt ergo ipsa non entia, &c.

CONCILIATIO.

Genus iuxta doctrinã Porphyrij tripliciter capi potest

CONtradictionem istam soluit ipsemet Sanctus Thomas 4. Metaphysices, lect. 4. circa finem, vbi asserit vnum, & ens, esse genera, sed non quod sint verè genera, sed ratione suæ communitatis quandam similitudinem generum habent: quia genus, cùm tripliciter capi possit, iuxta sententiam Porphyrij in Prædicabilibus; vel pro principio generationis, vt pater & patria; vel pro eo, cui supponitur species, vt animal, cui supponitur homo; vel pro principio multitudinis, vt Romulus dicitur genus Romanorum, & hoc modo ens potest dici, quod sit genus, quia habet quandam similitudinem generis: & sicuti ens similitudinariè dicitur genus, sic etiam & eius differentiæ, similitudinariè differentiæ dici possunt, quia non sunt veræ differentiæ: & propterea nulla est contradictio,dicendo in 1.Perihermenias, possibile & necessarium esse differentias entis,similitudinariè capiendo differentias;quando verò 5.Metaphys. negauit ens habere differentias, loquutus est de differentijs propriè sumptis, vt rationale & irrationale sunt differentiæ, quibus diuiditur animal,hoc enim modo ens non habet differentias: & propterea optimè sancitum est 3.metaph.tex.10. ens non esse genus: Et si quis quæreret, Quæ namq; sunt differentiæ illæ communiter ipsius entis? Respondetur,quòd illæ differentiæ sunt passiones eius, quæ sunt in duplici differentia; nam quædam sunt passiones simplices, vt quinque illa transcendentia, vnum, verum,bonum,aliquid, & res; & quædam sunt passiones coniunctæ, vt idem, diuersum, vnum & multa, actus & potentia,dependens & independens,necessarium & cõtingens, æquale & inæquale,& similiã, quæ omnia possunt dici ens, differentiæ communiter ipsius entis. Sed considerandum est, ꝙ inter istas passiones,seu differentias,præsertim simplices,datur quidã ordo, non quo ad res ipsas significatas, sed quo ad rationes formales, hoc modo videlicet, quia intellectus primo concipit ens, secundo concipit vnum, quia ex hoc, quod intellectus concipit ens, venit in cognitionem ipsius non entis, quia ex opposito cognoscitur oppositum, & sic ex ente cognoscitur non ens: & ex hac cognitione venit intellectus in cognitionẽ diuisionis, nam cognito, ꝙ ens non est non ens, statim cognoscit distinctionem inter ens & non ens, cùm sint opposita: & ex hoc etiam venit in cognitionem indiuisionis, quandoquidẽ omne ens in seipso est indiuisum aliquo modo indiuisionis: vnde illud,quod non est vnum, nõ est ens, & propterea intellectus cognito ente,statim cognoscit ipsum vnum,& post cognitionem vnius,cognoscit ipsum aliquid, & post cognitionem huius passionis, quod est aliquid, immediatè intellectus cognoscit ipsam rem,quoniam res ipsa dicitur à sua propria quidditate, vel essentia, & post cognitionem ipsius rei, intellectus ipse cognoscit verum, quia conceptus veri est prior conceptu boni: quandoquidem qualis est ordo inter intelligentiã & voluntatem, talis est inter eorum obiecta, sed intelligentia est prior voluntate, cùm sequatur apprehensionem intellectus, ergo verum quod respicit intellectum est prius conceptum,quàm quod respicit voluntatem. Adde etiam, quia vniuersalia sunt priora in co-

gnitione

gnitione nostra, vt scribitur 1. Phys. tex. 3. sed verum est vniuersalius bono, eo quod consequitur ens absolutum, bonum autem consequitur ens actu, igitur verum est prius, quàm ipsum bonum: Hic ergo ordo reperitur inter has simplices passiones entis. De ordine passionum coniunctarum erit alibi sermo: pro nunc sciendum etiam est, quod ens quidditatiuè prædicatur de istis passionibus, seu differentijs contra nonnullos oppositum docentes. Verum notandum est, quòd ens ipsum multipliciter capi potest; Primò, vt significat actum essendi, quod idem est quod actus existendi, prout est participium huius verbi, Sum, es, est; Secundò potest capi ipsum ens, vt significat naturam rei existentis, tanquam nomen verbale, quemadmodum hoc nomen viuens: aliquando significat actum viuendi, seu vitalem, qui est participium huius verbi viuo, viuis, & sic opponitur ipsi mortuo: aliquando viuens, significat ipsam naturam rei viuentis, & sic spectat ad prædicamentum substantiæ, & opponitur rebus inanimatis, & non est participiū illius verbi viuo, viuis, sed est nomen verbale: & hoc modo aliàs distinximus de ente, quod capitur dupliciter, particulariter vel nominaliter. Ens quoque dicitur de re illa, in qua distinguitur existentia ab essentia; & hoc pacto Diuus Dionysius lib. de diuinis nom. cap. 5. dicebat, Deum nō esse ens, sed esse supra ens: vnde in ista propositione, quando dicitur, Deus est ens, si capitur pro participio, est in primo modo dicendi per se, quia existentia Dei est eius quidditas, & essentia, & sic intelligitur illud dictum Exodi 30. Ego sum qui sum; & hoc pacto non prædicatur ens de creaturis: vnde dicendo, Angelus est ens, Cœlum est ens, vnum est ens, bonum est ens, istæ propositiones omnes sunt falsæ, quia non sunt in primo modo dicendi per se, sicut illa, Deus est ens; si verò ens capitur prout significat essentiam, sic prædicabitur in quid de omnibus rebus, & earum differentijs, quandoquidem omnia, quibus conueniunt passiones entis sunt quidditatiuè entia, sed passiones entis non communicantur, nisi illis, quibus communicatur quidditas, à qua fluunt, sed nulla est differentia, cui non conueniat esse vnum, verum, bonū, rem, aliquid, & alia huiusmodi, igitur hoc modo ens prędicabitur in quid, & quidditatiuè. Et propterea esto cautus, quādo disputas de vniuocatione entis, & veri, quod sit vniuocum vel æquiuocum Deo & creaturis, propter illud argumētum, quod fieri solet; Æquiuocorum idem est nomen, & diffinitio diuersa, sed Dei, & creaturarum est idem nomen entis, & diuersa diffinitio, quia ista propositio, Deus est ens, est in primo modo dicendi per se, & creatura est ens, non est in primo modo dicendi per se, ergo Deus & creaturæ conueniunt æquiuocè sub ente, & non vniuocè; male ergo docent aliqui vniuocationem entis inter Deum & creaturas.

Entis multimoda acceptio.

CONTRADICTIO V.

DOCTOR Angelicus Sanctus Thomas 1. Poster. lect. 2. asserit, subiectum mobile cōsiderari in Philosophia naturali his verbis: Vnde in illis scientijs, quarum subiectum est aliqua substantia, id quod est subiectum, nullo modo potest esse passio, sicut est in Philosophia prima, & in scientia naturali, quę est de subiecto mobili, subiectum autem mobile est corpus, igitur corpus mobile est subiectū in Philosophia naturali. Quod etiam expressit lect. 25. his verbis: Animal est species corporis naturalis, & ideo scientia de animalibus est sub scientia naturali, igitur corpus naturale erit subiectum, vt lect. 41. clarius dicit, Metaphysica quæ est de ente, siue de substātia, est communior quàm Physica, quæ est de corpore mobili. Hoc idē dixit 1. lib. de cœlo lect. 1. & q. 14. de ver. art. 8. respondendo ad vltimum argumentum, vbi apertis verbis dicit, corpus mobile est subiectum naturalis Philosophiæ. Oppositum horum dictorū scripsit in prologo 1. Phys. dicens, subiectum physicorum est ens mobile simpliciter, non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus pbatur in isto libro. Ex quibus apparet hic expressa cōtradictio.

Quod sit subiectum in Philosophia.

CONCILIATIO.

QVidam soluentes præsentem contradictionem, dicunt hæc nomina, corpus mobile, corpus naturale, ens mobile, ens naturale, sic etiam substantia mobilia, & substantia naturalis, necnon substantia sensibilis, & corpus sensibile idem significare, & non esse diuersa nomina realiter; & propterea non est mirum, si aliquando Sanctus Thomas dixit primo Posteriorum, corpus mobile esse subiectum Philosophiæ

Philosophiæ naturalis, & aliquando, vt in prologo primi Physicorum, dixerit, ens mobile esse subiectum: vnde nulla est contradictio inter hæc dicta. Et ex hac responsione conciliantur diuersæ opiniones: nam Magnus Albertus, Magister Sancti Thomæ, voluit corpus mobile esse subiectum in Philosophia naturali, sicuti corpus mathematicum in Mathematica, & corpus metaphysicum in Metaphysica: Scotus voluit, subiectum Philosophiæ naturalis esse substantiam naturalem: Auerroes verò docuit, esse res sensibiles, & aliquando (vt patet in 4. metaph. comm 1.) expressit, ens mobile esse subiectum: Et sic etiam S.Thom. diuersimodè vsus est in diuersis locis his nominibus, quæ sunt diuersa nominaliter, non autem realiter, quandoquidem realiter pro eodem sumuntur. Alij verò dicunt, nullam esse contradictionem, sed esse potius retractationem, quia etsi 1. Phys. dixerit, ens mobile esse subiectum, tamen in procemio libri de cœlo & mundo, quem posterius scripsit in ætate senili, & sapientior effectus, dixit, corpus mobile esse subiectum: vnde nulla est repugnantia inter hæc dicta, quia vnum istorum correctũ est per aliud. s. prius per posterius.

Duæ opiniones supra recitatæ refelluntur.

Verùm nulla harum duarum opinionum videtur esse ad aures S.Thomæ, quandoquidem ipse expresè 1. Phys. explicans in prologo diuersas materias scientiarum, afferit quædam esse, quorum esse dependet à materia, nec sine materia diffiniri possunt; quædam verò sunt, quæ licet non possint esse sine materia sensibili, tamen in eorum diffinitione materia sensibilis non cadit, & hæc differunt ad inuicem, vt curuum & simum, nam simum est in materia sensibili, & necesse est, ꝙ in eius definitione cadat materia sensibilis; est enim simum nasus curuus, & talia sunt omnia naturalia, vt homo, lapis; curuum verò licet esse non possit, nisi in materia sensibili, tamen in eius diffinitione materia sensibilis non cadit, & talia sunt omnia mathematica, vt numeri, magnitudines, & figuræ. Quædam verò sunt, quæ non dependent à materia, nec secundùm esse, nec secundùm rationem, vel quia nunquam sunt in materia, vt Deus, & aliæ substantiæ separatæ, vel quia non vniuersaliter sunt in materia, vt substantia, potentia, & actus, & ipsum ens, & de his est Metaphysica, tanquam de subiecto: De his verò, quæ dependent à materia sensibili secundùm esse, sed non secundùm rationem, est Mathematica tanquam de subiecto. Subdit deinde, materiam, & subiectum Philosophiæ naturalis, afferens, ꝙ de his quę dependent à materia non solùm secũdùm esse, sed etiã secundùm rationem est scientia naturalis, quæ Physica dicitur; & quia omne, quod habet materiam, mobile est, consequens est, ꝙ ens mobile sit subiectum naturalis Philosophiæ; naturalis autem Philosophia de naturalibus est; naturalia autem sunt, quorum principium est natura; natura autem est principium motus, & quietis eius, in quo est. De his igitur, quæ habent in se principium motus est scientia naturalis, & ideo ens mobile simpliciter est subiectum eius: non dico autem corpus mobile, quia omne mobile esse corpus probatur in isto libro, scilicet 6. Phys. tex. 23. & nulla scientia probat suum subiectum. Ex hoc discursu luce meridiana clarius apparet nullam istarum duarum responsionum sedare contradictionem propositam; & propterea in hac parte reprehensus fuit à me quidam eximius & sapientissimus Doctor Georgius Bustus Vercellensis, qui in quibusdam quæstionibus suis de adæquato subiecto totius Philosophiæ naturalis, docuit S. Thomam pro eodem accipere corpus mobile, & ens mobile; & quia ipse vidit reprehensionem sibi factam, rursus in ætate senili scribens de eadem materia, idem confirmauit, nulla prorsus ratione motus, sed ne videatur sibiipsi esse inconstans, noluit retractare, quod vidit esse retractandum, sed potius voluit permanere in mendacio. Et ideo postpositis omnibus affectionibus, & tantùm veritatem habentes ante oculos, dupliciter dicimus contradictionem istam posse tolli in doctrina S.Thomæ. Primò, quia libri physici sunt vniuersaliores libro de cœlo & mundo, nam in eis pertractantur res communes, & principia vniuersalia, puta materia, forma, priuatio, natura, causæ motus in communi, infinitum, locus, & tempus, necnon & primus motor, vt patet in 8. Phys. & propterea S.Thomas volens exprimere quoddam subiectum commune, omnibus istis consideratis, in octo libris Physic. dixit, esse ens mobile simpliciter, quod posuit Arist. in definitione motus 3. Phys. tex. 6. dicens, quòd motus est actus existentis in potentia, seu entis in potentia, secundùm quod huiusmodi; hoc autem ens in potentia secundùm quod huiusmodi, est ens mobile simpliciter, & erit subiectum totius Philosophiæ naturalis: Liber autem de cœlo & mundo, cùm sit particularior, & specialior liber, & non ita amplior, & communior, propterea tractat de mobili, secundùm motum localem, qui est prima species motus, mobile autem secundùm motum localem est corpus mobile: & propterea sapientissimè affirmauit, corpus mobile esse subiectum Philosophiæ naturalis, respiciendo ad particulares libros: sicuti in libris

Georgius Vercellensis reprobatur, dicens apud S. Thomam pro eodem capi ens mobile, et corpus mobile.

de gene-

de generatione,& corrupt. tractatu de motu ad formam,& primis mobilibus,scilicet elementis, quantum ad transmutationes eorum in communi, & ideò in eis subiectum est corpus transmutabile: in libris Metheororum disputatur quo ad speciales transmutationes eorum,& ideo specialia subiecta sunt eis assignanda, sicuti etiam in libris de mineralibus,& in libris de animalibus. Nulla ergo ex dictis contradictio est in dictis S. Thomæ, secundum istam viam. Potest etiam secundò dici, quod aliud est loqui de subiecto totali, & adæquato, aliud est de parte subiectiua ipsius subiecti, quia subiectum, vt scritur 1. Post. tex. 179. tribus nominibus vocatur. Dicitur primò genus omnium corporum naturalium, quæ sunt partes subiectiuæ, & sic ens mobile in communi est tanquam genus omnium corporum naturalium, quæ sunt partes subiectiuæ, seu species eius. Dicitur etiam compositum respectu suorum principiorum, vt docuit Auerroes: 1. Phys. com. 65. Dicitur etiam & subiectum in ordine ad suas passiones, vt scripsit Arist. 1. Topicor. c. 4 & propterea subiectum dici solet, quod habet tria, scilicet partes, principia, & passiones. Quando ergo S. Thomas in prologo 1. Phys. sapientissimè docuit ens mobile simpliciter esse subiectum in Phylosophia naturali,& non corpus mobile, loquutus est de subiecto totali & adæquato, siue communi; quando verò in alijs locis dixit subiectum Philosophiæ naturalis esse corpus mobile, voluit intelligere de parte, seu specie ipsius entis mobilis simpliciter, quæ quidem species potest etiam dici subiectum primum primitate attributionis, ad differentiam subiecti primi primitate adæquationis, & subiecti primi primitate intentionis, vt latius docuimus in additionibus nostris physicalibus. Potest etiam & tertio non inepte dici, ens mobile simpliciter esse subiectum formale naturalis philosophiæ, quia ei primò & per se conuenit passio prima& principalis, quæ est motus, cum dictum sit quod in diffinitione motus positum est ens mobile; quod clarius ostendit Arist. 4. Metaphy. tex. 1. assignans subiectum Metaphy. esse ens simpliciter, subiectum verò aliarum scientiarum esse partes entis simpliciter, puta ens quantum in Mathematica, & ens mobile in Physica. Et 6. etiam Metaph. tex. 1. dixit, quod Physica est Theorica circa tale ens, quod est possibile moueri, hoc autem non est, nisi ens mobile simpliciter: quando verò S. Doctor sapientissimè primò Post. & primo de cælo,& in disputatis dixit, corpus mobile esse subiectum in Philosophia naturali, loquutus est de subiecto materiali, quia participat rationem subiecti formalis; quemadmodum in Logica subiectum totale adæquatum, & formale dictum est quod est ens rationis, seu operationis intellectus, secundò intentionaliter; subiectum verò materiale, & minus principale est Syllogismus, quia participat rationem entis rationis. Ex his ergo clarissimè apparet, nullam esse in dictis S. Thomæ controuersiam & contradictionem.

Subiectum, tribus nominib. vocatur.

CONTRADICTIO VI.

SANCTVS Thomas lect. 41. Post. asserit, singularia esse priora, & notiora, quo ad nos, quia sunt proxima sensui, & opponuntur vniuersalibus, siue oppositione propinqua siue remota. Oppositum huius scripsit 1. Phys. lect. 1. dicens: ea, quæ sunt nobis nota, sunt confusa, qualia sunt vniuersalia,& propterea in sciẽtijs opus est nos procedere ab vniuersalibus ad singularia; quod latius ostendit etiam 1. Post. q. 85. arg. 3. & in libello de ente,& essentia, ad principium, vbi de mente Auic. affirmat vniuersalia magis esse nobis primò cognita: vbi Caietanus auream illam quæstionem de primò cognito agitat.

CONCILIATIO.

PRæsens Contradictio secundum diuersos Doctores diuersimodè sedari potuisset, sed quia nos loquimur ad aures S. Thomæ, propterea iuxta eius doctrinam videndum est, quomodo conciliari possint diuersa hæc dicta sua. Scio enim, quid Burleus,& Buridanus, 1. lib. Phys. & Gregor. Arimin. 1. sent. dist. 3. arg. 2. & Durandus de S. Portiano 2. sent. dist. 3. q. 7. vno animi consensu voluerunt, quod illud quod primò noster intellectus cognoscit, sit quoddam singulare indiuiduum, cum sit magis sensatum; Scotus verò 1. sent. dist. 3. q. 2. dixit, minus vniuersalia esse nobis notiora magis vniuersalibus; & sic voluit, quòd species specialissima est primò cognita,& deinde genus. Marcus An-

Vniuersalia an sint nobis primo nota declaratur.

cus Antonius Zimarra in quadam quæstione sua peculiari de primo cognito, nouam viam adinuenit, circa id, quod primo intellectus cognoscit: dixit enim ipse, quod non semper seruat eundem ordinem, sed aliquando vniuersaliora sunt primò cognita, vt viuens & animal prius cognoscuntur, quàm equus, & leo; aliquando verò minus vniuersalia prius cognoscuntur, intellectus enim prius cognoscit species aliquando, quàm genus. Et mouetur ex quadam doctrina, quam expressit Arist. 7. Metaphys. tex. 3. vbi dicit, quod equus & asina in producendo seu generando mulum, conueniunt in quodam genere innominato, & incognito, quod est iumentum, & propterea in hac operatione, intellectus prius cognoscit minus vniuersalia, quàm magis. Sanctus autem noster Doctor semper fuit huius opinionis, quod ens est illud, quod primo ab intellectu nostro percipitur. Sed sano modo est intelligenda hæc sententia, quia ens dupliciter sumi & perpendi potest; Vno modo, prout est commune decem prædicamentis, significans immediatè ipsa decem rerum genera, & sic non intellexit S. Thomas: Alio modo ens ipsum sumi potest, vt significat immediatè quamcunque rem, siue singularem, siue non: & adhuc dupliciter considerari potest; Vno modo transcendenter, vt significat, & se extendit ad quamcunque rem, cuiusmodi sunt res sensibiles, & etiam intelligibiles vniuersaliter; Secundò vt se extendit tantum ad res ipsas sensibiles, & subiectas sensibus nostris, & tale ens dicitur esse obiectum intellectus nostri, pro isto statu, quo sensibus ipsis est alligatus: & hoc ens expressit Caietanus per id, quod est concretum quidditati sensibili, seu per ipsammet quidditatem sensibilem, quæ primo cognoscitur cognitione confusa actuali. Et hanc opinionem tenuerunt Arabes, præsertim Auicennas 1. Metaphys. cap. 6. sic etiam & Græci, de numero quorum est Ammonius, in prefatione libri Porphyrij, nec non & Themistius 1. lib. Poster. iuxta finem, & Phyloponus 1. lib. Phys. Est ergo opinio S. Thomæ de primo cognito, quod est vniuersale magis, antiquissima inter Phylosophos, & corroborata validissimis rationibus, quas adducere ad præsens esset superuacaneum, cum habeantur exactè apud Caietanum in quæstione de primo cognito. Sed ad formam contradictionis attendendo, dico quod singulare apud S. Thomam dupliciter sumi potest; Vno modo absolutè pro indiuiduo, non prædicabili de inferiori, sicut est Sortes, & Plato; Alio modo comparatiuè, scilicet pro minus vniuersali, sicut homo potest dici singulare respectu animalis, quia est minus vniuersale, & sic 1. Poster. scripsit S. Thomas, singularia ipsa indiuidua sensibilia, quæ sunt magis nota, quo ad nos, quia cognitio sensus, quæ est singularium, præcedit cognitionem intellectus, quæ est vniuersalium: sed quia cognitio intellectualis est perfectior, vniuersalia autem sunt intelligibilia in actu, non autem singularia, cum sint materialia, propterea simpliciter, & secundum naturam sunt notiora: primo autem Phys. per singularia non intellexit ipsa indiuidua simpliciter, sed minus vniuersalia. Et sic nulla est contradictio, præsertim cum singularia cognoscantur per sensum, & vniuersalia per intellectum. Diuersimodè ergo sunt intelligenda hæc dicta, quod vniuersalia sint primò cognita cognitione intellectiua, singularia verò primò etiam cognita sint cognitione sensitiua; Quam solutionem latius videre poteris 1. par. q. 85. ar. 3.

Ens dupliciter sumi potest.

Singulare duplex.

CONTRADICTIO VII.

SANCTVS Thomas lectione septima, 1. Poster. dicit; prima principia non posse demonstrari, nec cognosci per aliquod medium extrinsecum, sed per cognitionem propriorum terminorum. Oppositum huius docuit 1. Phys. Lectio. 13. vbi asseruit, Aristotelem probare prima principia rerum naturalium, nempè materiam, formam, & priuationem, quia in quolibet fieri reperiuntur hæc tria, scilicet subiectum, & terminus factionis, nec non & oppositum eius; & hæc probantur per media extrinseca, quia materiam probat Aristoteles via transmutationis, & formam via operationis, quæ sunt extrinseca ab eis.

In quolibet fieri tria reperiuntur.

CONCILIATIO.

CONtradictionem istam soluit ipsemet S. Thomas, continuando secundum librum Physicorum cum primo, asserens Philosophum, in primo libro determinasse de principijs rerum naturalium, in secundo verò de principijs scientiæ naturalis. Est ergo distinctio,

& hoc modo cæcitas dicitur priuatio visus, & mors priuatio vitæ: hinc sumitur famosa illa propositio, A priuatione ad habitum non est regressus, secundùm cursum naturæ.

Quid est oppositio contradictoria?

℞. Est repugnatia duorum terminorum incomplexorum, quorum significata non possunt de aliquo simul esse vera, vt homo, & non homo; sedere, & non sedere.

INter contradictoria nõ datur medium, quia vnum extremorum est ens, & alterum non ens, & inter ens, & non ens non datur medium: quanquam medium duplex sit, Alterum per participationem vtriusq; extremi, vt rubeum & viride; Alterum per negationem, vt lapis non est nec sanus, nec æger: oppositio relatiua poterit habere medium per negationem, quia, vt dictum est, lapis nec est pater, nec filius; & similiter oppositio contraria, & etiam priuatiua, sed contradictoria nullum medium habet: vnde solet etiam dici, Contradictio est oppositio, cuius secundùm se non est inuenire medium.

Quot modis dicitur prius?

℞. Quinque modis, secundùm tempus, secundùm naturam, secundùm ordinem, secundùm dignitatem, & secundùm causalitatem.

Quid est vnusquisque istorum modorum?

PRius secundùm tempus est illud, quod fuit in aliquo tempore in quo non fuit aliud, vt Adam fuit prior Moise. Prius secundùm naturam est, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, vt si sunt tria, ergo sunt quatuor, non valet ideo tria sunt priora quatuor. Prius secundùm ordinem est illud, quod præcedit aliud in doctrina, & conditione; vt principia scientiæ, sunt priora, quàm ipsa scientia. Prius secundùm dignitatem est illud, quod præcedit aliud in doctrina, & auctoritate, vt Rex est prior suis Capitaneis. Prius secundùm causalitatem est illud, à quo aliud pendet, & non è conuerso, vt res est causa veritatis in propositione: vnde dicitur, quòd ab eo, quod res est, & non est, oratio est vera, vel falsa.

Quot modis capitur simul?

℞. Quinque modis.

Quid est vnusquisque horum?

PRimus dicitur simultas temporis, & est illud, quotiescunq; duo vniuntur in eodẽ tempore, vt duo gemelli orti in eodem tempore, & subiectum, & passio: secundus modus est simul secundùm conuertentiam, & conuenit his, inter quæ datur consequutio in affirmando, & negãdo, vt si ponitur vnum, ponitur & alterum, & si remouetur vnum, remouetur & alterum, vt patet in relatiuis: tertio dicitur simul secundùm naturam, & conuenit his quæ diuidunt idem genus, vt sunt duæ differentiæ, puta rationale, & irrationale, quæ diuidunt animal: quartus dicitur simul dignitate, & conuenit his quibus confertur eadem dignitas, vt duo homines Senatores in Republ. quintus dicitur simul secundùm causalitatem, & conuenit his, qui simul causant, vt duo trahentes eandem nauim.

℞. Quot sunt species motus?

℞. Sex, videlicet generatio, corruptio, augumentum, diminutio, alteratio, & motus localis.

VT docet Arist. 3. Phys. motus est actus mobilis, inquantum mobile; & ista diffinitio competit omnibus speciebus motus, licet Logici soleant diffinire vnamquamque speciem, dicendo, quòd generatio est progressio à non esse ad esse, vt quando generatur Sortes, corruptio est progressio ab esse substantiali, à non esse, vt quando corrumpitur. Augumentum est præexistentis quantitatis additamentum, vt si minori quantitati addatur maior. Decrementum est præexistentis quantitatis minoramentum, vt si à quantitate aliqua abstrahatur aliqua pars. Alteratio est mutatio quædam de contrario in contrarium. Motus localis est mutatio de vno loco in alterum, vt quando totum subiectum relinquit vnum locum, & ingreditur alterum.

Quot modis sumitur habere, & quis est vnusquisque illorum modorum?

℟. *Septem modis.*

PRimus est, quando quis habet qualitatem, vt Titius dicitur habere virtutem, vel scientiam: Secundus est, quando quis habet quantitatem, vt Ioannes dicitur habere quantitatem bicubitalem, & Franciscus tricubitalem: Tertius est, quando quis dicitur habere ea quæ insunt corpori, vel partibus eius, vt Sortes dicitur habere vestes, vel biretum in capite: Quartus est, quando quis dicitur habere membrum aliquod, vt Titius habet manum vel brachium: Quintus est, quando quis dicitur habere possessionem, vt Titius habet ciuitatem aliquam, vel agrum: Sextus est, quando quis dicitur habere contentum, vt lagena habet vinum, & modius triticum, & continens contentum: Septimus est, quando quis habet vxorem, vt Sortes cohabitat familiariter cum Berta sua vxore.

Quid est nomen?

℟. *Est terminus per se significatiuus ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars aliquid significat separatim, finita & recta, vt homo.*

ARistoteles 1. Periherm. diffiniuit ipsum nomen per vocem; nihilominus quia hic latius pro nouitijs loquimur de pertinentibus ad primam operationem intellectus, propterea per terminum, & non per vocem diffinimus ipsum nomen, terminus enim & in voce, & scripto, & mente esse poterit: vnde septem particulæ positæ sunt in hac diffinitione; Prima est, quòd nomen est terminus, & ponitur loco generis, quia in plus est terminus, quàm nomen, si quidem verbũ est terminus, cũ sit pars propinqua orationis, &c. tamen non est nomen. Patet igitur terminum esse communiorem, quàm ipsum nomen. Secunda est, per se significatiuus, ad differentiam terminorum, qui non per se significant, vt sunt termini syncathegorematici, vt sunt signa vniuersalia, & particularia, omnis, nullus, & aliquis. Tertia est ad placitum, & ponitur ad excludendum terminos significantes naturaliter, vt latratus canum, & gemitus infirmorum. Quarta est sine tempore, ad excludendum ipsum verbum, quod significat cum tempore, licet sint quædã nomina, quæ significent tempus, vt ait D. Thom. 1. Periher. de mense, septimana, & hora. Quinta est, cuius nulla pars separata aliquid significat, ad excludendum orationem, cuius partes separatæ significant aliquid: & licet partes nominis alicuius significant aliquid, non tamen significant illud, quod prius significabant, vt docet Philosophus 1. Periher. Sexta particula est finitus, vt excludatur terminus infinitus, puta non homo, lapis, qui licet sint nomina apud Grammaticum, non tamen apud Logicum. Vltima particula dicitur rectus, vt excludatur nomen obliquum, quod quidem etiam apud Grammaticum est nomen, non tamen apud Logicum, vt puta Catonis, Catoni, Catonem, hæc nomina obliqua cùm non possint facere propositionem veram, vel falsam, non considerantur à Logico.

Quid est verbum?

℟. *Est terminus per se significatiuus ad placitum, cum tempore, cuius nulla pars separata aliquid significat, finita, & recta, & est extremorum vnitiuus.*

IN hac quoq; diffinitione ponuntur septem particulæ, quarum Prima est terminus, qui est loco generis, cùm omne verbum sit terminus, non tamen econtrario, cùm nomen quoque sit terminus, non tamen est verbum: Secũda particula est per se significatiuus, ad differentiam verbi non per se significatiui, vt dictum est in diffinitione nominis: Tertia particula est ad placitum, propter verba mentalia, quæ significant naturaliter, & non ad placitum: Quarta particula est, cum tempore, vt excludantur nomina, & pronomina, quibus non conuenit significare cum tempore, cùm non significent per modum actionis, & passionis, sicut verbum, & participium: Quinta particula est, cuius nulla pars separata aliquid significat: hæc particula ponitur ad excludendas orationes omnes, quarum partes separatæ significant, sed partes verbi siue simplicis, siue cõpositi, nullo pacto significant id, quod prius significabant: Sexta finita, vt excludatur verbum infinitum ponitur, puta non curro, non laboro, hoc enim verbum non significat aliquid determinatè, propterea non est verbũ apud Logicum. Ponitur & septima particula rectus, vt excludatur verbum obliquum, puta præteriti, & futuri temporis, & cuiuslibet modi, quæ non sunt verba apud Logicum, cùm

non faciant propositionem veram, vel falsam, & propterea Logicus tantummodo considerat verbum indicatiui. Addita quoque est, & vltima particula. s. extremorum vnitiuus, vt excludatur ipsum verbum à participio, cui licet competant particulæ diffinitionis verbi suprapositi, non tamen competit hæc vltima, nam participium non vnit subiectum cum prædicato: vnde si quis diceret, Titius studens, non facit propositionem, nisi subintelligatur verbum, est, puta Titius est studens; propterea tantùm verbum vnit, & copulat subiectum cum prædicato, & facit propositionem: ipsum autem participium non potest esse copula inter prædicatum, & subiectum. Et hæc dicta sufficiant de terminis pertinentibus ad primam operationem intellectus. Sequitur videre, quomodo regulatur secunda operatio intellectus, & hoc in sequenti parte.

SECVNDA PARS.

De propositionibus, subseruiens secundæ operationi intellectus.

Quid est oratio?

℟. *Est terminus per se significatus ad placitum, cuius pars separata aliquid significat, vt homo est animal.*

SI verum est Logicam esse artem directiuam actuum rationis, siue operationum intellectus, & quia per primum tractatum de terminis, habet nouitius aliqualem cognitionem eorum, quæ regulant primam operationem intellectus, operepretium est modo tradere cognitionem de his, quæ regulant secundam operationem intellectus; hæc autem sunt propositiones: quas antequam declaremus, oportet definire quid sit oratio: & dictum est, quòd est terminus. s. complexus, siue in mente, siue in voce, siue in scripto: & licet ens nomen & verbũ sint termini, non tamen sunt complexi, propterea hęc particula posita est loco generis. Dicitur ad placitum propter orationem mentalem, quę significat naturaliter. Dicitur quoque, cuius pars separatim aliquid significat, vt homo est pars orationis, & separato ab oratione, significat naturam humanam, sicut & omnis oratio; & hoc propter partes nominis & verbi, quæ separatæ nihil significant.

Quotuplex est oratio?

℟. *Duplex, perfecta, & imperfecta.*

Quid est oratio perfecta?

EST illa, quæ perfectum sensum generat in animo auditoris, vt homo est animal, vt ait D. Thomas 1. Periherm. tunc oratio est perfecta, quando perfectè exprimit sensum orationis. in quo consistit verũ, vel falsum: & quia in sola indicatiua, siue enunciatiua oratione est verum, & falsum, propterea ipsa sola absolutè est perfecta oratio; licet & alię quoq; sint orationes perfectę quoad complementum sententiæ, vt imperatiua, ò Petre fac ignem; & deprecatiua, vt vtinam essem felix; & interrogatiua, vnde venis? & vocatiua, vt ò bone Petre; est etiam dubitatiua, quæ reducitur ad interrogatiuam & optatiuam, quę reducitur ad deprecatiuam, hę enim non dicuntur perfectæ, quia non significant verum, vel falsum, sed quia complent sententiam: hinc est, quòd de istis non tractat Logicus, sed tantùm de enunciatiua, quę non omnis est, sed illa, in qua est verum, vel falsum.

Quid est oratio imperfecta?

℟. *Est illa, quæ imperfectum sensum generat in animo auditoris, vt animal, album.*

QVotiescunque non apponitur verbum substantiuum inter duo nomina, illa nomina non constituunt perfectam orationem: vnde hęc nomina, Sortes homo, vel Sortes doctus, non faciunt orationem perfectam, etiam quod capiatur nomen cum verbo impersonali, dicendo, Sortes incipit, vel definit: propterea hæ orationes potius spectant ad Grammaticum, vel Poetam, & Rhetoricum, quàm Logicum, cuius munus est veritatem, & falsitatem indagare.

Quid est propositio?

℞. *Est oratio perfecta, in qua est verum vel falsum, vt species prædicatur de indiuiduo.*

VErum, & falsum reperiuntur in oratione tanquam in signo, quia in intellectu reperitur verum, & falsum, tanquam in subiecto, vt scribitur 6. Metaph. in rebus reperitur verum & falsum, tanquam in causa, vbi dicitur: in lib. prædicamētorum, ab eo quod res est, vel non est, oratio est vera vel falsa: vnde propositio debet esse modi indicatiui, quia propositiones aliorum modorum non significant verum, & falsum, nisi reducantur ad orationem modi indicatiui. Et dicitur propositio, quasi pro alio posita, quia ponitur pro conclusione probanda. Dicitur etiam & præmissa, quia præmittitur conclusioni.

Quæ est prima diuisio propositionis?

℞. *Diuiditur primo in cathegoricam, & hypotheticam.*

PRima diuisio, quam posuit Philosophus de propositione, est in simplicem, & compositam: & per propositionem simplicem, intelligunt Logici propositionem cathegoricam. i. prædicatiuam, vt homo est albus: & per propositionem hypotheticam. i. suppositiuam: quia sicut in rebus, quæ sunt extra animam aliquid est vnum simplex, sicut indiuisibile, vel continuum; & aliquid est vnum colligatione, aut compositione, vt domus, ita in propositionibus, aliqua propositio est simplex, aliqua composita.

Quid est propositio cathegorica?

℞. *Est illa, quæ habet subiectum, prædicatum, & copulam, tanquam principales partes, vt homo est rationalis.*

HOmo dicitur subiectum, quia de hoc dicitur rationale, quod quidem dicitur prædicatum: & quia subiectum, & prædicatum sunt relatiua, & alterum diffinitur ad alterum, propterea prædicatum ponitur in definitione subiecti, & ecōtra. Copula est verbū, quod mediat inter subiectum, & prædicatum, & istę sunt principales partes ex quibus componitur propositio cathegorica: & per hoc excluditur hypothetica, quæ habet pro suis principalibus partibus non subiectum, & prædicatum tantùm, sed plures cathegoricas, vt si Sol est super terram, dies est: partes huius propositionis sunt, Sol est super terram, & dies est.

Quid est propositio hypothetica?

℞. *Est propositio, in qua sunt plures cathegoricæ coniunctæ per notam coniunctionis, tanquam principales partes sui, vt si curris, moueris.*

PRopositio hypothetica dicitur ab hypo, quod est sub, & thesis, quod est positio, vnde idem est hypothetica, quod suppositiua propositio: & diuiditur in conditionalem, vt si bucefalus haberet alas, volaret; in causalem, vt quia Sol est super terram, dies est; in rationalem, vt Plato est homo, ergo est risibilis; in temporalē, vt seruus comedit, quando eius dominus dormit; & in copulatiuam, vt Petrus & Ioannes scribūt. Et istę propositiones apud Arist. dicuntur propositiones plures, ad differentiam propositionis cathegoricæ, quę dicitur propositio vna, sed hypothetica non dicitur propositio plures simpliciter, quia ibi est nota cōiunctionis, per quam plures cathegoricæ iunguntur: propterea dicitur aliquando, quòd hypothetica est propositio vna coniunctione. Distinguitur etiam à cathegorica per hoc, quia principales partes cathegoricæ sunt subiectum, & prædicatum; principales partes hypotheticæ sunt cathegoricæ.

Quæ est prima diuisio propositionis cathegoricæ?

℞. *Est illa, quæ diuiditur per affirmatiuam, & negatiuam.*

℞. *Quid est cathegorica affirmatiua?*

℞. *Est illa, in qua prædicatum affirmatur de subiecto, vt genus est vniuersale.*

ENunciatio seu propositio affirmatiua est prior negatiua, tum quia simplicior: negatiua enim propositio addit supra affirmatiuam negatiuam particulam; tum etiam quia affirmatiua propositio significat esse, negatiua significat non esse: & sicut habitus est prior priuatione,

priuatione, ita affirmatio est prior negatione: propterea prius est diffinita per hoc quod prædicatum, scilicet vniuersale dicitur, seu affirmatur de subiecto, puta de genere.

Quid est propositio negatiua cathegorica?

℞. Est illa, in qua prædicatum negatur de suo subiecto, vt genus non est species.

CVm ergo negatiua propositio illa sit in qua negatio præcedit verbum, propterea dictum est, quòd prædicatum debet negari à subiecto: quia si negatio postponeretur verbo, tunc efficeretur propositio affirmatiua, & non negatiua, vt patet in hoc exemplo, genus est non species, ista dicitur affirmatiua de prædicato negato.

Quæ est secunda diuisio propositionis cathegoricæ?

℞. Est illa, quæ diuiditur in veram, & falsam.

Quid est propositio vera?

℞. Est quæ significat rem esse sicut est, vt homo est risibilis.

PRopositio debet significare aliquid esse, vel non esse, secundùm congruentiam rei: propterea aliqua propositio est vera, & aliqua falsa, & vera poterit esse affirmatiua, & negatiua. Tunc efficitur propositio affirmatiua vera, quando enunciatur in propositione, ita esse, sicut est in re, vt puta cùm Sortes legit, dicimus Sortem legere. Quando in propositione enunciatur aliquid non esse, quod non est, tunc efficitur propositio negatiua vera, vt cùm dicitur, genus non est species.

Quid est propositio falsa?

℞. Est quando in propositione enunciatur aliquid, quod non est in re, vt substantia est qualitas.

SIcuti propositio vera est duplex, affirmatiua, & negatiua, ita & falsa. Affirmatiua falsa est, quando enunciatur aliquod esse, quod in re non est, quod pertinet ad affirmatiuam falsam; vt cùm dicitur substantia est qualitas, vel coruus est albus; quando verò in propositione enunciatur de aliquo non esse, quod in re est, tunc efficitur negatio falsa; vt cùm dicitur quantitas non est mensura substantiæ, vel nix non est alba.

Quæ est tertia diuisio propositionis?

℞. Est illa, quæ diuiditur in vniuersalem, particularem, indefinitam, & singularem.

Quid est propositio vniuersalis?

℞. Est illa quæ de vniuersali vniuersaliter enunciat, vel ab eo vniuersaliter aliquid remouet, vt omnis homo est animal, vel nullus homo est lapis.

VNiuersale, vt docet Philosophus 1. Periherm. est, quod de pluribus prædicari aptum est, vt homo, animal, leo. Dicitur item aptum est, quia non est necesse, vt rem vniuersalem proferamus, quod actu eam de multis prædicemus, sat erit, si ipsa aptitudo sit, vt Sol, mundus; & quando huic rei additur signum vniuersale, efficitur propositio vniuersalis: signum autem vniuersalitatis, nihil significat per se, sed iunctum cum re vniuersali, indicatque pro omnibus, vel pluribus, vel pro nullis accipitur: nam aliquod dicitur signum vniuersale, quod est affirmatiuum, vt omnis, quilibet, quisque: aliquod est negatiuum, vt nullus, nihil, neuter: & ex signo affirmatiuo vniuersali constituitur propositio affirmatiua vniuersalis, vt omnis homo est animal: ex signo negatiuo fit propositio vniuersalis negatiua, vt nullus homo est lapis.

Quid est propositio particularis?

℞. Est illa, quæ de vniuersali particulariter enunciat, vt aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus.

COmmuniter solent dicere Logici, quòd propositio particularis est illa, in qua subijcitur terminus communis signo particulari determinatus: signum autem particularitatis

ritatis est, quod indicat vniuersale pro aliquo esse accipiendum, vt quidam, aliquis, & similia: & dicuntur signa particularia, quia signant, seu determinant res communes, non esse accipiendas pro omnibus, quæ sub eis continentur, sed pro aliquibus, vel pro aliquo, &c. quædam substantia est corpus, vel hæc substantia est planta.

Quid est propositio indefinita?

℞. *Est illa, quæ de vniuersali nec vniuersaliter, nec particulariter enunciat, vel ab eo aliquid remouet, vt homo pulcher est, homo pulcher non est.*

INdefinita propositio seu enunciatio dicitur, quasi indeterminata, quia subiectum huius propositionis non determinatur per signum particulare, seu vniuersale, vt possit accipi pro vno seu pro pluribus: vnde solet etiam diffiniri sic; Propositio indefinita est illa, in qua subijcitur terminus communis, nullo signo vniuersali determinatus, nec etiam aliquo particulari, vt homo pulcher est; prout exemplificat Arist. 1. Periherm.

Quid est propositio singularis?

℞. *Est illa, in qua accipitur res singularis, vel vniuersalis, cum pronomine demonstratiuo, vt Sortes est albus, vel illud lignum est album.*

HÆc propositio distinguitur ab omnibus alijs supradictis, quia in propositione vniuersali, particulari, & definita accipitur subiectum, quod est vniuersale, vt animal, homo, leo: sed in hac propositione accipitur subiectum singulare, vt Sortes; vel subiectum vniuersale signatum, cum pronomine demonstratiuo, vt dictum est in illo exemplo, illud lignum est album. Pro maiori retentione harum propositionum, aduerte, quòd si quis te interrogaret de propositionibus per hoc interrogatiuum, Quæ est ista propositio, homo est albus? Respondeas, Est cathegorica. Et hæc, si Sol est super terram, dies est, quæ propositio est? Respondeas, Est hypothetica. Et si quis interrogaret te per hoc interrogatiuum quale, vt qualis est hæc propositio, homo est albus? Respondeas Affirmatiua: homo non est albus, est negatiua. Et si quis interrogaret te per hoc interrogatiuum, Quanta est hæc propositio, omnis homo est rationalis? Respondeas resolutè, est vniuersalis; aliquis homo est risibilis, particularis; homo est animal, est indefinita; Sortes scribit, est singularis.

Quæ est quarta diuisio propositionis?

℞. *Est illa, qua diuiditur in propositionem de inesse, & in modalem.*

Quid est propositio de inesse?

℞. *Est illa, in qua prædicatum sine appositione alicuius termini verificatur de subiecto, vt homo est albus.*

HÆc propositio dicitur de inesse, quia est de simplici inhærentia prædicati ad subiectum; & potest fieri de secundo adiacente, vt homo est; potest etiam fieri de tertio adiacente, vt homo est albus: in hac propositione, simpliciter, & sine limitatione alicuius modi, prædicatum verificatur de subiecto, vt patet in exemplis positis.

Quæ est propositio modalis?

℞. *Est illa, quæ modificatur aliquo modo logicali, vt Sortem currere, est contingens.*

PRopositio potest multis modis modificari, vt patet in his propositionibus, homo est risibilis per se, Sortes est albus per accidens, Plato currit velociter, bucefalus currit tardè. Non loquimur modo nos de istis modis, sed de illis, qui faciunt propositionem modalem apud Logicum, vt sunt illi sex, necessario, contingenter, possibiliter, impossibiliter, verè, & falsè. Vnde modus ita solet describi, Modus est adiacens rei determinatio, semper enim modus dicitur limitare ipsam rem: & Logicus considerat modum prout qualificat propositionem: & sicuti se habet copula in propositione cathegorica de inesse, ita se habet modus in cathegorica modali: & quia copula semper se tenet à parte prædicati, sic modus quoque se tenet ex parte prædicati, vt Deum esse iustum, est necessarium, Sortem currere, est contingens.

Quæ

Quæ est quinta diuisio propositionum?

℞. *Est illa, quæ diuidenti datur in oppositionem contrariam, subcontrariam, contradictoriam, & subalternam.*

Quæ est oppositio contraria?

℞. *Est illa, quæ fit inter propositionem vniuersalem affirmatiuam, & negatiuam, existentes ex eisdem prædicatis, copulis, & subiectis, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus.*

QVando affirmatio affirmat totum quod negatio negat, tunc efficitur oppositio cõtraria, hoc autem esse non potest, nisi propositiones componantur ex eisdem subiectis, vt si quis diceret, omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, faceret oppositionem contrariam, debet enim componi ex eisdem prædicatis, & copulis, aliter non essent contrariæ, vt omnis homo est iustus, nullus homo est albus: termini quoq; assumpti in propositionibus debent esse vniuoci; vnde illæ propositiones non sunt contrariæ, omnis canis est animal, nullus canis est animal, quia ly terminus canis, non est vniuocus: & hæc oppositio contraria habet hanc legem, quod nunquam sunt simul veræ, quia si essent simul veræ, necessarium esset contraria esse simul in eodem subiecto, quod est impossibile.

Quæ est oppositio contradictoria?

℞. *Est illa, quæ fit ex vniuersali affirmatiua, & particulari negatiua, congestis ex eisdem prædicatis, & subiectis vniuoce, vt omnis homo est rationalis, quidam homo non est rationalis.*

COntradictio vniuersalis consistit in sola remotione affirmationis per negationem: vniuersalis autem affirmatiua remouetur per solam negationem particularis, nec aliquid aliud ex necessitate ad hoc exigitur: particularis autem affirmatiua remoueri non potest nisi per vniuersalem negatiuam, quia particulares negatiuę non opponuntur particulari affirmatiuæ contradictoriè, sed subcontrariè, vt patet cuilibet speculanti: cætera verò intelligantur sicut dictum est in oppositione contraria.

Quæ est oppositio subcontraria?

℞. *Est illa, quæ fit inter particularem affirmatiuam vel indefinitam, et particularem negatiuam, seu indefinitam, factam ex eisdem prædicatis, & subiectis vniuocè acceptis, vt quidam homo iustus est, & quidam homo iustus non est.*

HÆc oppositio necessariò requirit, vt fit inter duas particulares, vt excludantur singulares, quia inter eas non datur oppositio subcontraria; & ratio est, quia duæ singulares non possunt simul veræ esse, nec simul falsæ, sed semper vna est vera, & altera falsa; & hoc loquendo in omni materia, siue naturali, siue remota, siue contingenti: vnde si hæc est vera, Sortes est iustus, hæc erit falsa, Sortes non est iustus: sed duæ subcontrariæ possunt esse simul veræ in materia contingenti; in materia verò naturali, vna est vera, puta affirmatiua, sicut ista, quidam homo est animal, negatiua est falsa, quidam homo non est animal; in materia remota negatiua est vera, vt ista, quidam homo non est lapis, & affirmatiua est falsa, sicut ista, quidam homo est lapis; cætera verò intelligantur sicut dictum est in oppositione contraria.

Quid est oppositio subalterna?

℞. *Est illa, quæ fit inter vniuersalem affirmatiuam, & particularem affirmatiuam, & vniuersalem negatiuam, & particularem negatiuam, de eisdem subiectis, & prædicatis vniuocè sumptis, vt omnis homo est animal, quidam homo est animal, & nullus homo est animal, quidam homo est animal.*

ISte propositiones dicuntur subalternæ, quia altera ponitur sub altera: & se habent sicuti antecedens, & consequens: nam bene sequitur, si omnis homo est animal, ergo quidam homo est animal: in materia naturali, & etiam in materia remota valet ista consequentia, nullus homo est lapis, ergo quidam homo non est lapis; in materia contingenti valet quoque, vt si quis diceret, omnis homo est iustus, ergo quidã homo est iustus: & debẽt prædicata, & subiecta, & copulæ sumi vniuocè, vt ẽt dictũ est in oppositione cõtradictoria.

Quæ

Quæ est sexta diuisio propositionum?

R. Est illa, qua propositiones ipsæ conuertuntur aliqua ex speciebus conuersionis.

MVltæ sunt diuisiones propositionum, sicuti D.Thom. declarat 1.Periherm.cap.de futuris contingentibus:inter quas Prima est,qua propositio diuiditur secundùm vnitatem, quia quædam est propositio vna simpliciter,quædam est vna coniunctione: & hæc est illamet diuisio, qua vsi sumus superius, diuidendo propositionem, per cathegoricam,& hypotheticam. Secunda diuisio posita à D.Thoma,fuit secundùm qualitatem propositionum, prout propositio quædam est affirmatiua, quædam est negatiua. Tertia fuit secundùm quantitatem, prout propositio quædam est vniuersalis, quædam particularis, quædam indefinita,& quædam singularis. Tacta quoque fuit quarta diuisio propositionum,quæ est secundùm tempus,nam quædam est propositio de præterito,quædam de præsenti,quædam de futuro. Quinta diuisio propositionum fuit, secundùm materiam,nam quædam est propositio secundùm materiam naturalem,quædam secundùm materiam contingentem,& quædam secundùm materiam remotam. Alij Logici vtuntur,& alijs diuisionibus propositionum;nos verò has paucas collegimus,quia sufficiunt pro introductione ipsius nouitij ad componendum syllogismum in Logica facultate.

Quid est conuersio?

R. Est transpositio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum, propositionum de inesse.

HIc considerandum est, quòd Magnus Albertus docet conuersionem esse passionem propositionum;conuertibilitatem esse passionem terminorum,& consistere in mutua consequutione eorum; conuertentiam esse passionem relatiuorū, & consistere in mutuo respectu ipsorum. Et hic est sermo de conuersione vera,& propria propositionum,vt excludatur conuersio falsa;nam conuersio vera,facit argumentum verum,vt homo est rationalis,ergo rationale est homo:& nullus homo est lapis,igitur nullus lapis est homo: hæc est vera conuersio,quia inter conuertentem propositionem,& conuersam,est vera formalis consequentia, vnde licet homo est animal,& animal est homo,fit transpositio prædicati in subiectum, & subiecti in prædicatum duarum propositionum de inesse, tamen inter conuertentem,& conuersam propositionem non fit nisi verum argumentum, vt dictum est.

Quot sunt species conuersionis?

R. Tres sunt, videlicet simplex, per accidens, & per contrapositionem.

COnuersio propositionum potest considerari duobus modis; Primo, pro causa reducendi syllogismos imperfectos ad perfectos, & sic non sunt nisi duæ species conuersionis, vt docet Philosophus 1.lib.Priorum: Secundo potest considerari ipsa conuersio, vt est passio propositionum,siue de inesse, siue modalium: & sic dicuntur tres species, videlicet simplex, per accidens, & per contrapositionem.

Quid est conuersio simplex?

R. Est transpositio prædicati in subiectum, & econuerso, manente eadem qualitate, & quantitate, vt homo est rationalis, & rationale est homo.

HÆc est optima descriptio huius primæ speciei conuersionis,quia ponitur transpositio in hac descriptione loco generis. Ponitur secundo, manente eadem quantitate,quia si conuertens est particularis,conuersa quoque debet esse particularis, & per hoc distinguitur à conuersione per accidens. Ponitur tertio, manente eadem qualitate, vt puta si conuertens est affirmatiua,conuersa quoque debet esse affirmatiua, cum eodem modo terminorum, dicendo,homo est rationalis, rationale est homo:per hoc distinguitur à conuersione per transpositionem, in qua mutantur termini finiti in terminos infinitos, vt declarabitur.

Quid est conuersio per accidens?

℟. *Est transpositio prædicati in subiectum, & è conuerso, manente eadem qualitate, sed mutata quantitate, vt omnis homo est animal, ergo quidam animal est homo, nullus homo est lapis, ergo quidam lapis non est homo.*

Ponitur etiam in hac descriptione huius conuersionis, prima particula loco generis: secunda verò particula ponitur, vt differat à conuersione simplici, & etiam à conuersione per contrapositionem: in istis enim duabus conuersionibus non mutatur nec qualitas, nec quantitas: sed in conuersione per accidens, licet non mutetur qualitas, mutatur tamen quantitas, dicendo, omnis homo est animal, fit modo conuersio per accidens, ergo quoddam animal est homo: & vniuersalis affirmatiua conuertitur in particularem affirmatiuam, & remanet qualitas propositionum, non tamen ipsa quantitas.

Quid est conuersio per contrapositionem?

℟. *Est transpositio subiecti in prædicatum, & è conuerso, non mutata quantitate, nec qualitate, sed mutatis terminis finitis, in terminos infinitos, vt omnis homo est animal, ergo omne non animal, est non homo.*

Tertia species dicitur conuersio per contrapositionem, quia termini non solùm transmutantur quo ad situm, prout subiectum fit prædicatum, sed etiam contraponuntur quoad significatum, nam significatũ termini finiti, contraponitur significato termini infiniti, vt homo, & non homo. Particulæ positæ in hac descriptione, declarãtur sicuti & cæteræ positæ in descriptione aliarum conuersionum, sed vltima particula mutatis terminis finitis in infinitos, distinguitur hæc tertia species à duabus præcedẽtibus. Vt sciantur quæ propositiones conuertuntur per istas species conuersionum, sunt memoriæ mandanda carmina illa communia, quibus vtuntur Logici, scilicet,

Asserit a, negat e, sunt vniuersaliter ambo,
Asserit i, negat o, sunt particulariter ambo,
Ecce tibi sim, armigeros, ac arma bono con.

Declarantur hæc carmina hoc modo, videlicet prout in illis primis duobus carminibus ponuntur quatuor vocales, videlicet a, quod significat vniuersalem affirmatiuam propositionem, e, quod significat vniuersalem negatiuam propositionem, i, significat particularem affirmatiuam, & o, significat particularem negatiuã. In tertio carmine ponuntur illa verba seu dictiones, ecce, tibi, sim, quæ sic intelliguntur, sim, idest per conuersionẽ simplicem conuertitur; ecce, idest propositio vniuersalis negatiua in aliam negatiuam, vt nullus lapis est homo, nullus homo est lapis, ergo quidã animal est homo, quidam homo est animal: ponuntur & ac, armigeros, quæ sic intelliguntur, idest per conuersionem per accidens, conuertitur; armi, idest a, in i, hoc est vniuersalis affirmatiua, vt omnis homo est animal, ergo quidã animal est homo: conuertitur & geros, idest e, in o, hoc est vniuersalis negatiua, in particularem negatiuã, nullus homo est lapis, ergo quidã lapis non est homo. Cæteræ dictiones, quę sunt arma bono con, intelliguntur sic, con, per conuersionẽ per contrapositionẽ conuertitur arma, idest a, in a, hoc est vniuersalis affirmatiua in vniuersalẽ affirmatiuã, vt omnis hõ est animal, ergo oẽ non aĩal est non homo: conuertitur & bono, hoc est particularis negatiua in particularẽ negatiuã, vt quidã homo non est lapis quidã non lapis est non homo. Hęc sufficiant pro declaratione eorum, quę spectant ad secundam intellectus operationem regulandam.

TERTIA PARS.

De syllogismis spectantibus ad tertiam intellectus operationem.

Quid est syllogismus?

℟. *Est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his, quæ posita ex necessitate accidit, eo quod hæc sunt, vt omnis homo est animal, Sortes est homo, ergo Sortes est animal.*

Hæc est definitio quam tradit Arist. 1. Priorum, de syllog. sed Boetius addit illam particulam, oneceffis; & hoc ad explicãdum difficultatem Arist. Et est oratio nõ cathegorica, cùm complectatur plures cathegoricas: sed hypothetica, nec quæcunq; hypothetica, quam vocant rationalem, in qua coniunguntur duæ cathegoricæ, per illam coniunctionẽ ergo: & hæc reducitur ad conditionalẽ. Illa particula positis, accipitur per ordinationem, quia maior, & minor debent

ordinari in modo, & in figura, ad hoc quod fiat syllogismus: dicitur cōcessis, propter syllogismos, qui fiunt ad hominem. Illa particula ex necessitate, non est intelligenda de quacunq; necessitate, sed de illa quam vocant necessitatem consequentiæ. Illa particula aliud quiddam ab his, quæ posita accidit, adiecta est propter syllogismos, in quibus cōclusio non est aliud à præmissis, vt patet in hoc exemplo, quicquid est homo, homo est, homo autem est homo, igitur homo est homo; hic syllogismus est ridiculus, quia conclusio non est aliud à præmissis, & tamen debet esse aliud, cùm distinguatur à præmissis realiter, & essentialiter. Additum quoque est & illud, eo quod hæc sunt, propter eos, qui plerunque syllogismos faciunt, in quibus aut minus, aut plus, aut aliud quippiam positū est, quàm poni debuerat.

Quotuplex est syllogismus?

℞. *Duplex, alter cathegoricus, alter hypotheticus.*

HIc sermo est tantùm de syllogismo, & non de alijs speciebus argumentationis, vt est exemplum, inductio, & entimema; nam aliqui argumentantur per exemplum, dicendo, Cesar colligendo milites, & munitiones, tyrannizauit; hic homo, puta Sortes, hoc idem facit, igitur tyrannizabit; exemplum enim est ex aliquo singulari proposito aliud ostendere, per aliquod simile repertum in vtroque. Aliqui sunt, qui argumentantur ex inductione, vt si aliquis diceret, hæc substantia non est in subiecto, & illa non est in subiecto, & sic de singulis, ergo nulla substantia est in subiecto: Inductio enim est progressus à particularibus sufficienter enumeratis, ad vniuersale concludendum. Aliqui argumentantur per consequentiam, vt homo est rationalis, ergo est risibilis; est enim consequentia, oratio plures cōtinens propositiones coniunctas, per notam illationis, denorantem sequelam vnius ad alteram. Aliqui solēt arguere per entimema, quod est syllogismus truncatus, in quo tacita altera præmissarum, & præcipuè minore, statim infertur conclusio, vt omnis quantitas est mensura substantiæ, ergo superficies est mensura substantiæ, tacetur minor .s. superficies est quantitas. Omnes hæ sunt species argumentationis, sed syllogismus est perfectior species, & de hac intendimus in præsenti.

Quid est syllogismus cathegoricus?

℞. *Est ille, cuius vtraque præmissa, est propositio cathegorica.*

EXemplum tale esse poterit, de hoc syllogismo, omnis homo est rationalis, risibile est homo, ergo risibile est rationale; in hoc tam maior, quàm minor pariter, & conclusio, est propositio cathegorica.

Quid est syllogismus hypotheticus?

℞. *Est ille, cuius altera tantùm, vel conclusio, hypothetica est.*

VT si quis diceret, quoties Sol est in nostro Emispherio, tunc dies est, sed in nocte Sol est in nostro Emispherio, vel super terram, igitur in nocte erit dies: in hoc syllogismo est minor hypothetica, videlicet, sed in nocte Sol est super terram, vel &c.

Quotuplex est syllogismus cathegoricus?

℞. *Est duplex, perfectus, & imperfectus.*

HÆc diuisio assignatur de syllogismo cathegorico communi, cuius medium est terminus communis, vt præseruemus nos à syllogismo expositorio, cuius medius terminus est singularis: & dicitur expositorius, quia per ipsum fit expositio, & designatio propositionum, sumpta ad demonstrationem.

Quid est syllogismus perfectus?

℞. *Est ille, qui nullius alterius indiget, vt appareat necessarium.*

VT omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis; hic syllogismus non indiget aliquo reducente ad hoc, vt cōclusio ex necessitate sequatur; & hoc dicitur propter syllogismum imperfectum, qui indiget vnius, aut plurium

ad hoc

ad hoc vt necessarius appareat, ex his, quę posita sunt vnius.s. aut conuersionis tantùm, aut præmissarum transpositionis, aut reductionis ad impossibile, vt declarabimus infra.

Ex quibus constat syllogismus?

℞. Ex tribus terminis, & ex tribus propositionibus.

TErminos Arist. hoc in loco diffinit, in quos propositio resoluitur, vt in prædicatum & in subiectum, vt omnis homo est animal; termini sunt homo, & animal, propterea quod in eos principaliter resoluitur ipsa propositio: & dicti sunt termini à terminando, sicuti limites in agro; quemadmodum enim ager designatur finitis quibusdam terminis, ita etiam ipsa propositio perficitur, & resoluitur in ipsos terminos, tanquã in quasdam dictiones, & voces significatiuas, ex quibus componitur ipsa propositio: quippe quod propositio, nihil aliud est, nisi oratio affirmatiua, vel negatiua alicuius de aliquo, vel alicuius ab aliquo, vt homo est risibilis, & homo non est lapis.

Quomodo debent vocari termini illi, ex quibus syllogismus componitur?

℞. Vocantur medium, maior, & minor extremitas.

ADuerte, quòd medium dicitur, quo extrema iunguntur in conclusione, vt rationale. Maior extremitas, est ille terminus, qui sumptus in maiori propositione cum medio, prædicatur in conclusione de minori extremitate, vt risibile. Minor extremitas est ille terminus, qui sumptus cum medio termino in minori propositione, subijcitur maiori extremitati in conclusione, vt homo: vt patet in hoc syllogismo, omne rationale est risib. i.e. homo est rationalis, ergo homo est risibilis; rationale est medius terminus, quo extremitates iunguntur in conclusione, & ipse non ingreditur conclusionem, risibile est maior extremitas, quia prædicatur de minori extremitate in conclusione, homo verò est minor extremitas, quia subijcitur maiori extremitati in conclusione.

Quomodo vocantur propositiones ex quibus constat syllogismus?

℞. Prima vocatur maior propositio, secunda minor, tertia conclusio.

VOcantur quoque maior & minor præmissa, quia præmittuntur conclusioni: vocantur propositiones adhuc, quia ponuntur pro conclusione probanda: vnde hæc propositio, omne rationale est risibile, dicitur maior propositio; hæc alia, homo est risibilis, dicitur minor; igitur homo est risibilis, vocatur postea conclusio.

Quot sunt modi, in quibus fiunt syllogismi?

℞. Decem & nouem, qui his versibus continentur.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomoron,
Cesare, Camestres, Festino, Barocco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

In his modis ponuntur tres syllabæ, v.g. Bar, ba, ra, quæ ita se habent, quod prima significat propositionem maiorem .s. Bar, secunda minorem .s. ba, tertia conclusionem .s. ra; & si est aliquis modus continens quatuor syllabas, vt est Baralipton, vel quinque, vt Frisesomoron, tres tantùm, primæ deseruiunt, cæteræ positæ in omnibus his modis artificiosè appositæ fuêt: literæ vocales a, e, i, o; a, significat vniuersalem affirmatiuam, e, vniuersalem negatiuam, i, particularem affirmatiuam, o, particularem negatiuam.

Quot modos continet prima figura?

℞. Nouem, scilicet Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomoron.

INter istos modos quatuor directè concludere, pbantur, quinque verò sequentes indirectè: ille aũt modus dř concludere directè, cùm maior extremitas prædicatur de minore in conclusione: ille verò dř concludere indirectè, cùm minor prædicatur de maiori.

Declara mihi quatuor primos directè concludentes.

℞. *Ecce exemplum.*

IN primo,qui dicitur Barbara,capias tres terminos,quorum primus sit animal; secundus substantia; tertius homo, & sic conficio syllogismum ex duabus affirmatiuis vniuersalibus,directè vniuersalem affirmatiuam concludentibus.

Bar, omne animal est substantia.
ba, omnis homo est animal.
ra. ergo omnis homo est substantia.

SEcundus modus dicitur Celarent,in quo assumuntur tres termini.s.animal, homo, lapis, & sic conficitur syllogismus ex vniuersali negatiua maiori,& vniuersali affirmatiua minori, directè concludentibus vniuersalem negatiuam, verbi gratia,

Ce, nullum animal est lapis.
la, omnis homo est animal.
rent. ergo nullus homo est lapis.

TErtius modus est Darij, in quo accipiuntur tres termini, videlicet animal, substantia,homo, & sic conficitur syllogismus ex vniuersali affirmatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, particularem affirmatiuam directè concludentibus,verbi gratia,

Da, omne animal est substantia.
ri, quidam homo est animal.
j. ergo quidam homo est substantia.

QVartus dicitur Ferio,in quo accipiuntur tres termini,v.g.animal,homo,lapis,& sic conficitur syllogismus ex vniuersali negatiua maiori, & particulari affirmatiua minore,particularem negatiuam directè concludentibus, Ecce exemplum.

Fe, nullum animal est lapis.
ri, quidam homo est animal.
o. ergo quidam homo non est lapis.

QVinque alij modi sequentes,indirectè concludunt. Et nota, quòd tam hi,quã cæteri sequentes,incipiunt ab aliqua harum quatuor cõsonantium,nempe b,c,d,f,vt sciatur, quòd omnes reducuntur ad quatuor modos primæ figuræ,sic tamen, quòd hi qui à b,incipiunt,reducuntur ad barbara,qui incipiũt à c,ad celarent, qui à d,ad Darij, qui ab f,ad ferio. At vt facilius ipsa reductio percipiatur,adiunctæ sunt aliæ quatuor consonantes,nempe s,p,m,& c,etenim regula generalis est,quòd ille modus in quo reperitur s, reducitur per conuersionem simplicem propositionis, denotatæ per vocalem præcedentem s: ille modus,in quo est p,reducitur per conuersionem per accidens propositionis,denotatæ per vocalem præcedentem p;in quo verò est m,deducitur facta transpositione præmissarum; modus verò in quo est c, reducitur per impossibile: hinc Logici adinuenerunt hos versus,

Simpliciter, verti vult s,p verò per acci.
M, vult transponi, c, per impossibile duci.

Verùm,quia syllogismi,qui fiunt in quinque postremis modis primæ figuræ, & etiam in omnibus modis secundæ,& tertiæ figuræ sunt imperfecti,ad hoc vt perficiantur, assignauit Arist.quandam regulam,qua perficiuntur;& hęc regula est ipsa conuersio propositionum, siquidem omnes modi concludentes indirectè, modi quoque secundæ,& tertiæ figuræ, reducuntur ad quatuor primos per conuersionem simplicem, aut per accidens.

Num quatuor primi modi primæ figuræ sunt perfecti?

℞. *Dicuntur vtique perfecti, verùm non simpliciter, sed respectu aliorum.*

AD hoc, vt quatuor illi primi modi simpliciter perfecti dicantur, oportet vt habeant in se,de omni,& de nullo,siue in toto esse, & in toto non esse.

Quid est de omni?

℞. *De omni est, quando nihil est sumere subiecti, de quo non dicatur prædicatum.*

HÆc est descriptio tradita ab Arist. 1. Priorum, & est clara, vt hæc propositio, omnis homo est animal,ipsius hominis nihil est inueniri de quo non dicatur animal, ergo quia de omni homine animal prædicatur, & de Socrate, & Platone, & de quolibet particulari homine prædicari potest.

Quid

Quid est de nullo, siue in toto non esse?

℞. Dici de nullo, est quoties nihil est subiecti, de quo dicatur prædicatum.

SIc quoque Philosophus descripsit prædicari de nullo, vt patet in hac propositione negatiua, nullus homo est lapis, ab omni enim homine remouetur lapis, & à Socrate, & Platone, & ab omnibus alijs particularibus hominibus: & per ista duo principia dicuntur regulari, & perfici syllogismi, facti in quatuor modis primæ figuræ.

Explana mihi exemplariter alios quinque modos indirectè concludentes.
Respond.

PRimus est Baralipton, in quo assumuntur tres termini.s. animal, substantia, homo, & fit syllogismus ex duabus vniuersalibus affirmatiuis, particularem affirmatiuam indirectè concludentibus.

Ba, omne animal est substantia,
ra, omnis homo est animal,
lipton, ergo quædam substantia est homo.

QVia in hoc modo ponitur consonans p, cadens super i, & hoc significat: quòd si debet reduci ad Barbara, oportet vt fiat conuersio per accidens, conclusionis relinquendo qualitatem, & remouendo quantitatem sic, quædam substantia est homo, conuertatur, ergo omnis homo est substantia; & hoc modo fit syllogismus in Barbara, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.

SEcundus modus est Celantes, in quo assumuntur hi termini animal, homo, lapis, & fit syllogismus ex vniuersali negatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minore, vniuersalem negatiuam indirectè concludentibus.

Ce, nullum animal est lapis.
lan, omnis homo est animal.
tes, ergo nullus lapis est homo.

Hic modus, ad hoc vt perficiatur, opus est vt reducatur ad secundum modum, qui est Celarent per conuersionem conclusionis simpliciter, propter consonantem s, quæ cadit super ipsam, vt nullus lapis est homo, ergo nullus homo est lapis, & sic est perfectus syllogismus dicendo, nullū animal est lapis, oīs homo est animal, ergo nullus homo est lapis.

TErtius modus est Dabitis, in quo assumuntur termini animal, substantia, homo, & fit syllogismus ex vniuersali affirmatiua maiori, & particulari affirmatiua minori, affirmatiuam indirectè concludentibus.

Da, omne animal est substantia.
bi, quidam homo est animal.
tis. ergo quædam substantia est homo.

Si vero syllogismus iste perfectus esse debet, reducatur ad Darij, conuertendo conclusionem simpliciter, propter literam s, cadentem super ipsam, vt quædam substantia est homo, ergo quidam homo est substantia; & sic est perfectus syllogismus in Darij, omne animal est substantia, quidam homo est animal, ergo quidam homo est substantia.

QVartus modus vocatur Fapesmo, in quo assumuntur hi termini animal, substantia, lapis, & sic conficitur syllogismus ex vniuersali affirmatiua maiore, & vniuersali negatiua minori, particularem negatiuam indirectè concludentibus.

Fa, omne animal est substantia.
pes, nullus lapis est animal.
mo, ergo quædam substantia non est lapis.

Vt perfectus efficiatur hic syllogismus, debet reduci ad Ferio, maiori conuersa per accidens, & minori simpliciter, insuper transpositis præmissis: cum tria sunt instrumenta quibus syllogismi imperfecti reducuntur ad perfectos, vt puta conuersio, transpositio præmissarū, & syllogismus ducens ad impossibile; ad reductionē huius syllogismi concurrunt duo, videlicet, conuersio, & transpositio præmissarum, quæ tunc transponuntur, quando ambæ mutant locum, ita vt ex maiore fiat minor, & ex minore maior, quod aliquando contingit in prima figura, aut etiam vtraq; conuersa ex ipsis: vnde sic componitur syllogismus in Ferio, nullum animal est lapis, quædam substantia est animal, ergo quædam substantia non est lapis.

Quintus,

QVintus, & vltimus est Prisesomoron, in quo assumuntur hi termini, animal, substantia, lapis, & sic conficitur syllogismus ex particulari affirmatiua maiori, & vniuersali negatiua minore, particularem negatiuam indirecte concludentibus.

Fri, quidam lapis est substantia.
se, nullum animal est lapis.
so, ergo quædam substantia non est animal.

Perficitur hic modus ad Ferio, vtraq; præmissa simpliciter conuersa, ac transposita, & hoc propter s, cadentem super maiorem, & minorem, & propter m, positum in modo, sic ordinando, nullus lapis est animal, quædam substantia est lapis, ergo quædam substantia non est animal.

Quot modos continet secunda figura?

℞. *Quatuor, videlicet Cesare, Camestres, Festino, Barocco.*

In istis modis semper medius terminus prædicatur, & maior semper est vniuersalis. Et caue, ne facias vtramq; præmissam affirmatiuam, aut negatiuam, sed obserua vnam præmissam esse affirmatiuam, & alteram negatiuam, conclusio vero semper est negatiua.

Exemplifica in singulis modis.

℞. *Ecce.*

PRimus modus vocatur Cesare, in quo assumuntur tres termini, lapis, animal, homo, & sic conficitur syllogismus ex duabus vniuersalibus, maiore s. negatiua, & minore affirmatiua, vniuersalem negatiuam directe concludentibus.

Ce, nullus lapis est animal.
sa, omnis homo est animal.
re, ergo nullus homo est lapis.

Hic modus vt perficiatur, reducitur ad Celarent, faciendo conuersionem simplicem in maiori, vt nullus lapis est animal, ergo nullum animal est lapis: omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.

SEcundus modus vocatur Camestres, in quo assumuntur hi termini, animal, homo, lapis, & conficitur syllogismus ex vniuersali affirmatiua maiori, & vniuersali negatiua minori, vniuersalem negatiuam directe concludentibus.

Ca, omnis homo est animal.
me, nullus lapis est animal.
stres, ergo nullus lapis est homo.

Vt euidens appareat hic syllogismus, reduci habet ad secundum modum primæ figuræ, qui dicitur Celarent, duo agendo; quorum primum est conuertere minorem, & conclusionem per conuersionem simplicem: minorem sic, nullus lapis est animal, ergo nullum animal est lapis: conclusionē vero, nullus lapis est homo, ergo nullus homo est lapis: Secundum est transponere præmissas, vt de maiore fiat minor & econtra, & sic confectus est syllogismus in Celarent, hoc modo, nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis.

TErtius modus est festino, in quo assumuntur hi termini, lapis, animal, homo, & conficitur syllogismus ex vniuersali negatiua maiori, & particulari affirmatiua minore particularem negatiuam directe concludentibus.

Fe, nullus lapis est animal.
sti, quidam homo est animal.
no, ergo quidam homo non est lapis.

Efficitur perfectus hic syllogismus, reducendo ipsum ad quartum modum primæ figuræ, s. ferio, conuertendo tantummodo maiorem conuersione simplici, vt nullus lapis est animal, ergo nullum animal est lapis; & tunc syllogismus est perfectus in Ferio sic, nullum animal est lapis, quidam homo est animal, ergo quidam homo non est lapis.

QVartus, & vltimus modus dicitur Barocco, in quo assumuntur hi termini homo animal, lapis, & conficitur syllogismus ex maiori vniuersali affirmatiua, & minore particulari negatiua, particularem negatiuam directe concludentibus.

Ba, omnis homo est animal.
ro, quidam lapis non est animal.
cco, ergo quidam lapis non est homo.

Ad perficiendum hunc syllogismū, opus est ipsum reducere ad barbara, vtendo instrumento regulatiuo quod dicitur syllogismus per imperiale, qui tunc fit, quoties posito opposi-

tum

tum contradictorium conclusionis cum altera præmissarum, & infertur oppositum contradictorium alterius præmissæ, vt sic syllogizetur, in Barbara, omnis homo est animal, omnis lapis est homo, ergo omnis lapis est animal.

Quot sunt modi pertinentes ad tertiam figuram?

℞. *Sex, videlicet, Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

In his modis huius figuræ, minor semper est affirmatiua, & conclusio particularis: habet etiam hi huius figuræ modi commune quoddam cum omnibus alijs modis, s. quòd conclusio semper sequitur deteriorem propositionem: deteriorem propositionem voco particularem, respectu vniuersalis, & negatiuam respectu affirmatiuæ.

Forma mihi syllogismos in modis tertia figuræ.

℞ *Formabo.*

IN primo modo qui vocatur Darapti assumuntur hi termini homo, animal, substantia, & conficitur syllogismus ex vniuersali affirmatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minori, particularem affirmatiuam directe concludentibus.

Da, omnis homo est substantia.
rap, omnis homo est animal.
ti, ergo quoddam animal est substantia.

Perficitur syllogismus iste reducendo ipsum ad Darij, secundum modum primæ figuræ, conuertendo minorem per accidẽs, vt omnis homo est animal, ergo quoddam animal est homo, & sic erit syllogismus perfectus in Darij, arguendo, vt omnis homo est substantia, quoddam animal est substantia, ergo quoddam animal est substantia.

SEcundus modus dicitur Felapton, in quo assumuntur hi termini homo, substantia, lapis, & conficitur syllogismus ex vniuersali negatiua maiore, & vniuersali affirmatiua minori, particularem negatiuam directe concludentibus.

Fe, nullus homo est lapis.
lap, omnis homo est substantia.
ton, ergo quædam substantia non est lapis.

Fit euidens hic syllogismus, reducendo eum ad Ferio quartum modum primæ figuræ, conuertendo minorem conuersione per accidens sic, omnis homo est substantia, quædam substantia est homo, ergo quædam substantia non est lapis.

TErtius modus dicitur Disamis, in quo assumuntur hi termini, homo, animal, substantia, & conficitur syllogismus ex particulari affirmatiua maiori, & vniuersali affirmatiua minore, particularem affirmatiuam directe concludentibus sic.

Di, quidam homo est substantia.
sa, omnis homo est animal.
mis, ergo quoddam animal est substantia.

Fit perfectus hic syllogismus, reducendo ipsum ad Darij, duo agendo; primum conuertendo maiorem, & conclusionem sic, quoddam animal est substantia, ergo quædam substantia est animal; secundum est transponere præmissas, vt maior fiat minor, & econtra, sic arguendo, omnis homo est animal, quædam substantia est homo, ergo quædam substantia est animal.

QVartus modus vocatur Datisi, in quo assumuntur hi termini, homo, substantia, animal, & conficitur syllogismus ex vniuersali affirmatiua maiori, & particulari affirmatiua minore, particularem affirmatiuam directè concludentibus sic.

Da, omnis homo est substantia.
ti, quidam homo est animal.
si, ergo, quoddam animal est substantia.

Fit perfectus syllogismus iste, reducendo ipsum ad Darij, tertium modum primæ figuræ, conuertendo minorem conuersione simplici, vt quidam homo est animal, ergo quoddam animal est homo, & sic erit perfectus arguendo in Darij, omnis homo est substantia, quoddam animal est homo, ergo quoddam animal est substantia.

QVintus modus dicitur Bocardo, in quo assumuntur hi termini, homo, animal, lapis, & conficitur syllogismus ex particulari negatiua maiore, & vniuersali affirmatiua

matiua minori particularem negatiua directè concludentibus.

Bo, quidam homo non est lapis.
car, omnis homo est animal.
do, ergo quoddam animal non est lapis.

Fit euidens, & perfectus hic syllogismus, reducendo ipsum ad Barbara, per syllogismũ deducentem ad imperiale, sumendo oppositum contradictorium conclusionis, vt dictum est supra, cum altera præmissarum, & inferendo oppositum alterius præmissæ sic, omne animal est lapis; omnis homo est animal, ergo omnis homo est lapis.

Sextus, & vltimus est Ferison, in quo assumo hos terminos, homo, animal, lapis, & sic conficio syllogismum ex vniuersali negatiua maiore, ex particulari affirmatiua minore, particularem negatiuam directe concludentibus sic.

Fe, nullus homo est lapis.
ri, quidam homo est animal.
son, ergo quoddam animal non est lapis.

Perficitur hic syllogismus reducendo ipsum ad Ferio quartum modum primæ figuræ, minori simpliciter conuersa sic, quidam homo est animal, ergo quoddam animal est homo; & sic erit perfectus syllogismus hoc modo arguendo, nullus homo est lapis, quoddam animal est homo, ergo quoddam animal non est lapis.

Multa alia essent hic dicenda circa syllogismum categoricum, & circa syllogismum hypotericum, nec non circa alias species argumentationis .s. entimematis, inductionis, & exempli: sed ne tyrones huius artis nimium grauentur, satis compendiose de terminis propositionibus, & syllogismis scribere volui, aperiendo tantummodo viam ipsis nouitijs, vt facilius ac tutius possint aggredi doctrinam Ar. in qua hęc omnia fusius habentur.

FINIS.

REGISTRVM.

† ABCDEFGHIKLM. ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXY. abcdefgh. Abc.

Omnes sunt Duerniones, præter X, qui est simplex.

Imprimatur. Curtius Palumbus Vicar. Gener. Cap. Neap.

Rutilius Gallacinus Canonic. Deputatus vidit. Reg. fol. 12.